aliquem actum causare antequam superior, vel inferior ratio etiam habeat tempus deliberandi; sed iudicium rationis inferioris est cum deliberatione, quæ indiget tempore, in quo etiam ratio superior deliberare potest: vnde si non cohibeat ab actu peccati per suam deliberationem, ei imputatur.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum consensus in delectationem sit peccatum mortale.

2.2.q.154 arti.4.cor. & q.180. ar.7. Et.2. d.24.q.3. ar.4. Et ver.q.3. arti.4. Et mal.q.15. ar.2 ad.16. & 17. Et quodl.12. ar.4. Aug.22. contra Faust.cap.27 in prin.to. 6. & li.1. de lib.arb.c. 16.to.1. Quæst.71. art.c.

AD octauum sic proceditur. Videtur quòd consensus in delectationem non sit peccatum mortale. Consentire enim in delectationem pertinet ad rationem inferiorem, cuius non est intendere rationibus æternis, vel legi diuinæ, & per consequens nec ab eis auerti: sed omne peccatum mortale est per auersionem à lege diuina, vt patet per diffinitionem Augustini de peccato mortali datam, quę supra posita est: ergo consensus in delectationem non est peccatum mortale.

Secundò prætereà. Consentire in aliquid non est malum, nisi quia illud est malum in quod consentitur: sed propter quod vnumquodque, & illud magis, vel saltem non minus; non ergo illud in quod consentitur, potest esse minus malum, quàm consensus: sed delectatio sine opere nõ est peccatum mortale, seu veniale tantùm: ergo nec consensus in delectationem est peccatum mortale.

Tertiò prætereà. Delectationes differunt in bonitate & malitia secundùm differentiam operationum, vt dicit Philosoph. in 10. Ethic. sed alia operatio est interior cogitatio, & alia actus exterior, puta fornicationis: ergo delectatio consequens actum interioris cogitationis, tantùm differt à delectatione fornicationis in bonitate, vel malitia, quantùm differt cogitatio interior ab actu exteriori, & per consequens etiam eodem modo differt consentire in vtrumq; sed cogitatio interior non est peccatum mortale, nec etiã consensus in cogitationem, ergo per consequens nec consensus in delectationem.

Cap.3.4. & 5.to.5

Quartò prætereà. Exterior actus fornicationis, vel adulterij non est peccatum mortale ratione delectationis, quæ etiam inuenitur in actu matrimoniali, sed ratione inordinationis ipsius actus: sed ille qui consentit in delectationem, non propter hoc consentit in deordinationem actus: ergo non videtur mortaliter peccare.

Quintò prætereà. Peccatum homicidij est grauius, quam simplicis fornicationis; sed consentire in delectationem, quæ consequitur cogitationem de homicidio, non est peccatum mortale: ergo multò minùs consentire in delectationem, quæ consequitur cogitationem de fornicatione, est peccatum mortale.

Sextò prætereà. Oratio dominica quotidie dicitur pro remissione venialium, vt Aug. dicit: sed consensum in delectationem Aug. docet esse abolendum per orationem dominicam: dicit enim in 12. de Trinit. quòd hoc est longe minus peccatũ, quàm si opere statuatur implendũ: & ideò de talibus quoque cogitationibus venia petenda est, pectusque percutiendum, atque dicendum, Dimitte nobis debita nostra: ergo consensus in delectationem est peccatum veniale.

Enchir.ad. 71.in prin cip.to.3. Lib.12.ca. 13.a med. tom.3.

Sed cõtra est, quòd Aug. post pauca subdit. Totus homo damnabitur, nisi hęc quæ sine voluntate operandi, sed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi solius cogitationis sentiuntur esse peccata, per

Lib.12.ca. 12.de Trin. non longe a fin.tom. 3.

Media-

Mediatoris gratiam remittatur: sed nullus damnatur nisi pro peccato mortali, ergo consensus in delectationem est peccatum mortale.

Respondeo dicendum, quòd circa hoc aliqui diuersimodè opinati sunt. Quidam enim dixerunt, quòd consensus in delectationem non est peccatum mortale, sed veniale tantùm. Alij verò dixerunt, quod est peccatum mortale, & hæc opinio est communior & verisimilior. Est enim considerandum, quòd cum omnis delectatio consequatur aliquam operationem, vt dicitur in 10. Ethic. & iterum cum omnis delectatio habeat aliquod obiectum, delectatio quælibet potest comparari ad duo, scilicet ad operationem quã consequitur, & ad obiectum in quo quis delectatur. Contingit autem quòd aliqua operatio sit obiectum delectationis, sicut & aliqua alia res: quia ipsa operatio potest accipi vt bonum & finis, in quo quis delectatus requiescit, & quandoque quidem ipsamet operatio, quam consequitur delectatio, est obiectum delectationis, in quantum scilicet vis appetitiua, cuius est delectari, reflectitur in ipsam operationem, sicut in quoddam bonum, puta, cum aliquis cogitat & delectatur de hoc ipso quod cogitat, in quantum sua cogitatio placet. Quandoque verò delectatio consequens vnam operationem, puta cogitationem aliquã, habet pro obiecto aliam operationem quasi rem cogitatam: & tunc talis delectatio procedit ex inclinatione appetitus, non quidem in cogitationem, sed in operationem cogitatam. Sic igitur aliquis de fornicatione cogitans, de duobus potest delectari. Vno modo de ipsa cogitatione: alio modo de ipsa fornicatione cogitata. Delectatio autem de cogitatione ipsa sequitur inclinationem affectus in cogitationem ipsam: cogitatio autem ipsa secundùm se, non est peccatum mortale, imo quandoque est veniale tantùm, puta, cum aliquis inutiliter cogitat de ea: quandoque autem sine peccato omnino, puta, cum aliquis vtiliter de ea cogitat, sicut cum vult de ea prædicare, vel disputare: & ideò per consequens affectio, & delectatio quæ sic est de cogitatione fornicationis, non est de genere peccati mortalis, sed quandoque est peccatum veniale, quandoque nullum: vnde nec consensus in talem delectationem est peccatum mortale, & secũdùm hoc prima opinio habet veritatẽ. Quod autem aliquis cogitans de fornicatione delectetur de ipso actu cogitato, hoc contingit ex hoc, quòd affectio eius inclinata est in hunc actum. Vnde, quòd aliquis consentiat in talem delectationem, hoc nihil aliud est, quàm quòd ipse consentiat in hoc, quòd affectus suus sit inclinatus in fornicationem: nullus enim delectatur, nisi in eo quod est conforme appetitui eius. Quod autem aliquis ex deliberatione eligat, quòd affectus suus conformetur his, quæ secundùm se sunt peccata mortalia, est peccatum mortale: vnde talis consensus in delectationem peccati mortalis, est peccatum mortale, vt secunda opinio ponit.

Capit. 4. à med. to. 5.

Ad primum ergo dicendum, quòd consensus in delectationem potest esse non solum rationis inferioris, sed etiam superioris, vt dictum est, & tamen ipsa ratio inferior potest auerti à rationibus æternis: quia & si non intendit eis, vt secundùm eas regulans, quod est proprium superioris rationis: intendit tamen eis vt secundùm eas regulata; & hoc modo ab eis se auertens, potest peccare mortaliter: nam, & actus inferiorum virium,

Artic. 7. præced.

& etiam

& etiam exteriorum membrorum possunt esse peccata mortalia, secundùm quòd deficit ordinatio superioris rationis regulantis eos secundũ rationes æternas.

Ad secundum dicendum, quòd consensus in peccatum quod est veniale ex genere, est veniale peccatum: & secundùm hoc potest concludi, quòd consensus in delectationem, quæ est de ipsa vana cogitatione fornicationis, est peccatum veniale: sed delectatio quæ est in ipso actu fornicationis, de genere suo est peccatum mortale; sed quod ante consensum sit veniale peccatum tantum, hoc est per accidens, scilicet propter imperfectionem actus: quæ quidem imperfectio tollitur per cõsensum deliberatum superuenientem: vnde ex hoc adducitur in suam naturam, vt sit peccatum mortale.

Ad tertium dicendum, quòd ratio illa procedit de delectatione, quæ habet cogitationem pro obiecto.

Ad quartum dicendum, quòd delectatio quæ habet actum exteriorem pro obiecto, nõ potest esse absque complacentia exterioris actus secundùm se, etiam si non statuatur implendum propter prohibitionem alicuius superioris; vnde actus fit inordinatus, & per consequens delectatio erit inordinata.

Ad quintum dicendum, quòd etiã consensus in delectationem, quæ procedit ex complacentia actus homicidij cogitati, est peccatum mortale: non autem consensus in delectationem, quæ procedit ex complacentia cogitationis de homicidio.

Ad sextum dicendum, quòd oratio dominica non solum contra peccata venialia dicenda est, sed etiam contra mortalia.

ARTICVLVS. IX.

Vtrum in superiori ratione possit esse peccatum veniale, secundùm quòd est directiua inferiorũ virtũ.

AD nonum sic proceditur. Videtur quòd in superiori ratione non possit esse peccatum veniale, secundùm quòd est directiua inferiorum virium, ideſt, secundùm quòd consentit in actum peccati. Dicit enim Augustin. in 12. de Trinit. quòd ratio superior inhæret rationibus æternis: sed peccare mortaliter est per auersionem à rationibus æternis: ergo videtur quòd in superiori ratione non possit esse peccatum, nisi peccatum mortale. *Infra art. 10. & locis ibidem inductis.* *Cap. 7. in fine tom. 3.*

Secundò præterea. Superior ratio se habet in vita spirituali tanquã principium, sicut & cor in vita corporali: sed infirmitates cordis sunt mortales: ergo peccata superioris rationis sunt mortalia.

Tertiò præterea. Peccatum veniale fit mortale, si fiat ex contemptu: sed hoc non videtur esse sine cõtẽptu, quòd aliquis ex deliberatione peccet etiam venialiter: cũ ergo cõsensus rationis superioris semper sit cũ deliberatione legis diuinæ, videtur q̃ nõ possit esse sine peccato mortali propter contẽptum diuinę legis.

Sed contra est. Consensus in actũ peccati pertinet ad rationem superiorem, vt supradictum est: sed consensus in actum peccati venialis est peccatum veniale: ergo in superiori ratione potest esse peccatum veniale. *Art. 7. huius. q.*

Respondeo dicendum, quòd sicut Augustin. dicit in 12. de Trinitate, ratio superior inhæret rationibus æternis conspiciendis, aut consulendis. Conspiciendis quidem, secundũ quòd earum veritatem speculatur. Consulendis autem, secũdùm quòd *Cap. 7. in fin. tom. 3.*

per

per rationes æternas de alijs iudicat & ordinat: ad quod pertinet quòd deliberando per rationes æternas consentit in aliquem actum, vel dissentit ab eo. Contingit autem quòd inordinatio actus, in quem cõsentit, nõ contrariatur rationibus æternis, quia non est cum auersione à fine vltimo, sicut contrariatur actus peccati mortalis: sed est præter eas, sicut actus peccati venialis; vnde quando ratio superior in actum peccati venialis consentit, non auertitur à rationibus æternis: vnde non peccat mortaliter, sed venialiter. Et per hoc patet responsio ad primum.

D. 401. Ad secundum dicendum, quòd duplex est infirmitas cordis. Vna quæ est in ipsa substantia cordis, & immutat naturalem complexionem ipsius, & talis infirmitas semper est mortalis. Alia est autem infirmitas cordis propter aliquam inordinationem, vel motus eius, vel alicuius eorum quæ circunstant cor: & talis infirmitas non semper est mortalis. Et similiter in ratione superiori semper est peccatum mortale, quando tollitur totaliter ipsa ordinatio rationis superioris ad proprium obiectum, quod est rationis æternæ; sed quando est inordinatio circa hoc, non est peccatum mortale, sed veniale.

Ad tertium dicendum, quòd deliberatus consensus in peccatum, nõ semper pertinet ad contemptum legis diuinæ: sed solũm quando peccatum legi diuinæ contrariatur.

ARTICVLVS X.

Vtrum in ratione superiori possit esse peccatũ veniale secundùm se ipsam.

2. dist. 24. q. 3. artic. 5 Ver 2. 13.



D Decimum sic proceditur. Videtur quòd in superiori ratione non possit esse peccatum veniale secundùm se ipsam, ideſt, secundùm quod inspicit rationes æternas. Actus enim potentiæ non inuenitur esse deficiens nisi per hoc, quòd in ordinatè se habet circa suum obiectum: sed obiectum superioris rationis sunt æternæ rationes, à quibus deordinari non est sine peccato mortali: ergo in superiori ratione non potest esse peccatum veniale secundùm se ipsam. arti 5 Et mal ar. 1. ad 12. & 17. & art. 3. ad 17. & art. 5.

Secundò prætereà. Cum ratio sit vis deliberatiua, actus rationis semper est cum deliberatione: sed omnis inordinatus motus in hisque Dei sunt, si sit cum deliberatione, est peccatum mortale: ergo in ratione superiori secundùm se ipsam, nunquã est peccatum veniale.

Tertiò prætereà. Contingit quandoque quòd peccatũ ex surreptione, est peccatum veniale: peccatum autem ex deliberatione est peccatum mortale per hoc, quod ratio deliberans recurrit ad aliquod maius bonum, contra quod homo agens grauiùs peccat, sicut cum de actu delectabili inordinato ratio deliberat, quòd est contra legem Dei, grauiùs peccat consentiendo, quàm si solum consideraret quòd est contra virtutem moralem: sed ratio superior non potest recurrere ad aliquod altius, quàm sit suum obiectum: ergo si motus ex surreptione non sit peccatum mortale, neque etiam deliberatio superueniens faciet ipsum esse peccatum mortale: quod patet esse falsum: non ergo in ratione superiori secundùm se ipsam potest esse peccatum veniale.

Sed contra. Motus surreptitius infidelitatis est peccatum veniale: sed pertinet ad superiorem rationẽ secundùm se ipsam: ergo in ratione superiori potest esse peccatum veniale secundùm se ipsam.

Respondeo dicendum, quòd ratio superior aliter fertur in suũ obiectũ,

atque aliter in obiecta inferiorum virium, quæ per ipsam diriguntur. In obiecta enim inferiorum virium non fertur, nisi in quantum de eis consulit rationes æternas; vnde nó fertur in ea nisi per modum deliberationis. Deliberatus autem consensus in his quæ ex genere suo sunt mortalia, est mortale peccatum: & ideò ratio superior semper mortaliter peccat, si actus inferiorum virium in quos consentit sint peccata mortalia. Sed circa proprium obiectum habet duos actus, scilicet, simplicem intuitum, & deliberationem, secundùm quòd etiam de proprio obiecto consulit rationes æternas: secundùm autem simplicem intuitum potest aliquem inordinatum motum habere circa diuina, puta, cum quis patitur subitum infidelitatis motum. Et quamuis infidelitas secundùm suum genus sit peccatum mortale, tamen subitus motus infidelitatis est peccatum veniale: quia peccatum mortale non est nisi contra legem Dei. Potest autem aliquod horum quæ pertinent ad fidem, subitò rationi ocurrere, sub quadam alia ratione, antequàm super hoc consulatur, vel consuli possit ratio æterna, id est, lex Dei, puta, cum quis resurrectionem mortuorum subitò apprehendit vt impossibilem secundùm naturam, & simul apprehendendo remittitur, antequàm tempus habeat deliberandi, quòd hoc est nobis traditum vt credendum secundùm legem diuinam. Si verò post hanc deliberationem motus infidelitatis maneat, est peccatum mortale: & ideò circa proprium obiectum, & si sit peccatum mortale ex genere potest ratio superior peccare venialiter in subitis motibus, vel etiam mortaliter per deliberatum consensum. In his autem quæ pertinent ad inferiores vires, semper peccat mortaliter in his quæ sunt peccata mortalia ex suo genere, non autẽ in his, quæ secundũ suum genus sunt venialia peccata.

Ad primum ergo dicendũ, quòd peccatum quod est contra rationes æternas, & si sit peccatum mortale ex genere, potest tamen esse peccatum veniale propter imperfectionem actus subiti, vt dictum est. *In corpore articul.*

Ad secundum dicendum, quòd in operatiuis ad rationem, ad quam pertinet deliberatio, pertinet etiam simplex intuitus eorum, ex quibus deliberatio procedit: sicut etiam in speculatiuis ad rationem pertinet, & sillogizare, & propositiones formare: & ideò etiam ratio potest habere subitum motum.

Ad tertium dicendum, quòd vna & eadem res potest diuersas considerationes habere, quarum vna est altera altior: sicut Deum esse potest considerari, vel in quantum est cognoscibile ratione humana, vel in quantum traditur reuelatione diuina, quæ est consideratio altior: & ideò quamuis obiectum rationis superioris sit quiddam secundum naturam rei altissimum, tamen potest etiam reduci in quandam altiorem cõsiderationẽ: & hac ratione, quod in motu subito non erat peccatum mortale, per deliberationem reducentẽ in altiorẽ considerationem fit peccatum mortale; sicut supra expositum est. *In corpore articuli.*

Sũma quinque articulorum præcedentiũ.

IN his articulis Sanct. Thom. explicat doctrinam August. 12. de Trinit. vbi quædam tradit de ratione superiori & inferiori subtilia, sed difficillima, ex Aug. illa desumpsit Mag. in 2. d. 24. & occasione eorum, quæstiones, quas S. Thomas hic disputat, exortæ sunt & disputantur à scholasticis. Ex his verò articulis possunt elici sequẽtes conclusiones, in quibus eorum summa consistit. Prima ex articul. 6. Peccatum consensus in delectationem pertinet ad rationem inferiorem. Secunda in artic. 7. *Prima conclusio. Secunda.*

Peccatum

Peccatum cōsensus in operationem pertinet ad rationem superiorem. Tertia artic. 8. Delectatio morosa de re turpi cogitata est peccatum mortale, si res cogitata peccatum mortale sit. Quarta ibidem, Si delectatio non sit de re ipsa turpi, sed de cogitatione eius, non est peccatum mortale, sed vel nullum, si sit propter bonum finem, vel veniale, si sit otiosa. Quinta in articul. 9. In ratione superiori potest esse peccatum veniale quatenus est directiua aliarum virium. Sexta in art. 10. In ratione superiori potest esse peccatum veniale secundùm se, id est, in ordine ad proprium obiectum, & cognitionem, ratione imperfectę deliberationis, vt sunt motus infidelitatis nō plenè deliberati. Tota hæc doctrina in duobus pūctis consistit. Primū, quid sit ratio superior, & inferior, & quæ peccata tribuantur vtrique. Secundum, quid sit delectatio morosa, & quomodo discernenda sit eius malitia, quæ vt melius explicentur, sequentes disputationes dilucidandæ sunt.

Tertia.

Quarta.

Quinta.

Sexta.

DISPVTATIO XXV.

Quid nomine rationis superioris, & inferioris intelligendum sit.

DE Ratione inferiori & superiori legatur Sanct. Thom. 1. part. quæst. 79. art. 9. & tota quæst. 15. de veritate, & supra quæst. 15. artic. 4. & in his articulis Scholastici cum Magistro in 2. dist. 24. Distinctionē hanc rationis superioris & inferioris tradit Augustinus toto fere lib. 12. de Trinitate, vbi in homine quocunque agnoscit coniugium quoddā simile cōiugio primorum parentum: quemadmodum enim primo parenti factum est adiutorium simile sibi, & eiusdem naturę, inferius autem dignitate, sic dicit in parte rationali hominis esse quid virile, & principale, quod est ratio superior, & huic data est in consortium, & in adiutorium ratio inferior similis natura, dignitate minor: præter quas asserit esse in homine, quæ gerat vicem serpentis, sensualitatem. Vt quodā modo intētatione, & peccatis singulorū contingat idem processus, qui contigit in tentatione primorum parentum, tunc enim serpens proposuit esum cibi vetiti, alliciens Euam ad peccandum, Eua Adamum induxit; & nunc sensualitas tentat rationem inferiorem, cui ratio superior annuit, & consummatur peccatū. Distinit autem Augustinus rationem superiorem. *Quæ intendit rationibus æternis & legi diuinæ conspiciendis, vel consulendis*; rationem verò inferiorem, *quæ versatur circa temporalia & mutabilia, & per rationes temporales iudicat.*

August.

Circa hanc distinctionem Scholastici omnes, quædam certa tradunt in quibus omnes consentiunt. Primò, ad vtranque rationem pertinere cognitionem speculatiuam & practicam, hoc enim colligunt ex illis verbis *Conspiciendis, vel consulendis*. Quatenus enim ratio superior versatur in conspiciendis, vel contemplandis rationibus æternis, speculatiua est, & quatenus versatur in eisdem consulendis, id est, iudicat per ipsas de operabilibus, practica est, & simili proportione se habet ratio inferior circa temporalia. Secundò vtranque rationem includere, non solum intellectum, sed etiam voluntatem. Hoc non expressit Sanct. Thomas, sed neq; illud negat, explicant tamen Scotus & Gabr. infra referēdi, & alij, & est expressum ab Augst. eodem loco, nam ad finem cap. tertij dicit. *Rationem & appetitum rationalem, vel si quo alto modo significātius dici potest, vna mentis natura complectitur.* Et infra contendit imaginem Trinitatis inueniri tam in ratione inferiori, quàm superiori; imago autem Trinitatis, quam Augst. in illis libris asserit, esse in natura rationali, consistit in intelligentia, memoria, & voluntate. Vnde placet aliquibus, vt potius appellentur rationes istæ, portiones, portio, scilicet inferior, & portio superior, vt significantius vtraque potentia comprehendatur, quo nomine vtitur Augst. eodem loco. Tertiò conueniunt distinctionem hanc non esse in diuersas potentias, sed in vnius & eiusdem diuersa officia. Quod expressit Augustinus cap. 3. ad finem dicens. *Cum igitur differimus de natura mentis humanæ, de vna quidem re differimus neque eam in hac duo, quæ commemoraui, nisi per officia geminamus.*

Quæ certò de his rationibus. Primum.

Secūdu m.

S. Thom. Scotus. Gabr.

Tertium.

Est tamen difficultas, primo de legitimo sensu definitionum quas vtrique rationi assignat Augustinus, atque adeò de vtriusque portionis officio. Nā quod dicitur rationem superiorem versari circa æterna, & legem diuinam, & inferiorem circa temporalia, & rationes humanas, potest dupliciter intelligi. Vno mo-

Punctus cō trouersię.

do, vt æternorum nomine intelligamus supernaturalia, & legem diuinam supernaturalem, quæ per fidem manifestatur; nomine verò temporalium intelligamus quicquid pertinet ad cognitionem naturalem ex naturalibus principijs. Alio modo, vt nomine æternorum intelligamus, non tantum supernaturalia, sed omnia quæ tribuunt actibus bonitatem moralem, & ad bene viuendum quomodocunque conducunt, nomine verò temporalium intelligamus temporales aliquas vtilitates, & commoda, vel delectationes, præscindendo, à rectæ rationis regula. Quæ ratione munus rationis inferioris erit iudicare de rebus secundùm motiua temporalia, scilicet quid expediat ad honorem, ad voluptatem, & cætera temporalia commoda: munus autem rationis superioris iudicare quid sit, vel non sit debitum, vt bene viuamus. Aliqui accipiunt distinctionem hanc secundo modo, quibus fauet Bonauentu. in 2. distinct. 24 in 2. par. art. 2. quæst. 1. & videtur conueniens hæc explicatio. Quia primò, optimè cohæret verbis August. ad rationem enim superiorem reducit æterna, & immutabilia, lex verò naturalis, cum à lege æterna deriuetur, bene potest æterna vocari, & immutabilis est. Item, quia etiam in infidelibus omnino ignorantibus supernaturalia, inuenitur ratio inferior, & superior, sicut inuenitur peccatum, non ergo ratio superior circa supernaturalia tantùm versatur.

Prima sententia. Vazq. disp. 105. cap. 1. & 4. Bonauent.

Vera sent. S. Thom. Scoti, & aliorum.

Sed quamuis distinctio posset in hoc sensu fieri, si agimus de mente Augustini absque dubio dicendum est, primo modo intelligendam esse. Nam August. plura dicit, quibus apertè explicat rationem superiorem eam esse, quæ versatur circa supernaturalia; inferiorem verò quæ versatur circa quæcunque naturalia, etiam quæ recta sunt, & legi naturali conformia. Primò dicit, in ratione inferiori, & in solo eius consensu, & iudicio posse esse peccatum quod non esset verum, nisi ratio inferior attingeret regulas legis naturalis, quibus de bonitate, & malitia morali iudicare posset. Dicit etiam, ad rationem inferiorem pertinere donum Spiritus sancti, quod dicitur *scientia*, & gratiam gratis datam, quæ dicitur *sermo scientiæ*, quemadmodum ad rationem superiorem spectat donum *sapientiæ*, & *sermo sapientiæ*: manifestum est autem donum scientiæ, non versari circa solam vtilitatem, vel voluptatem temporalem. Et denique, magis explicans quid sit proprium rationis inferioris & superioris capit. 13. dicit: Sermone sapientiæ, qui est superioris portionis, esse, *cum agimus de amore Dei, & spe, qua speramus eum nos visuros facie ad faciem, quem nunc videmus per speculum in ænigmate*: sermonem autem scientiæ, qui pertinet ad rationem inferiorem esse, *quando prudenter, iustè, fortiter, & temperatè quicquam agimus propter humana exempla sequenda, vel vitanda, & propter documenta quæ humanis accommodata sunt vsibus.* Ita intelligit Augustin. Sanct. Thomas locis supra notatis, & hic artic. 7. in corpore dicit: *Actus humanus potest regulari regula rationis humanæ, quæ sumitur ex rebus creatis quas homo naturaliter cognoscit, quod pertinet ad rationem inferiorem, & potest etiam regulari lege diuina, quod pertinet ad rationem superiorem.* Eodem modo interpretantur August. Scotus distinct. 24. quæst. vnic. Durand. q. 4. Gab. quæst. vnic. art. 1.

Ad motiua prioris explicationis respondetur, etiam si lex naturalis in aliquo sensu possit dici æterna, sed non insensu August. qui vocat æterna ea, quæ ad vitam beatam supernaturalem directè, & per se conferunt. In infidelibus verò non est concedenda ratio superior actu, & in exercitio, sed tantum potentia, & obligatione, & hoc ipse Augustin. indicauit; nam capitul. 7. dixit. *Renouamur per fidem ad imaginem Dei, quando rationibus æternis mens adhæserit.* Quibus verbis fatetur sine fide non esse rationis superioris vsum.

Ad argumenta prima expositionis.

Ex dictis sequitur, quo differant distinctio hæc portionis superioris, & inferioris, & alia, quæ est frequens in sacra Scriptura, & Patribus, hominis interioris & exterioris: non enim, vt quidam putat, eadem est vtraque: nam homo exterior est homo consideratus ex parte corporis, & vitæ sensitiuæ; homo autem interior est homo, vt rationalis, vt patet ex 1. ad Corinth. 4. & ad Roma. 7. & ex August. 12. de Trinitat. capit. 1. Greg. 20. Moral. cap. 14. & Bernar. Epistola 253. & 266. Quare diuisio portionis inferioris & superioris, sub diuisio est interioris hominis.

Prima Corinth. 4. Roma 7. August. Gregor. Bernard.

DISPVTATIO XXVI.

Vtrum in portione inferiori sit peccatum.

Sensus

SEnsus quæstionis est. Vtrum in sola portione inferiori possit esse peccatum (nam in ea aliquomodo esse peccatum saltem, vt regulatur & dirigitur à superiori, nullus dubitat.) Prima sententia negat peccatum esse sine ratione superiori, & ipsius dicit, esse iudicium, & cõsensum ad quodcunque peccatum tam veniale, quã mortale requisitum. Hoc asserunt illi, qui sequuntur priorem expositionem harum portionũ, consequenter enim dicunt & meritò ad rationem superiorem spectare consensum, & iudicium cuiuscunq; peccati, & donec ratio superior deliberet nullum posse esse peccatum, nec veniale, nec mortale; quia nullum potest esse peccatum, sine iuditio explicito, vel virtuali de bonitate & malitia, hoc autem rationis superioris est, & ideò sine ea nõ erit peccatum. Sed hæc sententia, & illa explicatio ad mentem August. non sunt.

Sententia negans.

Vazq. dis. 105 ca. 4.

Procedit ex mala interpretatione.

August.

Secunda sententia est Mag. in 2. dist. 24. asserentis in portione inferiori posse esse peccatum veniale, sed non mortale. Quam sententiam defendunt Durand. q. 5. Bonauent. 2. part. distinct. 21. 2. quæst. 2. & Gab. q. vnica art. 3. dub. 2. Probatur, quia peccatum mortale dicit auersionẽ à fine vltimo supernaturali, & reatum æternæ damnationis, propter quod videtur requirere consensum rationis superioris, quæ respicit hunc finem. Sed hæc non est sufficiens ratio discriminis inter veniale, & mortale, nam peccatum veniale habet suam oppositionem cum fine supernaturali; licet enim non auertat ab eo, opponitur feruori charitatis circa ipsum, & habet suum reatum comparatione ad illum, non auferendo, sed impediendo assecutionem eius, donec expietur in purgatorio. Adde subiectum peccati, non ex reatu, sed ex malitia venandum esse, vt art. 4. disput. 23. admonui.

Secunda sent. Mag. Durand. Bonauent. Gabr Probatur. Excluditur.

Tertia sententia, quam libenter amplector, asserit in portione inferiori posse esse peccatum, tam mortale, quàm veniale. Sanct. Thom. hic artic. 8 & est expressum ab August. li. 12. de Trinita. c. 12. dicẽte, *Sola muliere comedente, quæ est ratio inferior, idest, sola ipsa consentiente in peccatũ, posse totũ hominẽ damnari.* Et supposita explicatione harum portionum, quã tradidimus disputatione præcedenti, est euidens, quia si ratio inferior respicit regulas naturales, per quas iudicat de bonitate & malitia, sufficiet cõsensus eius, vt aliquid sit peccatum, tam mortale quàm veniale: quia sufficit, vt agnoscatur, esse contra legem naturalem, vel humanam, & si non cognoscatur esse contra legem supernaturalem: infidelis enim in quo, vt dixi, non est actus rationis superioris, solo consensu rationis inferioris, peccat.

Tertia sententia. Vera. S. Thom.

DISPVTATIO XXVII.

Vtrum consensus in delectationem cogitationis adscribatur rationi inferiori, consensus vero in opus ipsum superiori.

IN hoc puncto est etiam difficilis doctrina Augustin. qui 12. de Trinitat. cap. 12. dicit, consensum in delectationem de re aliqua illicita, quatenus cogitatione apprehenditur, spectare ad rationem inferiorem, cõsensum verò in opus ipsum ad rationẽ superiorẽ. Verba eius sunt: *Si consensus illecebræ solæ cogitationis delectatione cõtentus sit, sic habendum existimo velut si cibum vetitum sola mulier comederit, si autem in consensione ita decernitur quodcunque peccatum, vt si potestas sit, etiam opere compleatur, intelligenda est mulier dedisse viro suo edendum vetitum cibum, neque enim potest peccatum nõ solum cogitandum suauiter, sed etiam efficaciter perpetrandum mente decerni, nisi illamentis intentio penes quam summa potestas est membra in opus mouendi, vel cohibendi mala actioni cedat, vel seruiat.*

August. Sententia obscura.

Pro intelligentia autem huius loci, & decisione dubij, aduertendum est, delectationẽ ex communi doctrina esse quietem quandam appetitus, vel voluntatis in obiecto amato possesso, & præsenti, potest autem dupliciter obiectum fieri præsens, vno modo re ipsa, alio modo sola cogitatione, & cognitione, & consequenter potest esse duplex delectatio, altera propter realem possessionem obiecti, & hæc est posterior operatione, altera de obiecto sola cognitione apprehenso, & hæc solet esse prior, & inuitat, & allicit ad opus. Quæstio ergo procedit de secunda delectatione, nam prima cum consequatur opus eiusdem rationis est cum ipso: vrget ergo difficultas quare August. consensum in delectationem rei cogi-

Status quæstionis.

cogitatæ tribuat rationi inferiori, cōsen sum verò in opus rationi superiori adscri bat: quia non magis videtur vnus consen sus, quàm alter, vnius, quā alterius ratio nis proprius, quomodocunque accipia mus rationem superiorem, & inferiorem. Nam si rationi superiori tribuatur omne iudicium de bonitate & malitia, siue na turale, siue supernaturale, nulla potest es se differentia, quia in ea sententia omne peccatum ad rationem superiorem reducitur, atque adeò eius erit consensus in peccatum cogitationis, sicut in peccatū operis. Si verò ratio superior est, quæ cō sulit regulas supernaturales, & inferior quæ naturales, peccatum contra legem naturalem, vel humanam pertinebit ad rationem inferiorem, siue sit peccatum cogitationis, siue operis, & quod fuerit contra legem supernaturalem pertinebit ad rationem superiorem. Adde, in infi delibus esse peccatum cogitationis, & operis, sine vsu rationis superioris.

S. Thom. amplectitur sententiam. August.

Hoc dubium fere intactum reliquerūt antiqui. Sanct. Thomas amplexus est doctrinam Augustini, & docet, rationem huius assignationis esse, quia semper vltimum iudicium ad vltimum iudicem referendū est; & quia cōsensus in delectationem cogitationis, est quasi quid præambulum; consensus verò in opus est vltimum iudi cium & deliberatio, ideò consensus in de lectationem, potest esse sine ratione supe riori, consensus verò in opus non potest. Admonet autem S. Thom. non ita es se accipiendam Augustini sententiam, vt cō sensus in delectationem negetur portioni superiori: quia superior potest iudica re de his, de quibus iudicat inferior; sed ita vt consensus in opus necessariò requi rat rationem superiorem, quam non re quirit consensus in delectationem.

Caietani expositio. Vaz. disp. 105. ca. 5.

Caietano & alijs, difficilis est visa hæc sententia, & presi difficultate dicunt, nō posse esse veram, nisi per appropriationē quandam, quemadmodum enim singulis personis diuinis ex his quæ reuera cōmu nia sunt tribus, appropiatur aliqua prop ter specialem rationem, vt Filio sapien tia, Patri potentia; sic peccatum delecta tionis appropriatur rationi inferiori, & peccatum operis rationi superiori, quam uis sint communia utrique, quia sicut cō sensus in delectationem cogitationis est prius consensu in opus, sic ratio inferior est prior superiori. Sed non credo hanc

Futilis.

futilem appropriationem, tam seriò ab Augustino fuisse traditam, & veram cen seo expositionem Sanct. Thom. vtrunq; quidem peccatum in vtraque ratione in ueniri posse, sed discrimen esse, quòd con sensus in opus semper requirit rationem superiorem, peccatum autem delectatio nis in re cogitata potest cōsummari in ra tione inferiori, sine superiori. Hic sensus facilè accomodatur verbis Augustini. & est verus, si addātur duo: alterum est, vt intelligamus, veram esse differentiam hanc in eis, in quibus est vsus rationis su perioris, nempe in fidelibus; nā in alijs om ne peccatum sine ratione superiori com pletur: alterum, intelligendam esse hanc doctrinam regulariter, & prout frequen tius deliberatio humana contingit. Nam consensus in opus regulariter fit cū vlti mo iudicio, & cū plenissima, & vltima de liberatione, cui deesse nō potest expres sus consensus rationis superioris, vel sal tem virtualis, quia non potest deliberatè procedi ad opus, quin aduertatur, vel fa cilè aduerti possit, quam conformitatem, vel difformitatem habeat cum lege diuina, & fine supernaturali: non est tamen omnino impossibile, vt procedat ad opus sine portionis superioris iudicio. At verò consensus in delectationem cogitationis sæpissime est sine perfecta, & vltima deli beratione, cum enim insurgat, ex motu appetitus cui proximior est ratio infe rior, euenire potest, vt illa sola deliberet, quia repræsentatur deformitas, quam ha bet contra rationem naturalem, quod suf ficit, vt sit peccatum etiam mortale, quā uis nulla sit aduertentia legis supernatu ralis.

Vera expositio Augustini & S. Thom.

Declaratur.

Coroll.

Ex quibus infertur verum esse, quod aliqui aduertunt, posse esse peccatū pro prium rationis superioris, quod non co municetur inferiori, vt sunt peccata quæ directè opponuntur virtutibus supernatu ralibus, è conuersò autem peccatum om ne rationis inferioris pertinet ad superio rem, quia quicquid legi naturali opponi tur, & naturali fini, opponitur mediatè le gi supernaturali, & supernaturali fini.

Secundum.

Infertur secundò, processum illum ten tationis, & peccati, quem describit Aug. vt primò serpens, id est, sensualitas tēter, deinde consentiat ratio inferior, & tan dem superior; non esse necessarium nec in teruenire in omnibus peccatis; sed esse pos sibilem, & qui multoties euenit; nam po test esse peccatum, quod non procedat ex tentatione sensualitatis: & fieri potest, vt con-

consentiat ratio superior sine inferiori, vel inferior sine superiori.

Dubium. Sed ex dictis oritur dubium: Vtrum in ratione superiori possit esse peccatum veniale, quia diximus plenissimam aduertentiam esse rationis superioris. Hoc dubium latè prosequitur Sanctus Thomas artic. 9. & 10. cuius resolutio est, in ratione superiori posse esse peccatum veniale, tam quatenus est directiua inferiorum virium, quàm secundùm se. Sed habet difficultatem, quod dicit in ratione superiori, vt directiua est aliarum facultatum, esse peccatum veniale ex obiecto, in ea verò secundùm se, & vt proprium obiectũ supernaturale respicit, esse peccatum veniale, ex surreptione, & imperfectione deliberationis. Quibus verbis insinuare videtur in ratione superiori, quatenus est directiua, non esse veniale ex surreptione, & secundùm se, non esse veniale ex obiecto, sic enim exponũt & defendunt Sanct. Thomæ doctrinam Petrus de Soto in institutione sacerdotum tractatu de peccatorum discrimine lectio. 8. & alij. Sed mihi vera videtur prima pars huius asserti, quia motio inferiorum viriũ, si fit cum rationis superioris consensu, nõ potest esse imperfectè deliberata, quia summa deliberatio est, quando potentiæ mouentur ad exercitium, à ratione inferiori, consentiente ratione superiore. Sed secundam partem non intelligo, quia nõ video quare negetur rationi superiori secundùm se consideratæ, vtrunque genus peccati venialis. Quod indicãt exempla: nam sicut potest portio superior aliquando perfectè, aliquando imperfectè deliberare, & ita committere peccatum veniale, ex surreptione, sic potest consentire in sacrilegium leue, vel transgressionẽ voti in parua materia, quæ sunt venialia ex genere, circa obiecta propria rationis superioris.

Solutio. S. Thom.

Petrus de Soto.

Aduert. Et hęc de ratione inferiori, & superiori, in explicationẽ Aug. Circa cuius doctrinã illud vltimò aduertendũ est, accomodationem allegoricam personarum quæ interuenerunt in peccato primorum parentum aliter fieri ab eodem Augustin. 2. de Genes. contra Manich. & à Gregor. in responsionibus ad Augustin. Anglum, quæ habentur post librum 12. registri respõs. 11. Qui personam serpentis Dæmoni, personam Euæ sensualitati, & personã Adami rationi tribuunt. Et ita accomodant nobis illam seriem actionum, vt sicut per Euam diabolus peruertit Adamum, sic per sensualitatem prosternat rationem. Vtraq; expositio apta, & cõueniens est.

DISPVTATIO XXVIII.

De peccato delectationis morosæ in cogitatione rei turpis.

QVÆ De peccato delectationis morosæ, quæ cogitationem sequitur, disputantur, communia sunt pluribus alijs affectibus, & actibus voluntatis, vt iræ, amori, complacentiæ, & consensui interno, circa quodcunq; obiectũ illicitũ: quæ ergo de delectatione morosa disputata fuerint, proportione accommodã da sunt cæteris actibus. Tria autem sunt consideratione digna, vt delectatio morosa sit peccatum mortale; ex parte intellectus, aduertentia, ex parte voluuntatis, cõsensus; ex parte obiecti, conditio eius. Et hæc tria sigillatim discutienda sunt.

Membrum primum, quæ aduertentia requiratur ex parte intellectus, vt delectatio morosa sit peccatum mortale.

IN superioribus assertum reliquimus, tam in appetitu sensitiuo, quàm in voluntate, posse esse motus, circa obiecta illicita quantumuis grauia absque omni peccato, defectu deliberationis, & aduertentiæ. Nunc autẽ discutere oportet si in intellectu est aduertentia sufficiẽs ad peccatum, quanta, & qualis requiritur, vt sit mortale, & quæ efficiet peccatum veniale. Ochamum referunt Almai. tractat. 3. Moral. cap. 24. & Cordub. lib. 1. quæst. 23. dub. 10. ad primam rationem, asserentem nullam esse differentiam inter deliberationem requisitam ad peccatum veniale, & mortale, & quæ sufficit ad vnum sufficere ad alterum, & ideò nullum peccatũ veniale esse circa materiã grauem ob defectũ deliberationis. Hæc sententia, videtur probari, primò, quia deliberatio quæ sufficit ad peccatum veniale, sufficit, vt actus sit liber & imputabilis, aut nullum peccatum esset; si ergo est in obiecto malitia mortalis, illa imputabitur. Confirm. quia eadem aduertentia actualis quę sufficit ad peccatum veniale est, aduertentia virtualis respectu mortalis, virtualis autem

Sententia Ochami. Almai. Cordu.

Probatur. Primò.

Secundo.

autem aduertentia sufficit, vt peccatum imputetur: assumptum probatur, quia tunc aliquid adest virtualiter, quãdo potest esse, & obligamur ad ipsum, sed in hoc casu est potẽtia, & obligatio ad deliberationẽ perfectam, ergo censetur esse virtualiter. Obligationẽ interuenire probatur, quia obligatio ad deliberandum consequitur ipsam obligationem præcepti, quo enim quis obligatur ad actum, vel omissionem, obligatur ad deliberandum circa ipsos; obligatio enim præceptorum respicit actus humanos, qui deliberati sunt. Subesse verò potentiam probatur, quia qui potest deliberare sufficienter ad peccandum venialiter, potest deliberare ad peccandum mortaliter; nam faciliùs est cognoscere peccatum mortale, quàm veniale, quantô enim malitia peccati est grauior, tanto faciliùs cognoscitur, qui ergo potest aduertere malitiam venialem, faciliùs poterit aduertere mortalem. *Tertiò.* Tertiò, quia si aliqua imperfectio deliberationis potest excusare â mortali, similis imperfectio circa obiectum veniale ex genere excusabit omnino â peccato, quod apertè est falsum: illatio est firma, quia inter peccatum veniale, & mortale, est multò maior distantia, quàm inter veniale, & nullum, ergo si imperfectio deliberationis, potest facere de mortali veniale, poterit facere de veniali nullũ

Hæc sententia, ab omnibus reijcitur, & affirmant Theologi, diuersam esse deliberationem, & aduertentiam, quæ requiritur ad peccatum mortale, & quæ sufficit ad veniale, & posse contingere, vt actus, qui ex genere mortalis est, ex imperfectione deliberationis fiat venialis. Id docet S. Thom. in hac quæst. arti. 3. ad 3. & art. 10. & q. 88. artic. 2. vbi distinguit peccatum veniale ex genere, & ex imperfectione actus, & q. 15. de veritate art. 15. ad 11. & à S. Thom. nullus dissentit. Quæ assertio facilè probatur, nam in omnibus, quæ concurrunt in actu, paruitas efficit, vt peccatum sit leue, & veniale: quando enim nocumentum est tenue, & exiguum, iniuria fit venialis, quando materia est parua, furtum est veniale: cũ ergo deliberatio etiam parua fuerit, quare non auferet grauitatem mortalis? maximè cum deliberatio in primis requisita sit. Posse autem esse paruam deliberationẽ, sicut materiã, & alias circunstãtias, experiẽtia cõstat, nec oppositũ cõuincitur argumẽtis Ochami, vt statim palã fiet.

Confutatur.

S. Thom.

Peccatum veniale ex surreptione probatur.

Ex hac doctrina ortũ habuit vulgaris illa, & celebris distinctio motuũ: distinguũt enim doctores triplicẽ motũ, primò primũ, secũdò primũ, & deliberatũ. Primò primũ vocant, qui est merè naturãlis, & omnino indeliberatus præcedens aduertentiã sufficientẽ, qua reprimatur. Secundò primũ vocant, eũ qui procedit, cũ aliqua deliberatione, & aduertentia, sed imperfecta, & incõpleta, quẽ dicunt esse peccatũ veniale, deliberatũ verò, qui est perfectè, & simpliciter liber, in quo est malitia cõpleta, pro qualitate, & conditione obiecti. Hac distinctione vtitur Alex. q. 108. membro. 7. & S. Thom. affert illã vt communẽ, receptã, & antiquã in Scholis, q. 7. de malo art. 6. ad 8. & in 2. d. 24. q. 2. artic. 2. & plures alij authores ea vtuntur solum differunt assignantes subiectum in quo sunt motus primô primi. Quidam enim solos motus partis vegetatiuæ dicunt esse primô primos, alij motus appetitus, qui insurgunt ex causis extinsecis, & nõ ex imaginatione, alij motus solius appetitus, qui deliberationem omnem præueniunt, negant tamen esse motus primô primos in voluntate. Sed iam ostendimus tam in appetitu, quàm in voluntate esse motus merè naturales inculpabiles qui sunt primô primi.

Motus primi, &c.

Alex. S. Thom.

Sed licet hęc certa sint, illud est difficile & vix explicabile, quę deliberatio perfecta sit, & sufficiẽs ad mortale, & quib⁹ regulis discerni possit, concisse enim & obscurè hoc explicant doctores, nec mirũ, est enim res oculta, & ad internos animi motus spectans, quos vix percipere possumus. Quidã hãc regulã vniuersalẽ tradunt, vt aduertentia, quæ perfectã deliberationẽ cõstituit, requirat duo. Primũ, vt sit iudiciũ expressũ, & explicitũ de malitia actus, vel de obligatione legis, aut saltẽ dubitatio. Variãt tamẽ assertores huiꝰ regulę, nã aliqui dicũt, sine hac aduertentia nec mortale, nec veniale peccatũ esse, alij autẽ nũ posse esse mortale, posse tamẽ esse veniale. Secũdũ, vt iudiciũ hoc sit firmũ & cõstãs, nã si sit leue, & imperfectũ, quale sæpe contingit, distrahente passione, vel alio impedimento, nõ sufficit. Hãc sententiã putant esse cõmunem, allegatis pro ea multis authoribus, in quibus sunt Alex. 2. p. q. 108. mẽb. 10. Conradus art. 6. huius quæst. in principio. Petrus de Soto in institut. tract. de peccatorũ discrimine lect. 8. Victoria in relectione de primò veniente ad vsum rationis p. 1. propos. 3. qui

Nodus disputationis

Prima sententia. Vazq. dis. 107. ca. 3.

Alex. Conrad. Petrus de Soto. Victo.

qui dicunt, tũc delectationem morosam, & alios actus similes esse peccatum mortale, quando ratio aduertit malitiam, vel obligationem. Præterea, S. Thom. quæst. 15. de veritate art. 4. ad 11. ait, tunc deliberationem imputari ad mortale, quãdo ratio perpendit delectationem, & periculum, quod in ea est, vt pote cum percipit se per illam trahi, & inclinari ad peccatum; & Bonauent. in 2. dist. 24. 2. part. ar. 2. quæst. 2. & Angelus verbo *Cogitatio*, num. 2. qui similia verba proferunt, sed quantum vrgeat omnium istorum authoritas, statim exponam.

S. Thom.

Bonauen.

Angelus.

Probatur.

Probant, necessariam esse formalem, & explicitam aduertentiã malitiæ, quia in deliberatione, & consulatione, vt non sit processus in infinitũ, necesse est, esse aliquod primum principium, à quo procedat discursus; hoc autẽ primum oportet esse in eodem genere, in quo est conclusio consultationis, nam ex principijs vnius generis non potest procedi ad cõclusiones alterius; cum ergo consultatio sit in genere moris, & circa bonitatẽ, & malitiam moralem; necessarium est, vt primum principium sit aliqua cognitio, vel iudicium de bonitate & malitia morali, & quandiu nulla est talis aduertentia, actus non erit deliberatus. Et si ab his authoribus inquiras, an requirant aduertentiam, circa malitiam in genere, vel in particulari; respondẽt, sufficere aduertẽtiam de malitia in cõmuni, nam eo ipso quòd quis aduertit, vel dubitat aliquid esse peccatum, & sine maiori examine, & diligẽtia in eo complacet, exponit se periculo complacendi in mortali, quia nihil curat, an mortale sit.

Impugnatur.

Cæterùm, si bene attendatur hæc regula, falsa est & insufficiens; nec enim ad peccatum mortale, & potiori iure ad veniale, necessaria est semper explicita, & formalis aduertẽtia malitiæ, vel obligationis, vel periculi, nec etiam dubitatio; sed sæpe potest contingere, vt cum sola virtuali aduertentia malitiæ, sit plena, & perfecta deliberatio, quę sufficiat ad mortale, quia licèt non aduertatur, potest tamen aduerti. Hæc est expressa sententia Caietan. 2. 2. quæst. 88. artic. 1. qui docet, dupliciter posse aliquem actum esse deliberatum; vno modo ex collatione actuali circa ipsum, quia actu aduertit homo conditionem eius; alio modo ex virtuali collatione; & huius assignat duos modos; primum, quãdo precessit collatio, & aduertentia in causa, licẽt non sit in effectu; alterum, quando quis operatur sine aduertentia ex consuetudine, vel negligentia. Quando ergo in hac prima secundæ quæst. 6. art. 8. dixit, eum qui operatur ex actuali obliuione eorum, quæ habitu scit, non esse reum, intelligendus est de obliuione inculpabili, & vincibili; sæpe enim contingit, vt inaduertentia, & obliuio sit inculpabilis, quia deest non solùm formalis, sed virtualis aduertẽtia. Quãdo etiã in summa verbo *Delectatio* dicit, vt delectatio sit deliberata, oportere, vt homo aduertat quid faciat, eodẽ modo exponendus est. Est etiã hæc sentẽtia Cordubensis, qui in lib. 1. quæst. 23. dub. 10. dixit, necessarium esse, vt homo aduertat quid facit, sed lib. 2. quæst. 17. dub. 1. expressè docet, peccatum non imputari, quãdo operamur ex obliuione eius, q̃ scimus, si obliuio nõ sit nobis culpabilis; si enim culpabilis est, imputatur. Idẽ sentit Nauarrus, apud quem in summa frequẽter inuenietur, Ilum peccare mortaliter, qui facit aliquod aduertens, vel potens & debens aduertere, esse peccatum. Sed præcipuè S. Thomas docuit in hac quæst. nam licèt art. 6. dicat, delectationem esse peccatum, quando quis deliberans motum appetitus esse de ordinatum, circa ipsum immoratur, sed hãc aduertentiam sufficientẽ esse, si sit virtualis, expressit artic. 7. dicens, ex hoc ipso, quòd ratio non dirigit actus humanos secundùm legem Dei, dicitur consentire, si ne cogitet de lege diuina, siue non. Quare, & ipse, & authores, pro opposita sentẽtia allegati, & si qui alij dicunt, requiri aduertentiã malitiæ, explicandi sunt de aduertentia virtuali, vel formali; non est tamen existimãdum aliquem ex probatis doctoribus negasse, absque formali, & expressa aduertentia posse esse peccatum mortale.

Cordu.

Nauarr.

S. Thom.

Authores qui illi aduersantur. Caietan.

Primũ argumentum.

Probatur autem euidenter falsitas illius regulę. Primò, quia ex ipsa sequitur non esse aliquam inaduertentiam malitiæ culpabilem: quia si requiritur actualis aduertentia, omnis inaduertentia malitiæ excusat, atque adeò ipsa excusatur, nisi enim esset excusabilis, non excularet; nihil autem magis receptum est, quã esse inaduertentiam, quæ imputetur ad culpam. Secundò, sequitur nullum esse peccatum mortale, quod non sit ex malitia; nam peccatum ex malitia est, quod procedit ex certa scientia, & aduertẽtia

Secũdum.

clara

clara malitiæ moralis, nec videtur quid amplius requiratur ad peccatum ex malitia, quàm duæ illæ conditiones, vt clarè aduertatur, & firmo iudicio discernatur. Tertiò, quia peccatū mortale potest esse cū ignorantia habituali malitiæ, vel obligationis, ergo potest esse cum inaduertentia actuali: consequētia patet, quia non minus requiritur ad hoc vt aliquod sit peccatum scientia habitualis, quàm actualis aduertentia. Quartò, quia ex opposita sententia sequitur, omnem qui peccat mortaliter, peccare cū actuali remorsu conscientiæ; nam si semper habet aduertētiam actualem malitiæ, habebit conscientiæ remorsum, cōsequēs autem est contra experientiam, & oppositum indicat Paul. 1. ad Thim. 4. de quibusdam, dicens, *Quicauterizatā habent conscientiam.* Quintò, experiētia ipsa, nā si quis delectetur in turpi cogitatione debestialitate, vel sodomia, & habeat liberum iudicium, quo plenè attēdat ad substantiam actus, & quo possit de alijs obiectis iudicare, & propter pravam consuetudinem nihil aduertat ad malitiam moralem, nullus audebit excusare eū à peccato mortali, idque nō solū in cogitatione, sed in opere ipso sępe cōtingit: sunt enim multi, qui penitus Dei & legis obliuiscūtur, & solū aspiciūt humana cōmoda, & delectationes, nihilpenitus deliberātes, an licitè, vel illicitè agāt, quos nescio, an aliquis sanæ mentis excuset à peccato. Hoc argumētū attigit Caietanus in secūdo casu. Primū verō de aduertētia in causa, nō vrget; quia possunt respondere, fuisse peccatum in causa, & non quando actu fit. Sextò denique probatur à priori, destruēdo oppositæ assertionis fundamentum; quia qui omittit quod potest, & tenetur, non excusatur, sed contingit, vt possit quis sufficiēter aduertere, esse obiectum illicitū, & teneatur, ergo licèt nō aduertat, minimè excusatur: patet minor, quia qui perfectè cognoscit substātiā actus, saltē in his, quę communissima sunt iuris naturæ principia, facilè potest aduertere malitiā, & si nō aduertit, sua negligētia & culpa fit, & ideò nō excusatur. Falsum est igitur, q̄ aduersarij assumūt, non esse principiū sufficiēs deliberationis, nisi sit iudiciū de moralitate actus, quia satis sufficiēs principiū est substātia ipsius, ex qua facilè deduci potest malitia, nisi cōsuetudo, aut negligētia pra-

Tertium.

Quartum.

1. *Thim.* 4.

Quintum.

Caiet.

Sextum.

ua diuertat.

Quia igitur illa regula non est firma, nec semper quærenda est aduertentia actualis malitiæ, vt perfecta sit deliberatio; existimo esse verum, & cōforme cōmuni modo sentiendi, & vsui, quod alij dicunt, ad perfectionem deliberationis aduertendum esse, vt iudicium sit expeditum, nec sit absortum & alligatū circa vnum obiectum, hoc autem non melius cognosci potest, quā si homo aduertat se habere perfectam reflexionem supra se ipsum, & posse respondere de re quam cogitat, & de alijs, si interrogetur, quo stante, aut cognosceret maliciam, aut perfectè cognosceret substantiam actus, ex qua facilè malitiam deduceret, nisi praua consuetudo, vel negligentia circa bonas operationes diuerteret.

Vera regula.

Ex dictis infero, id q̄ S. Tho. docet art. 6. ad 3. delectationem morosam, nō dici ex mora temporis, sed ex aduertentia rationis; ita intelligēdum esse, vt reuera mora temporis non efficiat per se delectationem morosam, sed qualitas iudicij, & aduertentię; nihilominus tamē mora temporis potest cōducere ad discernendam delectationem morosam à posteriori, nā humano more impossibile est moram tēporis esse magnā, & nō esse graue peccatū, nisi somnus, vel amentia interueniat: quia tanto tēpore, nō potest nō esse perfecta aduertentia.

Corell.

Supereſt diluere argumenta, quibus sententia Ochami probatur. Ad primum concedo actum illum esse liberum, & imputabilē, sed imperfectè, & incōpletè, & hæc libertas sicut imperfecta est, non sufficit vt imputetur in totum, sed ex parte, & ideò nō sufficit ad mortale, sed ad veniale. Ad confirmationem nego deliberationem, quæ sufficit ad veniale, sufficere ad mortale, quia sit plena virtualiter. Et ad probationem cōcedo esse obligationem deliberandi, sed non est potentia ad perfectè deliberandum: quia vel tēporis breuitas, vel aliquod impedimentum ligat intellectū: quando verò obijcitur, nūquam esse potentiam ad deliberādum circa veniale, quin etiam, & potiūs sit circa mortale, distinguendum est; nam vsus rationis & potentia ad deliberandum potest considerari dupliciter, vno modo quantùm est ex vi ipsius potētię, & hac ratione verū est non esse vsum rationis ad veniale, quin sit ad mortale peccatū, vt argumē-

Argumenta Ochami dilluūtur.

Ad primū

Ad secundum.

tum

tum probat: alio verò modo secundùm applicationem ad exercitium, & hac ratione potest esse sufficiens deliberatio ad veniale, & non ad mortale; quia contingit ex aliquo impedimento, quo implicatur liber rationis vsus, vt imperfecta, & non perfecta deliberatio sit. Quã doctrinam fusiùs explicabimus quæstione 89.

Aduertiũ Aduertium negandum est, veniale ex genere ob deliberationẽ imperfectam fieri nullum: nam licet sit leuius, non extra it ur à ratione peccati, si omnino nõ deest deliberatio. Falsum est, autem maiorem esse distantiam inter peccatum mortale, & veniale, quàm inter veniale, & nullum: quamuis enim in reatu & pœna maior distantia sit, & quæ dicitur à multis infinita, sed non in natura & ratione peccati, quia distantia inter peccatum, & non peccatum, est sicut inter ens, & non ens, inter veniale verò & mortale, sicut inter duo entia: inter ens autẽ, & nõ ens, est maior, quã inter duo entia.

MEMBRVM SECVNDVM.

Qualis consensus voluntatis requiratur, vt delectatio morosa sit peccatũ.

ADuertendum est, tripliciter posse voluntatem se habere circa cogitationem de re illicita, & circa affectus & motus naturales, postquàm plenè aduertit ipsos intellectus. Primò, vt expressè consentiat, & delectetur; secundò, vt expressè dissentiat, & conetur eos reprimere, & tertiò vt suspẽsa maneat, nec dissentiens, nec consentiens. Si primum aut secundum præstet, nulla est difficultas: nam si expressè consentiat certum est peccare, si dissentiat, nullum est peccatum, & potest esse meritum. Tota ergo difficultas est, quando voluntas permittit eos motus, nec consentiens, nec dissentiens. Sunt qui opinentur, tunc esse peccatum mortale, quia voluntas censetur virtute consensisse, quia omittit quod potest, & tenetur. Hoc indicat Caietan. artic. 4. huius quæstionis, vbi cõfutat quosdam, qui asserebant, peccatum mortale esse, quando voluntas imperat motus sensualitatis, veniale verò, quando non reprimit: quam sententiam ille reijcit, quia non reprimere, est virtualiter imperare, vel consentire: indicat etiam Sylvest. verbo, *delectatio*, num. 2. dicto 4. & tribuitur Sancto Thomæ hic artic. 6. immeritò tamen, vt statim ostendam, tribuitur Bonau. Henrico & Marsil. quos omitto, quia nihil clarè dicunt.

Punctus difficultatis.

Quorundã opinio.

Caietan.

Sylvest.

Non est tamen hæc sententia absolutè vera, & verior est doctrina eiusdem Caietan. in summa verb. *delectatio*, & *Caieta.* Nauarri in summa c. 17. num. 12. & super capit. *cogitationis*, de pœnitentia distinct. 1. num. 12. & Cordubæ lib. 1. quæst. 29. dubio. 9. part. 2. quam etiam indicat *Nauarrus.* Adrian. in 4. de Eucharist. quæst. 4. quæ incipit, *quia dictum est, Respondeo.* Quos & alios imitans, & eorum sententiam ampliùs explicans, hanc conclusionem statuo. *Cordub.* *Adrian.*

Conclusio.

Si voluntas non consentiat in obiectum, licet permittat motum inordinatum, vel cogitationem turpem, non est peccatum mortale, sed ad summum veniale, & aliquando nullum. Declaro singula, si enim voluntas non reprimat hos motus, quia eos paruipendet, vel propter aliquem finem peccati venialis, puta, quia non vult desistere à lectione, vel aspectu alicuius rei ex qua oriuntur, quæ tamen lectio, vel aspectus veniale peccatum est, peccatum veniale erit eos permittere, si autem negligat reprimere propter iustam causam, v. g. ne desistat à studio vtili, vel necessariò, & ne omittat audire confessiones, vel assistere infirmo, nullum erit peccatum. Est autem conclusio intelligenda secundùm id quod per se, & ex natura rei contingit, nã ex circunstantijs potest esse peccatũ mortale, si ex permissione taliũ motuum esset periculum probabile consensus in obiectum. Non est quidem necessarium, vt qui permittit motum, vel cogitationem, in eius obiectum, vel actum cogitatum consentiat, sed si se exponit periculo consensus, ratione periculi peccatum mortale erit. Probatur autẽ assertum: nam non est quare sola permissio istorum motuũ censeatur peccatum mortale sine consensu in obiectum: quia deordinatio non attingit voluntatem & tantùm cõsensus fertur in hoc, vt deordinatio sit in aliqua alia potentia, quod non est tam graue, vt possit censeri peccatum mortale. Hæc est doctrina S. Thomæ in artic. 4. quando in sensualitate cõstituit peccatũ veniale tãtũ, & nõ mortale, quia sola sensualitas nõ auertit hominẽ simpliciter ab vltimo fine nisi etiã vo-

S. Thom.

luntas auertatur. Et confirmatur, quoniam vt modò dicebamus, contingeret posse, hos motus permitti propter iustam causam absque vlla culpa, & in hoc conueniunt nobiscum authores primæ sententiæ, ergo etiam si absque causa iusta permittantur otiosè, vel ex causa veniali, non erit peccatum mortale: quia quod per se malum est, propter nullum finem potest iustè fieri, si ergo aliquando contingit hanc permissionem esse licitam, ex genere suo non est mala. Sic exponendus est Sanctus Thomas articul. 6. huius quæstionis, qui affirmat, dupliciter delectationem morosam esse peccatum: vno modo, quando voluntas mouet, & imperat illicitos motus, alio modo, quando non reprimit hunc verò secundum modum his verbis explicuit. *Alio modo quando non reprimit illicitum passionis motum, sicut cum quis postquam aduertit, quòd motus passionis insurgens est inordinatus, circa eum immoratur, & ipsum non expellit.* Non dixit tantùm. *Non expellit*, sed *circa eum immoratur*. Ideſt eius obiecto consentit: & in solutione ad tertium dixit, *nec tamen eum expellit, tenens, & voluens libenter, quæ statim, vt attigerunt animum, respui debuerunt*; quæ verba etiam sunt Augustini. Certè tenere & voluere aliquod amplius significant, quàm non reprimere: scilicet in obiectum consentire.

S. Thom.

Euertitur oppositum fundamentum.

Ex quibus euertitur fundamentum contrariæ sententiæ, facere enim esse voluntarios eos motus, & voluntatem consentire virtualiter vt sint, & perseuerent; hæc tamen non est deordinatio sufficiens ad peccatum mortale, quandiu voluntas non acceptat obiectum ipsum. Aduerte eandem esse rationem de motibus inordinatis membrorum exteriorum quando fuerint naturales, possunt enim licitè permitti ob iustam causam, & si permittantur otiosè, non erit peccatum mortale, seclusis alijs periculis. Dices, ergò, non peccat mulier permittens se ab alio cognosci, si dissentiat interiùs? Respondetur negando consequentiam, nam permissio illa mulieris, quæ patitur se cognosci, fertur in actum completum, & nõ in solũ motum deordinatum, & in actum qui non procedit à causa merè naturali, sed à causa libera, quam si potest, tenetur impedire, & ideò propter nullum finem potest licitè permittere.

Disput. XXVIII.

MEMBRVM TERTIVM.

Vtrum malitia delectationis morosæ malitiæ obiecti adæquetur.

SVper est discutere an delectatio morosa adæquetur malitiæ obiecti. Prima sententia est quorundam antiquorum quos refert Sanctus Thomas artic. 8. qui dicebant, delectationem, quæ consequitur cogitationem de re illicita, etiam si respiciat rem ipsam, dummodo absit propositum exequendi opus, quod cogitatur, non esse peccatum mortale, etiam si obiectum sit peccatum mortale. Hæc sententia tribuitur Martino de Magistris in tract. de temperantia quæstio. 3. de luxuria, vbi multa improbabilia docet. Eandem probabilem reputat Corduba lib. 1. quæst. 23. dub. 11. & licet asserat oppositam esse probabilem, si tamen attentè considerentur quæ dicit, hanc solam amplectitur. Nam non putat oppositam esse veram, nisi ratione periculi consensus in executionem operis existimat ergo delectationem ipsam, seclusa hoc periculo, non esse peccatum mortale. Hæc sententia nullo innititur firmo fundamento, præter ea quæ Sanctus Thomas soluit in litera, quædam enim argumenta quæ Cordub. adducit leuia sunt.

Prima sententia.

Martin. de Magist.

Corduba.

Secunda sententia est, quorundam recentiorum, qui concedunt delectationem morosam, non adæquari obiecto, nec commensurari malitiæ eius, sed posse esse maiorem, vel minorem quàm sit malitia eius. Vt melius explicent suam sententiam distinguunt duo genera actuum voluntatis, aliud est actuum efficacium, quales sunt qui respiciunt executionem, aliud est actuum inefficacium, qui sunt simplices affectus in obiecta, citra executionem, de quorum numero est delectatio morosa. Quo supposito quatuor asserunt. Primum. Omne desiderium & actus efficax inducit adæquatè malitiam, & bonitatem obiecti; vt si obiectũ sit licitum, desiderium sit licitum, & si sit peccatum mortale, desiderium sit peccatum mortale, & si fuerit veniale desiderium sit veniale. Secundum. In delectationibus internis, & simplicibus affectibus, non est regula generalis, vt talis sit delectatio, quale est obiectum. Discrimen in-

Secũda sententia noua. Vaz. disp. 109. sect. 112.

Explicatur & probatur.

ter hos, & illos actus probant, quia desiderium est causa operis, & ideò malitia operis refunditur in ipsum; at verò actus inefficax, & simplex affectus non est causa, & ideò videtur non esse necessarium, vt operis malitiam participet. Hinc inferunt tertium, posse contingere, vt delectatio de opere, quod est peccatum mortale, non sit peccatum mortale, & è conuerso delectatio de opere licito, aliquando peccatum mortale sit. Probant exemplis. *Exempla.* Nam delectatio de spectatione duelli, vel ludi qui ex natura rei est illicitus, à nemine censetur mortalis, & tamen opera ipsa peccata mortalia sunt. Et si religiosus delectaretur cogitans se erogare multâ pecuniâ, & facere magnos sumptus, non peccaret mortaliter; peccaret tamen si desideraret hos sumptus efficaciter. Sic etiâ quâuis comestio carniũ in die veneris sit peccatum mortale, non peccat mortaliter, qui delectatur de esu carnium cogitato eadem die. Et vice versa peccatum mortale videtur esse delectatio viduæ de actibus coniugalibus præteritis, si sit affectu venereo, & delectatio de effusione sanguinis iusta, si fiat affectu crudelitatis. Tristitia etiam, vel odium obiecti boni, licet sit præceptum non semper mala sunt; nam potest aliquis habere actum inefficacem displicentiæ, vel tristitiæ de ieiunio, aut alio actu præcepto, & Christus Dominus habuit tristitiam de morte quæ erat bona, & sibi præcepta.

Si autem inquiras, quæ ergo regula obseruanda est, vt discernamus, quando delectatio morosa, & cæteri simplices affectus, sunt peccata. Respondet quarto asserto, hos actus non esse regulandos obiecto, de quo sũt, sed formali motiuo quod respiciunt; attendendo, an illud habeat oppositionem cum aliqua virtute, an nõ, vt ex dignitate, & obligatione virtutis iudicetur qualitas peccati, qua regula inueniunt rationem peccati in delectatione de obiectis licitis, & excusant à peccato delectationem de obiectis illicitis.

Tertia sententia. Tertia sententia est, omnem delectationẽ, quæ est de opere illicito, quod est prohibitum iure naturæ, habere eam malitiam, quam habet ipsum opus, delectationem verò de opere prohibito iure positiuo non esse mortalem, etiam si opus sit mortale. Hæc sententia tribuitur Cordubæ lib. 2. q. 3. & Martino de Ledesma 1. p. 4. q. 21. art. 6. & Adriano quodlib. 10. *Cordub. Ledesma. Adria.* art. 2. Sed non loquuntur de delectatione absoluta, sed de conditionali, si quis consentiat, vel delectetur sub conditione, si opus non esset prohibitum, qui casus inferiûs â nobis tractandus est. Absolutè tamen id docet Gab. in 4. dist. 15. q. 13. artic. 3. dub. 3. cum quodam summista quem allegat. *Gabr.* Probatur primò, exemplo delectationis de cogitatione esus carnium in die veneris. Secundò, quia cum malitia his actibus, qui sunt prohibiti iure positiuo, nõ sit essentialis, sed extrinseca, videtur posse esse delectationẽ de substantia actus, quin feratur in malitiam eius, & nisi expressè & formaliter feratur in malitiam, non esse peccatum; nec est eadem ratio de his quæ sunt prohibita iure naturæ, quia malitia est intrinseca, & inseparabilis â substantia actus. Tertiò probatur ex benignitate legum, nam nimis rigidum esset, si leges humanæ prohibendo opera, prohiberent etiam internas delectationes. *Probatur. Primò. Secundò. Tertiò.*

Sed communis & vera sententia est, vniuersè, & sine differentia delectationem morosam, & omnem simplicem affectum accipere malitiam ab obiecto, & omnem delectationem de opere mortali esse mortalem. Id asserit expressè Sanct. Thom. art. 8. nam licet in corpore videatur loqui speciatim de delectatione venerea, & in materia luxuriæ, sed in solut. ad. 5. dicit esse idem iudicium de delectatione homicidij, idem docuit. 2. 2. quæst. 154. art. 4. & quæst. 15. de veritate art. 4. & quæst. 15. de malo art. 2. ad 16. & 17. & supra quæst. 34. artic. 1. & 2. Alexand. 2. p. quæst. 109. memb. 11. Alij scholastici, vel in 2. dist. 24. vbi Durand. quæst. 6. Bonau. dub. 4. circa text. in. 2. part. distinctionis & artic. 2. quæst. 2. & Ricard. art. 4. quæst. 4. vel in dist. 42. vbi Scotus quæst. 1. §. *sequitur*, Sylvest. verbo, *delectatio*, nu. 2. Armilla eodem verbo num. 2. Angelus verbo *cogitatio*, num. 2. Tabiena, eodem verbo nume. 2. & 6. Caietanus in summa verbo, *delectatio*, §. *rursus ex parte rei*, & tomo 1. opusculorum tract. 14. Nauarr. in summa cap. 11. num. 12. & capit. 16. num. 9. & super cap. *Cogitationis*, de pœnitentia dist. 1. num. 12. Petrus de Soto in institutione sacerdotum tractat. de peccatorum discrimine, lectione. 8. & 9. Anton. 2. parte titulo. 5. capite. 1. §. 5. & Ioann. de Medina in Codice de restitutione quæstione. 21. vbi expressè reijcit distinctionem qua vtitur tertia sententia de prohibitis *S. Thom. Alex. Dur. Bonau. Ricard. Scotus. Sylvest. Armilla. Angelus. Caieta. Nauarr. Petrus à Soto. Antonin. Ioã. Med. Prima cõclusio.*

hibitis, iure positiuo, vel naturali.

Dico primò. Delectatio morosa, & quicunque affectus siue efficax, siue inefficax, siue habeat ordinem ad executionem, siue sit simplex complacentia, sequitur malitiam obiecti, ita vt si sit de opere illicito sit peccatum, & nulla ratione possit excusari. Hæc conclusio est contra secundam sententiam. Probatur generali principio, & per se noto, actus recipit bonitatem, vel malitiam ab obiecto. Quod tradidit Sanctus Thomas supra quæst. 18. & 19. & de delectationibus speciatim quæst. 34. articu. 1. & 2. de quibus idem dicit Aristot. 10. Ethicor. capit. 3. & capit. 5. *Cum* (inquit) *operationes probitate differant, atque improbitate, & aliæ quidem sint expetendæ, aliæ verò fugiendæ, similiter se habent & voluptates, nam vnicuiq; operationi est propria quædam voluptas.* Consonant verba Oseæ. capit. 9. *Facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt.* Et Proverb. 2. reprehenduntur, qui exultant in rebus pessimis. Idem principium ratione confirmatur. Quia cum actus essentialiter pendeat ab obiecto, & ab ipso recipiat entitatem nulla ratione fieri potest, vt non participet bonitatem, vel malitiam ipsius. Et videtur adeò euidens, vt si rusticus interrogetur, an cõplacere in malo, sit malum, non video quid aliud responderet, quàm esse.

Probatur. Primo. *S. Thom.* *Arist.* *Oseæ. 9.* *Prouer. 2.*

Sed præterea ex concessis ab opposita sententia sic argumentor. Omne desiderium operis praui est peccatum, ergo & simplex complacentia. Illa verò disparitas, quòd desiderium est causa operis, simplex verò complacentia non est, facilè impugnatur. Nam desiderium, non ideò est malum, quia est causa operis, sed quia respicit opus vt obiectum, aut certè potius est malum, quia respicit illud vt obiectum, quàm quia est causa; sed simplex complacentia respicit actum malum vt obiectum, ergo ab eo participat malitiam. Maiorem propositionem probo, tum, quia si desiderium precisse haberet malitiam, quia est causa operis mali, non haberet illam formaliter, sed de nominatione extrinseca, quo modo medicina dicitur sana, quando est causa sanitatis, quis verò negare potest desiderium de opere illicito, esse illicitum, & malum formaliter, & intrinsicè; tum etiam, quia si actus non recipit malitiam ob obiecto, nisi quando est causa illius, sequeretur, non solum delectationem quæ est de opere cogitato, non commensurari malitiæ operis, sed neque etiam delectationem, quæ est de opere perpetrato: hæc enim est posterior ipso opere, & non est causa eius, quod absurdum est. Si enim quis de commisso homicidio delectetur certum est grauissimè peccare: ac denique, quia si actus recipit malitiam ab effectu, eò quòd est causa eius, ergo ab obiecto; nam intimius respicit obiectum, quàm effectum; obiectum enim ad essentiam, effectus ad circunstantiam pertinet.

Secundo.

Tertiò si complacentiæ simplices non accipiunt malitiam ab obiecto, à quo accipiunt? Respondent regulandas esse ex motiuis propter quæ quis delectatur. Id verò est dicere hos affectus accipere malitiam ab obiectis, non materialibus, sed formalibus, motiua enim obiecta formalia sunt. Contra quod vrgeo, nam ad malitiam actus, non solùm considerandæ est malitia motiui, sed etiam obiecti materialis, tum ex communi regula bonum ex integra causa, &c. propter quam etiam circunstantiæ valde extrinsecæ vt loci, & temporis, possunt vitiare actum, plus ergo obiectum materiale. Præterea inferri potest manifestum absurdum licitam esse delectationem de furto ex motiuo misericordiæ, quia motiuum est optimum licet obiectum materiale sit prauum.

Tertio.

In hac cõclusione loquutus sum de malitia, quam delectatio morosa sumit ab obiecto. Si quis verò inquirat an eadem ratio sit de bonitate; dicendum est esse eandem rationem. Nam si obiectum sit bonum, delectatio quantum est ex vi illius licita est. Potest tamen contingere vt aliunde reddatur mala, nam potest vitiari, vel ex motiuo vt si quis delectetur de iusta occisione inimici propter vindictam; vel ex alia circunstantia, malum enim ex quocunque defectu prouenit. Quare hoc solum est discriminis, quòd licet delectatio de malo obiecto, non possit reddi bona ex honesto fine, & motiuo; delectatio tamen de obiecto bono potest ex malo fine, vel alia circunstantia infici.

Aduert.

Dico secundò, delectatio non solum sequitur malitiam operis, circa quod versatur, sed quantitatem & mensuram, etiã si desit propositum procedendi ad opus, erit enim peccatũ mortale, si actus de quo delectatur peccatũ mortale sit, quamuis

Secũda cõclusio.

sit

Probatur. Primò.

sit leuius, quàm si esset propositum executionis. Hæc conclusio in primis colligitur ex sacra Scriptura, nam Iob. 31. dicitur, *pepigi fœdus cum oculis meis, vt nec cogitarem quidem de virgine*, addit glossa interlinearis. *Cum consensu delectationis.* Et vt constet esse peccatum mortale sub ditur. *quam enim partē haberet in me Deus.*

Iob. 31.

Matth. 5.

Et Matth. 5. *Qui viderit mulierem, ad concupiscendum eam, iam mœchatus est in corde suo.* Mœchatus est, idest contraxit Mœchiæ reatum. In quem locum Chrisosto. *Non enim id circo Christus Dominus aduenisse contentus est, vt solummodo corpus à malis actibus, sed etiam animam ab huiusmodi cogitationibus auerteret, & propterea non dixit, qui concupierit ad adulterandum, sed qui viderit ad concupiscendum.* Idem etiam docent Patres, Isidorus lib. 2. sententiarum, vel de summo bono cap. 39. sententia 17. *Si plus oblectat mentem delectatio fornicationis, quàm amor castitatis, adhuc peccatum regnat in homine.* Gregor. 21. Moral. capit. 3. & Bernard. in libro de interiori domo cap. 40. mutuatis verbis. *Cogitatio immunda non inquinat animam cum pulsat, sed cum eam sibi per delectationem subiugat.* Et omnium clarissimè August. 12. de Trinitat. capit. 12. *Totus homo damnabitur, nisi hæc, quæ sine voluntate talia opere exequendi, cum voluntate tamen animum in his delectandi, solius cogitationis noscuntur esse peccata, per Mediatoris gratiam remissa fuerint.* Respondet Corduba, hoc verbum, damnari, apud Augustin. non semper significare damnationem æternam, nam aliquando tribuitur peccatis venialibus. Idem enim Augustin. in lib. de mendatio capit. 6. dicit omnem, qui mentitur amittere vitam æternam, & damnari, cum tamen mendatium regulariter sit veniale peccatum, interpretatur ergo hic author illud verbum, vt significet damnationem ad tempus, quæ est in purgatorio. Sed violenta expositio est: nam damnatio absolutè, æternam damnationem significat. Quod verò Augustinus de mendatio dixit, non assertiuè, sed disputando protulit, quomodo plura illius libri accipienda esse ipse admonuit capit. 9. & primo libro retractat. capit. vltimo. Respondent alij, hanc delectationem Augustino esse venialem, quia ibidem dicit, pro his peccatis petendam esse veniam, & dicendam orationem Dominicam: in Enchiridio tamen capitul. 71. monet, Dominicam orationem dicendam esse pro peccatis venialibus. Sed hæc est leuis coniectura, nam vt Sanctus Thomas in solutione ad 6. articul. 8. aduertit, etiam pro peccatis mortalibus dicenda est oratio Dominica, quod Augustinus illo capitul. 71. expressit, *Delet*, inquit, *omnino hæc oratio minima, & quotidiana peccata, delet & illa, à quibus vita fidelium scelerate gesta, sed pœnitendo in melius mutata, discedit.*

Primò.

Secundò. Isidor.

Gregor. Bernard.

August.

Testimonium Augusti. elicit Corduba.

Retunditur.

Alterum. Euasio.

Insufficiens.

Ratio verò conclusionis est, quia delectatio de re illicita, non potest esse, quin voluntas habeat inclinationem, & adhæsionem ad obiectum illicitum, nullus enim delectatur nisi de obiectis quæ amat, quod autem voluntas deliberatè adhæreat obiectis illicitis, & mortalibus, graue est, & deordinatio hominis maxima, quare cessante omni periculo consensus in executionem operis, se sola, & natura sua mortalis est.

Tertiò.

Exponitur secunda cõclusio.

Est tamen hæc conclusio intelligenda quando delectatio est de re cogitata, non verò de cogitatione ipsa. De delectatione enim in sola cogitatione, dico tertiò. Non est peccatum mortale ex genere, sed aliquando est veniale, quando est otiosa, aliquando verò nullum, quando est propter honestum finem, vt docet Sanctus Thomas articulo. 8. Ratio differentiæ manifesta est, nam cogitatio, etiam si sit de re illicita, natura sua non est peccatum, quemadmodum enim non est peccatum scire illicita, ita etiam nec cogitare: ergo delectatio quæ per se respicit cogitationem, non est de obiecto illicito. Erit ergò peccatum ex fine extrinseco, vel ob defectum debiti finis, vel ratione periculi, vel ob aliam circumstantiam. Quod dictum est de delectatione cogitationis, intelligendum est de delectatione visionis, vel lectionis. Si autem inquiras qua ratione dignoscetur, quando delectatio est de cogitatione, vel de re cogitata. Respondetur. facilè aduerti posse; nam delectatio de cogitatione, vel visione oritur ex appetitu cognoscendi, & ex animo inclinato ad speculationem, delectatio autem de re cogitata habet ordinem ad rem ipsam.

Tertia cõclusio.

S. Thom.

Quarta cõclusio.

Dico quarto, nulla est differentia inter ea, quæ sunt prohibita iure positiuo, vel naturali, sed doctrina tradita vera est vniuersè in omnibus quæ illicita sunt. Probatur, nam fundamentum nostræ doctrinæ est, quia actus sumunt ab obiecto malitiam, quod eodem

modo vrget in his quæ mala sunt natura sua, & quæ mala sunt prohibitione iuris positiui.

Satisfit argumentis secũda sententia.

Ex dictis facilè occurri potest argumẽtis 3. & 2. sententiæ. Et vt à secunda incipiamus, primò constat, differentiam illã inter actus efficaces, & inefficaces, futilẽ esse. Deinde, quia pluribus exemplis vtitur singula expendenda sunt. Primum est eius qui delectatur aspiciens duellũ, vel ludum illicitum, vel bellum iniustum, vel aliam actionem illicitã; de quo ita censendum est. Si delectetur de re ipsa illicita, absque dubio peccat. Potest tamen delectatio eius non esse peccatum, dupliciter. Primò, si delectetur de sola visione, hæc enim delectatio eiusdem rationis est, ac delectatio de cogitatione. Secũdò, si delectatio sit de aliquo modo, vel conditione accidentali illiciti actus, quæ non sit illicita, vt de dexteritate, vel fortitudine pugnantis, vel de aliqua subtilitate, & ingenioso modo operandi. Id docent Sylvester verbo *ludus*, q. 8. & verbo *curiositas*, q. 3. Caiet. & Petrus de Soto supra, & Antoninus 2. p. tit. 3. cap. 7. §. 6. & est communis resolutio. Qua excusari possunt, qui audiunt comædias, vel legunt libros in quibus res turpes, & facinora repræsentãtur. Si enim delectatio sistat in repræsentatione ipsa, & non procedat ad rem repræsentatam, & absit periculum consensus in actus ipsos, non est peccatum mortale.

Primũ exẽplum expẽditur.

Sylvest. Caiet. Petrus à Soto. Anton. Nota.

Secundum exẽplum.

Secundum exemplum est de esu carnis in die veneris, de quo facilè dicitur. Si circunstantia diei veneris teneat se ex parte obiecti delectationis absque dubio peccatum mortale esse, si autem sit conditio sola delectationis, vt circunstantia temporis quo mensuratur, non esse peccatum mortale, quia in die veneris vsus carnium est prohibitus, & non delectatio de cogitatione. In tertiò exẽplo de religioso qui delectatur in magnis sumptibus, cõsiderare oportet an ex parte obiecti includatur tales sũptus fieri in statu religionis in quo sunt illiciti, sic enim peccat mortaliter: si autem delectatio sit de sumptibus absolutè, abstrahendo ab executione, vel à qualitate personæ erogantis non est mortalis. Quartum exemplum de vidua specialem disputationem requirit. Ad quintum eius qui delectatur de occisione iusta affectu crudelitatis, respondetur, delectationẽ istam reuera esse illicitam, quia licet sit de obie-

Tertium.

Quartum & quintũ.

&o licito, motiuum tamen illicitum est. Vltimum de actibus odij, vel tristitiæ circa obiecta bona, ex quo arguebatur à simili, posse esse delectationem de obiecto malo, quæ non sit illicita, non vrget: nam concesso assumpto negamus paritatem rationis, quia in illis bonis, aut præceptis est aliquid homini incommodum, quod inefficaci actu potest displicere, & volũtate, quam vocant antecedentem; nec displicet ipsa bonitas secundùm se; in actu autem malo quæcunque ratio boni inueniatur nõ sufficit facere affectum bonũ, quia semper ex obiecto malo vitiatur.

Vltimum.

Diluũtur argumenta. Tertiæ sententiæ.

Argumenta tertiæ sententiæ, non sunt efficacia. Ad secundum omisso primo, quod erat commune secundæ sententiæ, respõdetur, nihil referre si malitia actuũ qui iure positiuo prohibiti sunt, sit, vel non sit separabilis ab ipsis, nam delectatio fertur in ipsos habentes malitiam cũ scientia, & aduertentia illius, & sic obiectum malum est.

Ad tertium respõdetur, benignitatem legum, non excusare has delectationes, non enim directè prohibent ipsas, quod esset rigidum, & excedit facultatem legum humanarum, sed prohibẽt actus, ex quo sequitur, vt delectationes, & quicunque affectus circa eos reddãtur illiciti.

DVBIVM APPENDIX.

De delectatione viduæ.

SEd sunt tria dubia huic disputationi annexa, quæ oriuntur ex doctrina tradita. Primum est, an delectatio, quam percipit vidua de actibus præteritis, quos honestauit matrimonium, sit licita: eadem dubitatio est de delectatione sponsi de actibus futuris, & delectatione de actibus cogitatis coniugis absentis. Authores secundæ sententiæ affirmant, has delectationes esse peccatum mortale in viduis & sponsis, quia regulãdæ sunt ex motiuo, & motiuum est venereum extra actũ matrimonij, ꝙ mortale est. Excusant tamẽ delectationes cõiugis absentis. Sed falsa est hæc doctrina, nã delectatio venerea siue in opere, siue in cogitatione, si ex parte obiecti includat matrimoniũ, non est mortalis, hac enim sola ratione excusantur cõiuges absentes: nã in eorum delectatione tãtùm includitur matrimonij vsus ex parte obiecti. Alij dicũt in his esse peccatũ mortale, quia delectationes nõ sũt proportionatæ obiectilẽ

Prima opinio. Vazq. d. s. 113. 114.

Secunda.

obiecta

obiecta enim sunt præterita, vel futura, delectationes autem sunt præsentes. Et in hoc constituunt differentiam inter delectationes, & desideria horum actuum, nam desideria feruntur in ipsos vt futuros: delectationes autem vt præsentes & ideò desideria sunt licita, delectationes verò minimè. Sed hæc etiam sententia falsa est, nam delectationes præsentes feruntur in obiecta, quæ præsentia sunt cogitatione, licet re ipsa sint præterita, vel futura, quæ quia cogitatione fiunt præsentia, non fiunt mala; & ideò semper delectatio habet obiectum bonum.

Vera & communis assertio.

Vera est ergo communis sententia, quæ asserit eiusdem bonitatis, & malitiæ esse has delectationes, cum actibus ipsis, de quibus sunt, vt sicut ipse actus matrimonij, si fiat debito fine generationis prolis nullum est peccatum, sed actus bonus, & si fiat fine voluptatis, est tantùm peccatum veniale; ita delectationes quæ feruntur in ipsum, vt repræsentatum cogitatione, aut nullum, aut veniale peccatum sunt. Id affirmant Paludan. in 4. dist. 9. quæst. 3. Sylvest. verbo *delectatio* quæst. 3. Angelus verbo *cogitatio*, n. 2. Armilla. verbo *delectatio*, nume. 3. Caietan. in summa eodem verbo & tom. 3. opusculorum tractat. 14. capit. 2. Nauarr. in summa capit. 16. nume. 11. & super capitulum *si cui*, de pœnitentia distinct. 5. nume. 2. Petrus à Soto vbi supra lectio. 9. Cordub. lib. 1. quæst. 23. dubio 13. & Sanctus Thomas satis expressè quæst. 15. de malo articulo 2. ad 17. vbi ait. *Sicut carnalis commixtio non est peccatum mortale coniugato, est autem peccatum mortale non coniugato, similis differentia est de delectatione, & consensu in delectationem. Non enim potest esse grauius peccatum consensus in delectationem, quàm consensus in actum, vt patet per Augustinum 12. de Trinit.* Quæ sententia facilè probatur, quia delectationes istæ pensandæ sunt ex obiectis, si non interuenit aliqua circunstantia quæ reddat eas malas. Adde, licet desiderare hos actus futuros, & approbare præteritos; ergo licet complacere in illis. Et licet authores supra allegati loquantur solum de delectatione viduæ, sed eadem ratio est de cæteris, vt aduertit Medina articul. 8. Falsum est enim quod aliqui dicunt Caietan. Cordub. Nauarr. oppositum sentire de sponsis, solum enim negant, licitam esse delectationem sub conditione, si esset mea vxor; hoc autem longe diuersum est; aliud est enim delectari de actu cum ea, quæ reuera est futura vxor, quod contingit sponsis; aliud verò sub conditione si esset.

Paluda. Sylvest. Angelus. Armilla. Caietan. Nauarr.

Petrus à Soto. Cordub. S. Thom.

Medina.

Veruntamen Sylvest. Caietan. Cordub. & Nauarr. limitant illam sententiam de delectatione, quæ consistit in sola voluntate; nam delectationem, & concupiscentiam appetitus sensitiui, dicunt esse illicitam. Limitant secundò, vt verificetur quantum est ex se, concedunt tamen posse fieri mortalem ratione alicuius effectus consequentis, & annexi, & assignant quatuor. Primum, si hanc delectationem voluntatis consequatur motus concupiscentiæ, & delectationis in appetitu sensitiuo. Secundum, si ex ea immineat periculum desiderij, vel consensus in eosdem actus extra matrimonium. Tertium, si immineat periculum pollutionis. Quartũ, si ex his cogitationibus insurgant motus turpes in carne cum voluptate. Ex his quatuor effectibus, secundus & tertius admittendi sunt, & non est dubium quin sint circunstantiæ, quibus delectationes efficiantur mortales. Primus non est admittendus. Nec video, quo fundamento isti authores distinguant inter delectationem voluntatis, & appetitus. Non enim est maior ratio vnius, quàm alterius; & quandocunque voluntas bene dirigitur, circa aliquod obiectum, appetitus sensitiuus illam sequens, non potest non esse bonus, imò facilius excusatur actus appetitus, quàm voluntatis. Quartus autem admitti potest si tales immutationes carnis magnæ sint, & vrgentes etiam si non perueniant ad pollutionem: nam grauiores sunt hi motus impudici in materia venerea, quã oscula, & tactus quæ sunt mortale peccatũ secus autem si leues sint & breuis durationis. Quanquàm ergo delectationes hæ absolutè licitę, aut leuia peccata sint, ad monendi sunt pœnitentes, vt ab eis abstineant, quia rarò excusantur à peccato veniali graui, & frequenter inducunt periculum mortalis.

Moderatio. Sylue. &c.

Ex parte reprobatur

Aduert.

SECVNDVM DVBIVM.

De delectatione sub conditione.

SEcundum est. Vtrum liceat de aliquo obiecto illicito delectari, sub conditione si esset licitum. Hæc conditio potest appo-

ni,

Videtur licita. ni, vel ex parte præcepti, si non esset prohibitum, vel ex parte materiæ, si esset mea vxor, &c. Ratio dubij est, quia addita conditione illa videtur auferri malitia obiecti. *Prima.* Præterea, licet desiderare hos actus sub conditione, saltem inefficaciter, ergo licet gaudere de illis. *Secunda.*

Cõmunis assertio. Caiet. Nauarr. Cordub. Petrus à Soto. Armilla. Sed communis doctrina censet has delectationes esse illicitas. Id docent Caiet. Nauarr. Cordub. Petrus à Soto & Armilla, vbi sup. & alij. Probatur, quia de obiecto sub conditione, non potest esse delectatio, nam conditionalis cum nihil ponat in esse, non sufficit vt obiectum appareat præsens, & possessum, quod ad delectationem requiritur. Quare qui putat se conditionaliter delectari, fallitur. Si enim verè delectatur, delectatio est absoluta, & non cõditionata. Idem censeo de desiderio, & in vniuersum de omni actu voluntatis, non enim potest esse actus voluntatis, de obiecto sub conditione, quia conditio cum non subsistat, non apponit bonitatem, vel appetibilitatem obiecto. Si quæ autem apparent volitiones, aut desideraria conditionata, non feruntur in obiecta ipsa, sed in appositionem conditionis. Aliud enim est desiderare, vt alicui obiecto addatur id, vnde fieret bonum, & licitum: aliud desiderare obiectũ ipsum, si haberet illam conditionem. Potest desiderari, vt aliquid non sit prohibitum, & vt illa sit vxor, vel actu efficaci, si est possibile, vel inefficaci, si est impossibile; res autem ipsæ sub conditione desiderari non possunt, & minùs in eis conditionaliter delectari. Porrò desiderium, vt aliquid non sit prohibitum, aliquando est illicitum, cum malitia est penitus inseparabilis à substantia actus, nec enim licitum est, desiderare, vt fas sit blasphemare Deum: aliquando licitum est, vt desidera re non esse prohibitum esum carnium, vel quid simile, quod ex natura rei non est malum, sed positiuo iure.

TERTIVM DVBIVM.

De *delectatione de peccato, quod propter ignorantiam excusatur.*

TErtium dubium est. Vtrum liceat delectari, de aliquo actu illicito, in quo interuenit ignorantia inculpabilis, vel aliqua aliqua ratione fuit inuoluntarius. Ex vna parte videtur eam delectationem esse licitã siquidẽ est de actu non malo: ex alia verò, & vrgẽtius, quia actus ille secundùm se est malus, & quamuis non imputetur ob ignorantiam, sed delectatio ipsa volũtaria, & libera est, & nullam habet excusationem, non ergo videtur absque culpa. Nec apparet quomodo possit excusari puella, quæ complaceret in violẽta oppressione, vel qui gauderet de occisione inimici ignoranter facta. *Punctus dubitationis.*

Quidã dicunt, delectationes has propter aliquem bonum finem, & motiuum licitas esse, secus si sit gaudium de his actibus absolutè propter se ipsos. Ita Paludan. in 4. dist. 9. quæst. 3. & Adrian. in 4. de Eucharist. quæst. 4. quamuis quodlib. 10. quæst. 2. mutauerit sententiam. Sed resolutio hæc non est sufficiens, quia cum obiectum est in se malum semper vitiat actum, & propter nullum bonum finem fieri potest bonum. Et propterea Sotus in 4. distinct. 12. q. 1. artic. 7. docet, hanc delectationem esse illicitam, & similiter docet, non posse desiderari actus malos, qui ignorantia, vel alia excusatione, non imputentur. Quæ sententia videtur vera, addita modificatione, quam adhibet Cordubensis lib. 2. quæst. 20. quã ex parte attigit Adrian. quod lib. 10. quæst. 2. ex quorum doctrina tria documenta colligo. Primum, has delectationes, si sint de actibus iure naturæ illicitis, esse illicitas; hoc probant, quæ adduximus in ratione dubitandi, in his ergo solum potest esse licita delectatio de excusatione, non verò de actibus ipsis. Secundum, de his quæ sunt prohibita iure positiuo, & non habent malitiam ex natura rei, si inculpabiliter fiant licitum est delectari, vt si quis delectatur, quòd inculpabiliter comederit carnes in die prohibito. Ratio est, quia hi actus habent malitiam extrinsecam & accidentariam ortam ex solo præscripto legis, & ideò gaudere de eis absque culpa commisis, est gaudere de re secundùm se non mala. Tertium, in his quæ ad ius naturæ pertinent, considerandum est, an quæ fiunt, sint verè actiones hominis, an sint effectus prouenientes ab aliqua causa naturali: si enim sunt effectus, & non actiones, licet in eis complacere ob finem rectum. Hoc asfero propter pollutiones; de quibus Sotus, & alij, scrupulosiùs loquuntur, si tamen sunt effectus merè naturales prouenientes in somno, vel fortè in vigi-

Palud. Adria. *Sotus.* *Cordu. Adria.* *Prima propositio.* *Secunda.*

lia

lia absque aliqua cooperatione hominis, nõ sunt actus mali, & ideô dicimus non esse illicitum complacere in eis propter aliquẽ bonũ finẽ sanitatis, vel quia mitiores reddũtur tentationes, sic etiã possunt permitti ex justa causa, vtsi eueniãt ex studio vtili, aut confessionum auditione; neque etiam illicitum est desiderare illas hoc modo, quia non sunt actus mali, sed sunt effectus indifferentes, vt sudor, vel fluxus sanguinis: nulla tamen ratione licet eas promouere, aut iuuare, data opera, & voluntaria causa apposita.

QVÆSTIO LXXV.

De causis peccatorum in generali, in quatuor articulos diuisa.

DEinde considerandum est de causis peccatorum. Et primò, in generali. Secundò, in speciali.

CIRCA PRIMVM QVAERUNTUR QUATUOR.

PRimò, Vtrum peccatum habeat causam. Secundò, Vtrum habeat causam interiorem. Tertiò, Vtrum habeat causam exteriorem. Quartò, Vtrum peccatum sit causa peccati.

ARTICVLVS I.

Vtrum peccatum habeat causam?

AD primum sic proceditur. Videtur quòd peccatũ non habeat causam. Peccatum enim habet rationem mali, vt dictum est, sed malum non habet causam, vt Dion. dicit. 4. cap. de diui. no. ergo peccatum non habet causam.

Inf. art. 2. & 4. cor. & ad. 1. & q. 77. ar. 4. cor. Et 2. dist. 35. ar. 1. corp. Quæst. 71. art. 6. Cap 4. par. 4. ante fin.

Secundò prætereâ. Causa est ad quam de necessitate sequitur aliud: sed quod est ex necessitate, non videtur esse peccatum, eò quòd omne peccatum est volũtarium: ergo peccatum non habet causam.

Tertiò prætereâ. Si peccatum habet causam, aut habet pro causa bonum, aut malum: non autem bonũ, quia bonum non facit nisi bonum; non enim potest arbor bona fructus malos facere, vt dicitur Matth. 7. Similiter autem nec malum potest esse causa peccati, quia malum pœnæ sequitur ad peccatum: malum autem culpæ est idem quòd peccatum: peccatum igitur non habet causam.

Sed contra. Omne quòd fit habet causam: quia vt dicitur Iob. 5. Nihil in terra sine causa fit, sed peccatum fit; est enim dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei: ergo peccatum habet causam.

Respondeo dicendum, quòd peccatum est quidã actus inordinatus. Ex parte igitur actus, potest habere per se causam, sicut & quilibet alius actus: ex parte autem inordinationis habet causam eo modo, quo negatio vel priuatio potest habere causam. Negationis autem alicuius potest duplex causa assignari. Primò quidem defectus causæ affirmationis, id est, ipsius causæ negatio, est causa negationis secũdùm se ipsam. Ad remotionem enim causæ sequitur remotio effectus: sicut obscuritatis causa est absentia solis. Alio modo causa affirmationis ad quam sequitur negatio, est per accidens causa negationis consequentis: sicut ignis causando calorem ex principali intentione, consequenter causat priuationem frigiditatis, quorum primum potest sufficere ad simplicem negationem. Sed cum inordinatio peccati, & quodlibet malum non sit simplex negatio, sed priuatio eius quod quidem natum est, & debet habere, necesse est quod talis inordinatio habeat causam agentem per accidens. Quod enim natũ est inesse, & debet, nunquam abesset nisi propter causam aliquam impedientem: & secundùm hoc cõsueuit dici, quòd

malum, quod in quadam priuatione consistit habet causam deficientem, vel agentem per accidens: omnis autem causa per accidens reducitur ad causam per se. Cum igitur peccatum ex parte inordinationis habeat causam agentem per accidens, ex parte autem actus habeat causam agentem per se, sequitur quod inordinatio peccati consequatur ex ipsa causa actus. Sic igitur voluntas carens directione regulæ rationis, & legis diuinæ, intendens aliquod bonum commutabile, causat actum quidem peccati per se, sed inordinationem actus per accidens, & præter intentionem; prouenit enim defectus ordinis in actu ex defectu directionis in voluntate.

In corp. ar etc. Ad primum ergo dicẽdum, quòd peccatum nõ solum significat ipsam priuationem boni, quæ est inordinatio: sed significat actum sub tali priuatione, quæ habet rationem mali, quod quidem qualiter habeat causam, dictum est.

Ad secundum dicendum, quòd si illa definitio causæ, vniuersaliter debeat verificari, oportet vt intelligatur de causa sufficienti, & non impedita. Contingit enim aliquid esse causam sufficientem alterius, & tamen nõ ex necessitate sequitur effectus propter aliquod impedimentũ superueniens: alioquin sequeretur, quòd omnia ex necessitate contingerent, vt patet in 6. Meta. Sic igitur & si peccatum habeat causam, non tamen sequitur quòd sit necessaria: quia effectus potest impediri.

Text. 5. to. 3.

In corp ar. Ad tertium dicendum, quòd sicut dictum est, voluntas sine adhibitione regulæ rationis, vel legis diuinæ, est causa peccati. Hoc autem quod est non adhibere regulam rationis, vel legis diuinæ, secundùm se non habet rationem mali, nec pœnæ, nec culpæ, antequàm applicetur ad actũ: vnde secundùm hoc peccati primi non est causa malum, sed bonum aliquod cum absentia alicuius alterius boni.

Conclusio est, peccatum ex parte actus potest habere causam per se, ex parte malitiæ potest habere causam deficiẽtem, vel per accidẽs. Dubitat Caietanus, Vtrum idem sit causa deficiẽs, & causa per accidẽs, quod cõmodiùs infra exponemus q. 79. Aduerte tamẽ S. Thom. in hoc articulo directè loqui de peccato commissionis; sed doctrina, & cõclusio eodem modo accipiẽdæ sunt de peccato omissionis, de quo verificatur habere causam per se ex parte illius actus qui est causa omittẽdi, & causam per accidẽs, vel deficiẽtem, ex parte priuationis actus debitæ: nam de peccato etiã omissionis vera est illa propositio, qua S. Thom. probat in omni peccato esse causam per se ex parte actus; omne quod est per accidẽs, reducitur ad aliquid, quod est per se: & illa; quod aptum natum est inesse, nunquam abest nisi propter aliquam causam impedientem, quam propositionem assumpsit S. Tho. supra q. 71. artic. 5. agens de peccato omissionis.

Caietani. Dubium.

Aduert.

ARTICVLVS II.

Vtrum peccatum habeat causam interiorem.

AD secũdum sic proceditur. Videtur quòd peccatum non habeat causam interiorem. Id enim quod est interius alicuius rei semper adest ei: si igitur peccatum haberet causam interiorem, semper homo peccaret, cum posita causa ponatur effectus.

Infra ar. 3. corp.

Secundò præterea. Idem non est causa sui ipsius: sed interiores motus hominis sunt peccatum, ergo non sunt causa peccati.

Tertiò præterea. Quidquid est contra hominem, aut est naturale, aut voluntarium: sed id quod est naturale, non potest esse peccati causa, quia peccatum est contra naturam,

vt dicit

Lib. 2 c. 4. & 30. & lib. 4. c. 21

vt dicit Damas. quod autem est voluntarium si sit inordinatum, iam est peccatum: non ergo aliquid intrinsecum potest esse causa primi peccati.

Li. de duo. anima. ca. 10. & 11. to. 6 Et. 1. retrac. c. 9 to. 1 Et li. 3. de lib. arbit. ca. 17. Art prec.

Sed contra est quòd Augustinus dicit, quòd voluntas est causa peccati.

Respondeo dicendum, quòd sicut iam dictum est, per se causam peccati oportet accipere ex parte ipsius actus: actus autem humani potest accipi causa interior & mediata, & immediata. Immediata quidem causa humani actus est ratio, & voluntas secundùm quam homo est liber arbitrio: causa autem remota est apprehensio sensitiuæ partis, & etiam appetitus sensitiuus. Sicut enim ex iudicio rationis voluntas mouetur ad aliquid secundùm rationem: ita etiam ex apprehensione sensus, appetitus sensitiuus in aliquid inclinatur: quæ quidem inclinatio interdum trahit voluntatem & rationem, sicut

quæst. 77. art. 2.

infra patebit. Sic igitur duplex causa peccati interior potest assignari, vna proxima ex parte rationis, & voluntatis: alia verò remota ex parte imaginationis, vel appetitus sensitiui. Sed quia supradictum est, quòd causa peccati est aliquod bonum apparens motiuum cum defectu debiti motiui, scilicet regulæ rationis, vel legis diuinæ, ipsum motiuum, quod est apparens bonum pertinet ad apprehensionem sensus, & appetitum: ipsa autem absentia debitæ regulæ pertinet ad rationem, quæ nata est huiusmodi regulam considerare; sed ipsa perfectio voluntarij actus

art. 1. huius quæst.

peccati pertinet ad voluntatem, ita quòd ipse voluntatis actus, præmissis suppositis, iam est quoddam peccatum.

Ad primum ergo dicendum, quòd id quod est intrinsecum, sicut potentia naturalis, semper inest: id autem quod est intrinsecum, sicut actus interior appetitiuæ, vel apprehensiuæ virtutis, non semper inest. Ipsa autem potentia voluntatis est causa peccati in potentia, sed reducitur in actum per motus præcedentes, & sensitiuæ partis primò, & rationis consequenter. Ex hoc enim quòd aliquid proponitur vt appetibile secundùm sensum & appetitus sensitiuus inclinatur in illud, ratio interdum cessat à consideratione regulæ debitæ: & sic voluntas producit actum peccati. Quia igitur motus præcedentes non semper sunt in actu, neque peccatum semper est in actu.

Ad secundum dicendum, quòd nō omnes motus interiores sunt de substantia peccati, quod consistit principaliter in actu voluntatis: sed quidam præcedunt, & quidam consequuntur ipsum peccatum.

Ad tertium dicendum, quòd illud quod est causa peccati, sicut potentia producens actum, est naturale: motus etiam sensitiuæ partis, ex quo sequitur peccatum, interdum est naturalis, sicut cum propter appetitum cibi aliquis peccat: sed efficitur peccatum innaturale ex hoc ipso, quòd deficit regula naturalis, quam homo secundùm naturam suam debet attendere.

CAusam interiorem vocat S. Thom. causam peccati, quæ sit intra ipsum hominem, & concedit peccatorum tres causas interiores; intellectum, & voluntatem, tanquam causas proximas, quæ concurrūt per se ad omnem actum liberum, & appetitum sensitiuum, tanquam causam remotiorem. Aduerte intellectum & voluntatem primò esse causas peccati generales, secundò etiam speciales secundùm aliquam particularem dispositionem, quæ in intellectu est ignorantia, in voluntate verò malitia, & de his quia peculiarem habēt difficultatem disputatur in sequentibus.

Aduert.

Circa solutionem ad secundum, dubiū occurrit quare S. Thom. asserat peccatū principaliter in voluntate consistere, cū determinatum sit quæstio. præcedenti quædam peccata principaliter esse in

Dubium.

alijs

alijs potẽtijs? Sed respondetur iuxta ea, quæ docet quæst. 20. art. 1. & 2. peccatũ quantùm ad executionem semper priùs conuenire voluntati, licet malitia essentialiter quandoq; priùs competat actui exteriori, & alijs potentijs.

Solutio.

ARTICVLVS. III.

Vtrum peccatum habeat causam exteriorem.

Inf. quæst. 80 ar. 1. & 3. & Prima par. q. 115. ar. 4. cor. & 2. 2. q. 73. ar. 3. cor. & ad 2. & quæs. 115. ar. 2. ad. 1. & 2. Et mal. q. 3. ar. 3. per totum, & ar. 4. cor.

AD tertium sic proceditur. Videtur quòd peccatũ non habeat causam exteriorẽ. Peccatum enim est actus voluntarius: voluntaria autem sunt eorum quæ sunt in nobis; & ita non habent exteriorẽ causam, ergo peccatum non habet exteriorem causam.

Secundò præterea. Sicut natura est ptincipium interius, ità etiam voluntas: sed peccatum in rebus naturalibus nunquam accidit, nisi ex aliqua interiori causa, vt puta, monstruosi partus proueniunt ex corruptione alicuius principij interioris: ergo neque in moralibus potest contingere peccatum nisi ex interiori causa, nõ ergo habet peccatum causam exteriorem.

Tertiò præterea. Multiplicata causa multiplicatur effectus: sed quantò plura sunt & maiora exterius inducentia ad peccandum, tantò minus id quod quis inordinatè agit, ei imputatur ad peccatum: ergo nihil exterius est causa peccati.

Sed contra est, quod dicitur num. 31. Nonne istæ sunt quæ deceperunt filios Israel, & præuaricari vos fecerunt in Domino super peccato Phogor? ergo aliquid exterius potest esse causa faciens peccare.

Ter. prac.

Respondeo dicendum, quòd sicut supradictum est, causa interior peccati est & voluntas vt perficiens actum peccati, & ratio quantùm ad carentiam debitæ regulæ, & appetitus sensitiuus inclinans. Sic igitur aliquid extrinsecum tripliciter potest esse causa peccati, vel quia moueret immediatè ipsam voluntatem, vel quia moueret rationem, vel quia moueret appetitum sensitiuum. Voluntatem autem, vt supradictum est, interius mouere nõ potest nisi Deus, qui non potest esse causa peccati, vt infra ostendetur. Vnde relinquitur quod nihil exterius potest esse causa peccati, nisi vel in quantùm mouet rationem, sicut homo, vel dæmon persuadens peccatum, vel sicut mouens appetitum sensitiuum: sicut aliqua sensibilia exteriora mouent appetitum sensitiuum. Sed neque persuasio exterior in rebus agendis ex necessitate mouet rationem, neque etiam res exteriùs propositæ ex necessitate mouent appetitum sensitiuum nisi fòrte aliquo modo dispositum, & tamen etiam appetitus sensitiuus non ex necessitate mouet rationem, & volũtatem. Vnde aliquid exterius potest esse aliqua causa mouens ad peccandum, non tamen sufficienter ad peccandum reducens: sed causam sufficienter complens peccatum est sola voluntas.

Quæst. 9. ar. 1. 9. & 7. 10 ar. 4. Quæst. 79. ar. 1.

Ad primum ergo dicendum, quòd ex hoc ipso, quòd exteriora mouentia ad peccandum, non sufficienter, & ex necessitate inducunt, sequitur quòd remaneat in nobis peccare, & non peccare.

Ad secundum dicẽdum, quòd per hoc, quòd ponitur interior causa peccati, non excluditur exterior. Non enim id quod est exterius, est causa peccati, nisi mediante causa interiori, vt dictum est.

In cor. art.

Ad tertium dicendum, quòd multiplicatis exterioribus causis inclinantibus ad peccandum, multiplicantur actus peccati: quia plures ex illis causis, & pluries inclinant ad actus peccati, sed tamen minuitur ratio culpæ, quæ consistit in hoc, quòd aliquid

aliquid sit voluntarium, & in nobis.

RESolutio est. Peccatum habet triplicem causam exteriorem, scilicet, diabolum, alium hominẽ, & obiecta extrinseca. Quæ aliquo modo possunt mouere voluntatem ad peccandum, non necessitatem inducendo, sed suadendo & inclinãdo. Deus verò non est causa peccati.

Dubium. Dicit S. Thomas obiecta extrinseca non mouere appetitum sensitiuum necessariò; quod videtur falsum, cum appetitus sensitiuus sit potentia naturalis, & non libera, quæ necessariò mouetur ab obiecto. *Caieta.* Caieta. recurrit ad illam libertatem imperfectã, quam adstruit in appetitu. Alij aliter respondent. *Solutio.* Sed breuiter respondetur S. Thom. loqui de appetitu sensitiuo non secundùm se, sed prout subest motioni voluntatis, & in hoc sensu dicit non moueri necessariò ab obiecto, quia voluntas potest impedire motionem, & propterea addit, *Nisi forte in aliqua dispositione*, quia potest cõtingere vt in aliqua dispositione appetitus moueatur contra imperium voluntatis, & necessitatem ab obiecto patiatur.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum peccatum sit causa peccati.

Inf. q. 84. Et 2. dist. 36. art. 1. Et d. 42. q. 2. ar. 1. 2. & 3. & 5 cor. Et mal. q. 8. art. 1. cor. & Roma. 1. lect. 7.

AD quartum sic proceditur. Videtur quòd peccatum nõ sit causa peccati. Sunt enim quatuor genera causarum, quorum nullum potest ad hoc congruere, quòd peccatum sit causa peccati. Finis enim habet rationem boni, quod nõ competit peccato, quod de sua ratione est malum: & eadem ratione nec peccatum potest esse causa efficiens, quia malum non est causa agens, sed est infirmum & impotens, vt Dioni. dicit. 4. c. de diuino. Causa autem materialis, & formalis videtur habere solum locum in naturalibus corporibus, quæ sunt composita ex materia & forma: ergo peccatum non potest habere causam materialem & formalem.

Ca. 4. par. 4. a med.

Secundò prætereà. Agere sibi simile est rei perfectæ, vt dicitur in 4. Meteor. sed peccatum de sui ratione est imperfectum: ergo peccatum nõ potest esse causa peccati. *Lib. 2. de anima. ex 34. tom. 2.*

Tertiò prætereà. Si huius peccati sit causa aliud peccatum, eadem ratione & illius erit causa aliquod aliud peccatum, & sic procedetur in infinitum, quod est inconueniens: non ergo peccatum est causa peccati.

Sed contra est, quòd Greg. dicit super Ezechi. Peccatum quod per penitentiam citiùs non deletur, peccatum est, & causa peccati. *Homil. 11. post med. & lib. 25. moral. cap. 13. ante med.*

Respondeo dicendum, quòd cũ peccatum habeat causam ex parte actus, hoc modo vnum peccatum potest esse causa alterius, sicut vnus actus humanus potest esse causa alterius. Contingit igitur vnum peccatum esse causam alterius secundũ quatuor genera causarum. Primò quidem secnndùm modum causę efficientis, vel mouentis & per se, & per accidens. Per accidens quidem, sicut remouens prohibens dicitur mouẽs per accidens. Cum enim per vnum actum peccati homo amittit gratiam, vel charitatem, vel verecundiam, vel quodcunque aliud retrahens â peccato, incidit ex hoc in aliud peccatum, & sic primum peccatum est causa secundi per accidẽs. Per se quidem, sicut cum ex vno actu peccati homo disponitur ad hoc, quòd alium actum consimilem faciliùs committit: ex actibus enim causantur dispositiones, & habitus inclinantes ad similes actus. Secundùm verò genus causæ materialis, vnum peccatum est causa alterius, inquantùm præparat ei materiã: sicut auaritia præparat materiam litigio, quod plerunque est de diuitijs congregatis. Secũdùm verò genus causæ finalis, vnum peccatum est causa alte-

alterius, in quantùm propter finem vnius peccati aliquis cõmittit aliud peccatum: sicut cum aliquis committit simoniam propter finem ambitionis, vel fornicationem propter furtum. Et quia finis dat formam in moralibus, vt supra habitum est, ex hoc etiam sequitur, quòd vnum peccatum sit formalis causa alterius: in actu enim fornicationis quæ propter furtum committitur, est quidem fornicatio sicut materiale, furtum verò sicut formale.

Quæst. 1. ar 3. & q. 18 ar. 4. & 6.

Ad primum ergo dicẽdum, quòd peccatum in quantûm est inordinatum, habet rationem mali: sed in quantûm est actus quidam, habet aliquod bonum, saltem apparens pro fine, & ita ex parte actus potest esse causa & finalis, & effectiua alterius peccati, licet non ex parte inordinationis: materiam autem habet peccatum non ex qua, sed circa quam; formam autem habet ex fine. Et ideò secundùm quatuor genera causarum peccatum potest dici causa peccati, vt dictum est.

In corp. artic.

Ad secundum dicẽdum, quòd peccatum est imperfectum imperfectione morali ex parte inordinationis: sed ex parte actus potest habere perfectionem naturæ, & secundûm hoc potest esse causa peccati.

Ad tertium dicendum, quòd non omnis causa peccati est peccatum: vnde non oportet, quòd procedatur in infinitum; sed potest perueniri ad aliquod peccatum, cuius causa non est aliud peccatum.

CONclusio est, peccatum pôtest esse peccati causa eo modo, quo vnus actus potest esse causa alterius, tã per se, quam per accidens. Quæ S. Tho. generaliter in hac quæst. dixit de causis peccati, in particulari latiùs prosequitur in sequentibus.

(?)

QVÆSTIO LXXVI.

De causis peccati in speciali, in quatuor articulos diuisa.

DEinde considerandum est de causis peccati in speciali. Et primò, de causis interioribus peccati. Secundò, de exterioribus. Tertiò, de peccatis quæ sunt causa aliorum peccatorum.

Prima autem consideratio secundùm præmissa erit tripartita: nam primò agetur de ignorantia, quæ est causa peccati ex parte rationis. Secundò, de infirmitate, seu passione, quæ est causa peccati ex parte appetitus sensitiui. Tertiò, de malitia, quę est causa peccati ex parte voluntatis.

CIRCA PRIMVM QVAERUNTUR quatuor.

PRimò, Vtrum ignorantia sit causa peccati. Secundò, Vtrum ignorantia sit peccatum. Tertiò, Vtrum totaliter â peccatò excuset. Quartò, Vtrũ diminuat peccatum.

ARTICVLVS. I.

Vtrum ignorantia possit esse causa peccati.

AD primum sic proceditur. Videtur quòd ignorantia non possit esse causa peccati, quia quod non est, nullius est causa: sed ignorantia est nõ ens, cum sit priuatio quædam scientiæ: ergo ignorantia non est causa peccati.

Infr. ar. 3. cor. Et. 2. d. 42 ar. 1. cor. & ad 3. Et. mal. q. 3 art. 6. per tot. & q. 7 cor. fin. & ad sextum.

Secundò prætereâ. Causæ peccati sunt accipiendæ ex parte conuersionis, vt ex supra dictis patet: sed ignorãtia videtur respicere auersionem: ergo non debet poni causa peccati.

Quæst. 75. art. 1.

Tertiò prætereâ. Omne peccatum in vo-

Quæst. 74. art. 1.

in voluntate consistit, vt supra dictum est: sed voluntas non fertur nisi in aliquod cognitum: quia bonum apprehensum est obiectum voluntatis, ergo ignorantia non potest esse causa peccati.

Sed contra est, quòd Augustinus dicit in libro de natura & gratia, quòd quidam per ignorantiam peccant.

Respondeo dicendum, quòd secundùm Philosophum in 8. Physicorum causa mouens est duplex, vna per se, & alia per accidens. Per se quidem est, quæ propria virtute mouet, sicut genitans est causa mouens grauia, & leuia. Per accidens autem sicut remouens prohibens, vel sicut ipsa remotio prohibentis: & hoc modo ignorantia potest esse causa actus peccati: est enim priuatio scientiæ perficientis rationem, quæ prohibet actum peccati in quantùm dirigit actus humanos. Considerandum est autem, quòd ratio secundùm duplicem scientiam est humanorum actuum directiua, scilicet, secundùm scientiam vniuersalem & particularem. Conferens enim de agendis, vtitur quodam syllogismo, cuius conclusio est iudicium, seu electio, vel operatio: actiones autem in singularibus sunt: vnde conclusio syllogismi operatiui est singularis. Singularis autem propositio non concluditur ex vniuersali, nisi mediante aliqua propositione singulari: sicut homo prohibetur ab actu parricidij per hoc, quòd scit patrem non esse occidendum, & per hoc quòd scit hunc esse patrem. Vtriusque ergo ignorantia potest causare parricidij actum: scilicet & vniuersalis principij, quod est quædam regula rationis, & singularis circunstantiæ: vnde patet, quòd non quælibet ignorantia peccantis est causa peccati, sed illa tantùm quæ tollit scientiam prohibentem actum peccati. Vnde si voluntas alicuius esset sic disposita, quòd non prohiberetur ab actu parricidij, etiam si patrem agnosceret, ignorantia patris non est huic causa peccati, sed concomitanter se habet ad peccatum: & ideo talis non peccat propter ignorantiam, sed peccat ignorans, secundùm Philosophum in 3. Ethico.

Lib. de natur. & gratia ca. 67. ante med. to. 7. & li. 3. de lib. arbit. c. 18 tom 1. Lib. 8. tex. 27 tom. 2.

Ca. 1. 2 ne aie. to. 5.

Ad primum ergo dicendum, quòd non ens non potest esse alicuius causa per se: potest autem esse causa per accidens, sicut remotio prohibentis.

Ad secundum dicendum, quòd sicut scientia, quam tollit ignorantia, respicit peccatum ex parte conuersionis: ita etiam ignorantia ex parte conuersionis est causa peccati, vt remouens prohibens.

Ad tertium dicendum, quòd in illud quod est quantùm ad omnia ignotum nó potest ferri voluntas: sed si aliquid est secundùm aliquid notum, & secundùm aliquid ignotum, potest voluntas illud velle, & hoc modo ignorantia est causa peccati: sicut cum aliquis scit hunc quem occidit, esse hominem, sed nescit eum esse patrem: vel cum aliquis scit aliquem actum esse delectabilem, nescit tamen eum esse peccatum.

ARTICVLVS. II.

Vtrum ignorantia sit peccatum?

Inf q 84. ar 4. ad. 5. & q. 105. ar. 2, ad 9. Et. 2. 2. q. 52. ar. 2. ad. 2 Et 2 d. 42. q. 2. ar. 2. q. 1. ad. 3. Et mal. q. 3 ar ti 7 cor & ad 1. 7. & 11. & q. 1 ar. 19. cor. q. 71. ar. 6.

AD secundum sic proceditur. Videtur quòd ignorantia non sit peccatum. Peccatum enim est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei, vt supra habitum est: sed ignorantia non importat aliquem actum, neq; interiorem neque exteriorem, ergo ignorantia non est peccatum.

Secundò præterea. Peccatum directiùs opponitur gratiæ, quam scientiæ: sed priuatio gratiæ non est peccatum, sed magis pœna quædam consequens

sequens peccatum: ergo ignorantia, quæ est priuatio scientiæ, non est peccatum.

Tertiò prætereà, Si ignorantia est peccatum, hoc non est nisi in quantùm est voluntaria: sed si ignorantia sit peccatum in quantùm est voluntaria, videtur peccatum in ipso actu voluntatis consistere, magis quàm in ignorantia: ergo ignorantia non erit peccatum, sed magis aliquid consequens ad peccatum.

Quartò prætereà. Omne peccatum per pœnitentiam tollitur, nec aliquod peccatum transiens reatu, remanet actu, nisi solum originale: ignorantia autem non tollitur per pœnitentiam, sed adhuc remanet actu, omni reatu per pœnitentiam remoto: ergo ignorantia non est peccatum, nisi fortè sit originale.

Quintò prætereà. Si ipsa ignorantia sit peccatum, quandiu remaneret ignorantia in homine, tandiu actu peccaret; sed continuè manet ignorantia in ignorante: ergo ignorans continuè peccaret, quod patet esse falsum: quia sic ignorantia esset grauissimum: non ergo ignorantia est peccatum.

Sed contra. Nihil meretur pœnam nisi peccatum: sed ignorantia meretur pœnam, secundùm illud 1. ad Corint. 14. Si quis ignorat, ignorabitur, ergo ignorantia est peccatum.

Respondeo dicendum, quòd ignorantia in hoc à nescientia differt, quòd nescientia dicit simplicem scientiæ negationem: vnde cuicunque deest aliquarum rerum scientia, potest dici nescire illas: secundùm quē modum Dionis. in Angelis nescientiam ponit 7. cap. cæleſt. Hierarch. Ignorantia verò importat scientiæ priuationē, dum scilicet alicui deest scientia eorum, quæ aptus natus est scire. Horum autem quędam aliquis scire tenetur, illa, scilicet, sine quorum scientia non potest debitum actum rectè exercere. Vnde omnes tenentur scire communiter ea quæ sunt fidei, & vniuersalia iuris præcepta: singuli autem ea quæ ad eorum statum vel officium spectant. Quędam verò sunt, quæ & si aliquis nabus est scire, non tamen ea scire tenetur: sicut theoremata geometriæ, & contingentia particularia, nisi in casu. Manifestum est autem, quòd quicunq; negligit habere, vel facere id q̄ tenetur habere, vel facere peccat, peccato omissionis: vnde propter negligentiam ignorantia eorum quæ aliquis scire tenetur, est peccatum: non autem imputatur homini ad negligentiam, si nesciat ea quæ scire non potest. Vnde horum ignorantia inuincibilis dicitur, quia studio superari non potest: & propter hoc talis ignorantia cum non sit voluntaria, eò quòd non est in potestate nostra eam repellere, nó est peccatum. Ex quo patet, quòd nulla ignorantia inuincibilis est peccatum: ignorantia autem vincibilis est peccatum, si sit eorum quæ aliquis scire tenetur, non autem si sit eorum quæ quis scire non tenetur.

Ad primum ergo dicendum, quòd sicut supradictum est, in hoc quod dicitur, dictum, vel factum, vel concupitum, sunt intelligendæ etiam negationes oppositæ, secundùm quòd omissio habet rationem peccati: & ita negligentia, secundùm quam ignorantia est peccatum, continetur sub predicta diffinitione peccati, in quantū prętermittitur aliquid, quod debuit dici, vel fieri, vel concupiſci ad scientiam debitam acquirendam.

Ad secundum dicendum, quòd priuatio gratiæ & si secnndum se non sit peccatum, tamen ratione negligentiæ præparandi se ad gratiam, potest habere rationē peccati, sicut & ignorantia, & tamen quantùm ad ho-

Quæst. 71. art. 6. ad primum.

Item med. & cap. 6. cæleſtis Hierar. decimãdo ad finem.

hoc est dissimile, quia homo potest aliquam scientiã acquirere per suos
D.680. actus: gratia verò non acquiritur ex nostris actibus, sed ex Dei munere.

Ad tertium dicendum, quòd sicut in peccato transgressionis peccatũ non consistit in solo actu volũtatis, sed etiam in actu volito, qui est imperatus â voluntate: ita in peccato omissionis non solum actus voluntarius est peccatum, sed etiam ipsa omissio, in quantùm est aliqualiter voluntaria: & hoc modo ipsa negligentia sciendi, vel etiam ipsa inconsideratio est peccatum.

Ad quartum dicendum, quòd licet transeunte reatu per pœnitentiã, remaneat ignorantia secũdùm quòd est priuatio scientiæ, non tamen remanet negligentia, secundùm quam ignorantia peccatum dicitur.

Ad quintum dicendum, quòd sicut alijs peccatis omissionis solo illo tempore homo actu peccat, pro quo præceptum affirmatiuum obligat, ita est etiam de peccato ignorantiæ. Non enim continuò ignorans actu peccat, sed solũ quãdo est tẽpus acquirẽdi scientiã, quã habere tenetur.

ARTICVLVS. III.

Vtrum ignorantia excuset ex toto à peccato.

Sup. q. 74. ar. 1. ad. 2. & 3. arti. 5. cor. & ad. 1. Et dist. 22. q. 2. ar. 2. Et 4. d. 9. art. 3. q. 2. Et mal. q. 3. art. 8. Et quodl. 9. articul. 15. cor. Et Psalm. 24. Et Rom. 1. lec. 7. prin.

AD tertium sic proceditur. Videtur quòd ignorantia ex toto excuset à peccato. Quia Augusti. dicit, omne peccatum voluntarium est: sed ignorantia causat inuolũtarium, vt supra habitum est: ergo ignorantia totaliter excusat peccatum.

Secundò prætereà. Id quod aliquis facit præter intentionẽ, per accidens agit: sed intentio non potest esse de eo quod est ignotum: ergo id quod per ignorantiam homo agit, per accidens se habet in actibus humanis: sed quod est per accidens, non dat speciem: nihil ergo quod est per ignorantiã factũ, debet iudicari peccatũ, vel vitio sum in humanis actibus. *Lib. 1. retract. c. 9. tom. 8. q. 6. art. 1.*

Tertiò prætereà. Homo est subiectum virtutis & peccati, in quantùm est particeps rationis; sed ignorãtia excludit scientiam, per quam ratio perficitur, ergo ignorantia totaliter excusat â peccato.

Sed contra est, quòd Augustinus dicit in lib. de lib. arbit. quòd quædam per ignorantiã facta, rectè improbãtur. sed solum illa rectè improbãtur, quę sunt peccata: ergo quędam per ignorantiã facta sunt peccata, non ergo ignorantia omnino excusat à peccato. *Lib. 3. de lib. arb. c. 18. tom. 1.*

Respondeo dicendum, quòd ignorantia de se habet quòd faciat actum quem causat inuoluntariũ esse. Iam autẽ dictum est, quòd ignorantia dicitur causare actum, quem scientia apposita prohibeat, & ita talis actus, si scientia adesset, esset cõtrarius voluntati, quod importat nomen inuoluntarij; si verò scientia, quæ per ignorantiam priuatur, non prohiberet actum propter inclinationẽ voluntatis in ipsum, ignorantia huius scientiæ non facit hominẽ inuoluntariũ, sed nõ volentẽ, vt dicitur in 3. Ethic. & talis ignorantia, quę non est causa actus peccati, vt dictum est, quia nõ causat inuoluntarium, non excusat â peccato. Et eadem ratio est de quacunq; ignorantia non causante, sed consequente, vel cõcomitante actũ peccati: sed ignorantia, quę est causa actus, quia causat inuoluntarium, de se habet quòd excuset à peccato, eò quòd voluntarium est de ratione peccati. Sed quod aliquando non totaliter excusęt â peccato potest contingere ex duobus. Vno modo ex parte rei ipsius ignoratæ: in tantũ enim ignorantia excusat â peccato, in quantũ ignoratur aliquid esse peccatũ. Potest autẽ contingere, q̃ aliquis *Art. 1. & 2. Cap. 1. lect. 5. Hîc & ar. 1.*

quis ignoret quidem aliquam circũstantiam peccati, quam si sciret, retraheretur â peccãdo, siue illa circũstantia faciat ad rationem peccati, siue non: & tamen adhuc remanet eius scientia per aliquid, per quod cognoscit illud esse actum peccati, puta, si aliquis percutiens aliquem, sciat quidem ipsum esse hominem, quod sufficit ad rationem peccati, non tamen scit eum esse patrẽ, quod est circunstantia constituens nouam speciem peccati; vel forte nescit, q̃ ille se deffendens repercutiat eum, quod si sciret, non percuteret, quod non pertinet ad rationem peccati: vnde licet talis propter ignorantiã peccet, non tamen totaliter excusatur à peccato, quia adhuc remanet ei cognitio peccati. Alio modo potest hoc contingere ex parte ipsius ignorantiæ, quia scilicet ipsa ignorantia est voluntaria, vel directê, sicut cum aliquis studiosê vult nescire aliqua, vt liberiûs peccet: vel indirectê, sicut cum aliquis propter laborem, vel propter alias occupationes negligit addiscere id, per quod à peccato retraheretur. Talis enim negligentia facit ignorantiam ipsam esse voluntariam & peccatum, dummodo sit eorum quæ quis scire tenetur, & potest: & ideò talis ignorantia non totaliter excusat â peccato. Si verò talis ignorantia quę omnino sit inuoluntaria, siue quia est inuincibilis, siue quia est eius quod quis scire nõ tenetur, talis ignorantia omnino excusat â peccato.

Quæst. 6. art. 8.

Ad primum ergo dicendũ, quòd non omnis ignorantia causat inuoluntarium, sicut supradictum est: vnde non omnis ignorantia totaliter excusat à peccato.

Ad secundum dicendum, quòd inquantûm remanet in ignorante de voluntario, in tantûm remanet de intentione peccati, & secundùm hoc non erit per accidens peccatum.

Ad tertium dicẽdum, quòd si esset talis ignorantia quæ totaliter vsum rationis excluderet, omnino à peccato excusaret, sicut patet in furiosis & amentibus: non autem semper ignorantia causans peccatum est talis, & ideò non semper totaliter excusat à peccato.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum ignorãtia diminuat peccatũ.

Sup. art. 2. & locis ibi dem annotatis.

AD quartum sic proceditur. Videtur quòd ignorantia non diminuat peccatum. Illud enim quod est commune in omni peccato, nondiminuit peccatum: sed ignorantia est communis in omni peccato, dicit enim Philosoph. in 3. Ethico. quòd omnis malus est ignorans: ergo ignorantia non diminuit peccatum.

Capit. 1. a medio. 5.

Secundò præterea. Peccatum additum peccato facit maius peccatum: sed ipsa ignorantia est peccatum vt dictũ est, ergo nõ diminuit peccatũ.

Artic. 2.

Tertio præterea. Non est eiusdem aggrauare & diminuere peccatum: sed ignorantia aggrauat peccatum, quoniam super illud Apost. Rom. 2. Ignoras quoniã benignitas Dei, &c. dicit Ambro. Grauissimè peccas, si ignoras: ergo ignorantia non diminuit peccatum.

Quarto præterea. Si aliqua ignorantia diminuit peccatum, hoc maximè videtur de illa quæ totaliter tollit vsum rationis: sed huiusmodi ignorantia nõ minuit peccatum, sed magis auget: dicit enim Philosop. in 3. Ethico. quòd ebrius meretur duplices maledictiones: ergo ignorantia non minuit peccatum.

Cap. 5. ante med. to mo. 5.

Sed contra. Quicquid est ratio remissionis peccati, alleuiat peccatũ: sed ignorãtia est huiusmodi, vt patet 1. ad Tim. 1. Misericordiã consequutus sum, quia ignorãs feci: ergo ignorãtia diminuit, vel alleuiat peccatũ.

Respondeo dicendum, quòd quia

omne

omne peccatū est voluntariū, intantūm ignorātia potest diminuere peccatū, in quantū diminuit voluntariū: si autē voluntariū non diminuat, nullo modo diminuet peccatum. Manifestum est autē quod ignorātia quæ totaliter à peccato excusat, quia totaliter voluntarium tollit, peccatum non minuit, sed omnino aufert. Ignorantia verò quæ non est causa peccati, sed concomitanter se habet ad peccatum, nec minuit peccatum, ne auget. Illa igitur sola ignorantia potest peccatum minuere, quæ est causa peccati, & tamen totaliter à peccato non excusat. Contingit autem quandoque, quòd talis ignorantia directè, & per se est voluntaria, sicut cum aliquis sua sponte nescit aliquid vt liberiùs peccet, & talis ignorantia videtur augere voluntariū & peccatum: ex intentione enim voluntatis ad peccandum prouenit, quòd aliquis vult subire ignorantiæ damnum, propter libertatem peccandi. Quandoque verò ignorantia quæ est causa peccati non est directè voluntaria, sed indirectè, & per accidens, puta, cum aliquis non vult laborare in studio, ex quo sequitur eum esse ignorantem, vel cum aliquis vult bibere vinum immoderatè, ex quo sequitur eum inebriari, & discretione carere, & talis ignorantia diminuit voluntarium, & per cōsequens peccatum. Cum enim aliquid nō cognoscitur esse peccatum, non potest dici, quòd voluntas directè & per se feratur in peccatum, sed per accidens: vnde est ibi minor contemptus, & per consequens minus peccatum.

Ad primum ergo dicēdum, quòd ignorantia, secundùm quam omnis malus est ignorans, non est causa peccati, sed aliquid consequens ad causam, scilicet ad passionem, vel habitum inclinantem in peccatum.

Ad secundum dicēdum, quòd peccatum peccato additum facit plura peccata, non tamen facit semper maius peccatum: quia fortè non coincidunt in idem peccatū, sed sunt plura, & potest contingere si primum diminuat secundum, quòd ambo simul non habeant tantam grauitatem, quantam vnum solum haberet: sicut homicidium grauius peccatū est, si sit à sobrio homine factū, quàm si fiat ab ebrio homine, quamuis hæc duo peccata sint, quia ebrietas plus diminuit ratione sequentis peccati, quàm sit sua grauitas.

Ad tertium dicendū, quòd verbū Ambr. potest intelligi de ignorantia simpliciter affectata, vel potest intelligi de genere peccati ingratitudinis, in qua summus gradus est, quòd homo etiā beneficia non recognoscat: vel potest intelligi de ignorātia infidelitatis, quæ fundamentum spiritualis ædificij subuertit.

Ad quartum dicendum, quòd ebrius meretur quidem duplices maledictiones propter duo peccata quæ committit, scilicet, ebrietatem, & aliud peccatum, quod ex ebrietate sequitur; tamen ebrietas ratione ignorantiæ adiunctæ diminuit sequens peccatum, & fortè plus, quàm sit grauitas ipsius ebrietatis, vt dictum est. Vel potest dici, quòd illud verbum inducitur secundùm ordinationem cuiusdam Pythaci legislatoris, qui statuit, ebrios si percussérint, amplius puniendos, nō ad veniā respiciēs, quā ebrij debent magis habere, sed ad vtilitatē, quia pluries iniuriātur ebrij, quàm sobrij, vt patet per Philosoph. in 2. Politicorū. *Ar. 2. huius quæst. circa fin. illius to. 1.*

Commentarium quæstionis, & fusior de ignorantia tractatio.



Onclusiones articulorum huius quæstionis, iterum exponendo repetemus disputationibus sequentibus. Est autem hæc doctrina necessaria valde

ad institutionē morū, & nō minus difficilis; de qua præter S. Tho. hîc & alijs locis in margine notatis, & eius expositores, disputat scholastici in secundo d. 22. & summistæ verbo, *ignorantia*, Alensis 2. p. q. 113. Almain. tract. 1. Moral. cap. 4. Corduba lib. 2. integro. Castro lib. 2. de lege pœnali cap. 14. & Driedonius lib. 2. de libertate Christiana cap. 9.

DISPVTATIO XXIX

Quid, & quotuplex sit ignorantia.

Quid ignorantia sit.

CVm ignorantia sit defectus scientię, potest, (vt aduertit S. Tho. ar. 2. huius quæstio.) esse vel in subiecto, cui est debita scientia, vel in subiecto, cui non est debita: prima est vera priuatio, secunda verò negatio quæ inueniri potest in Angelis vt concedit Dionys. 7. c. cælestis Hierar. & 6. cap. Ecclesiasticæ Hierarchiæ. Prima dicitur propriè ignorantia, secunda verò nescięntia, aliquādo tamē confundūtur: Dionisius enim ignorātiā vocat illū defectū scientiæ, quē admittit in Angelis, nūc ergo loquimur de ignorātia priuationis, quæ propriè dicitur ignorātia. Hæc autē multipliciter diuidi solet, potissimę verò diuisiones sunt. Prima diuisio vulgaris inter peripateticos ex Arist. 1. posterio. qua diuiditur ignorātia in ignorātiā negationis, & cōtrariæ dispositionis: prima est pura priuatio scientiæ, neque enim dicitur ignorātia negationis, quia nō sit priuatio, sed quia nihil habet positiui, ignorātia autem cōtrarię dispositionis est, quādo interuenit positiuus assensus cū defectu veritatis, qui est error.

Dionysius

Diuisiones ignorātiæ. Prima diuisio, ignorantia negationis, & erroris.

Secunda, ignorantia actualis, & habitualis.

Secūda diuisione diuiditur ignorātia in habitualē, & actualē; quæ sumitur ex oppositione ad scientiam: est enim scire dupliciter (vt notum est) actu, & habitu, & totidē modis contingit ignorare; aut defectu scientiæ habitualis, aut defectu cōsiderationis, & aduertētiæ actualis. Ignorātię actualis quædā species est, quam S. Th. vocat ignorantiā prauę electionis, quam q. 6. art. 8. dicit interuenire in omni peccato, de qua agendum est infra q. 78.

Tertia, ignorantia practica, & speculatiua.

Tertia diuisio est in ignorantiā practicā, & speculatiuā, quę opponūtur scientię practicæ, & speculatiuæ, quarū notitia Philosophis & Theologis familiaris est: & quāuis huic instituto magis cōferat cōsideratio ignorātiæ practicæ, nā agimus de ignorātia, quæ interuenit in moribus; sed etiā ignorātia speculatiua considerationē digna est, nam aliqua cognitio speculatiua requisita est, & debita, vt notitia supernaturalis, & naturalis speculatiua de Deo, de anima, & de alijs similib⁹.

Quarta, ignorantia iuris & facti.

Quarta diuisio est, in ignorantiā iuris, & facti. Quæ voces mutuatę sunt â Iuris peritis. Ignorantia iuris est, qua ignoratur, quid sit iure præceptū, vel prohibitū, vt nescire furti naturā, vel ieiunij obligationē: ignorātia facti est, qua latet cōditio actus & euentus, ratione cuius cōprehenditur sub lege, vt si ignoretur rē esse alienā, & diem esse festū. Talis fuit ignorantia Abimelec Genes. 20. quando accepit vxorē Abrahæ putans esse sororē eius, & ignorantia Iacobi Gen. 24. quādo cōgressus est cū Lia putans esse propriā vxorē. Ignorantia iuris subdiuidi potest multipliciter pro diuersitate legū: generaliter verò in ignorantiā iuris naturalis vel positiui; & vtraque in ignorantiā iuris diuini, vel humani: & ignorantia iuris humani in ignorantiā iuris ecclesiastici, vel ciuilis: de quib⁹ infra in tractatu de legibus. Ignorātia autē facti nō habet certā subdiuisionē, potest tamen esse ignorātia facti totalis; vt cū quis ignorat esse hominē, quē vult interficere; & ignorātia alicuius circunstantiæ, vt esse patrem.

Gen. 20.

Gen. 24.

Sub diuisio.

Quinta, ignorantia vincibilis & inuincibilis. Damas.

Quinta diuisio celebris in materia morali est, qua diuiditur ignorantia, in vincibilē, & inuincibilem. Quæ traditur ab omnib⁹ scholasticis, & à Damasceno lib. 2. fidei orthodoxę cap. 24. vbi dicit, duplicē esse ignorantiā, alterā cuius homo est causa, alterā verò cuius homo non est causa, idē autē sunt vincibilis & cuius homo est causa, & inuincibilis, ac cuius nō est causa. Diffinitur autē ignorantia vincibilis, quam homo vincere potest diligentia, & studio acquirendo scientiā; inuincibilis verò, quā homo vincere nō potest. In quibus diffinitionib⁹ conueniūt cū S. Tho. hic art. 2. Dur. in 2. d. 22. q. 4. & Gab. q. 2. art. 1. notab. 1. & cæteri. Porrò vt constet quæ ignorantia sit vincibilis, & quæ nō & quāta diligētia cēseatur inuincibilis, plures sunt difficultates inferius disputandæ, nūc autē duo explicanda sunt. Primū, an aliquādo inuincibilis ignorātia sit; etiā si homo omittat omnē diligētiā, secundū, si diligentia adhibēda est, quāta futura sit, an summa & omnimoda, an sufficiat mediocris.

S. Thom. Duran. Gab.

Duæ difficultates de ignorātia inuincibili.

Prima dissoluitur.

Circa primū conueniunt omnes, aliquando, nulla diligentia adhibita, posse esse ignorantiā inuincibilē, cum scilicet nulla

nulla est notitia necessitatis, vel obligationis acquirendi scientiam: nam qui nullam notitiã habet de fine, excusatur, licet nullũ medium apponat ad eius consecutionem. Est etiam impossibile moueri ad finẽ aliquem, nisi præcedat eius intentio, est autem impossibilis intentio, quando nulla est illius notitia. Oportet autẽ vt sit notitia, nõ quæcunq; sed necessitatis, vel obligationis acquirẽdæ scientiæ: nã qui omittit id, ad quod non tenetur, non peccat. Sufficit verò vt sit notitia cõfusa, vel in aliquo cõmuni, & generali principio ex quo saltem ad dubitandum possit homo induci. Hoc autẽ quale futurum sit vix potest specialiter diffiniri, sed prudenter ex circunstantijs discernendũ est. Bene tamẽ ex hac doctrina inferunt *Coroll.* Almai. tractatu primo Mor. c. 4. & Corduba l. b. 2. q. 1. inuincibilẽ esse ignorantiã, si quis omittat diligẽdiam, quã ob aliũ finem adhibere tenebatur, non tamen ob finem vincẽdæ ignorantiæ, licet si eam præstaret, contingeret, vt ignorantiam vinceret: sic enim ignoraret legẽ Euangelicam inuincibiliter Iudæus, qui non audiuit Hierosolymis, quãdo promulgata est, etiam si abesset culpabiliter, quia alio præcepto, vel obligatione tenebatur Hierosolymam adire, non tamen vt disceret hanc legem, cuius nullam omnino notitiam habebat.

Secunda. Dicedo. In secundo puncto, Dicedo loco supra notato, & quidã alij videntur sentire adhibendã esse summã diligentiã, vt nunquam aliquis cẽsetur inuincibiliter ignorare, nisi faciat quidquid potest. Id probatur ex notione nominũ, nam ignorantia inuincibilis cadẽ est, ac quæ superari nõ potest, si enim aliquid potest homo, quo superet eam, erit vincibilis, ergo nisi fiat summũ nũquã erit ignorãtia inuincibilis, quia donec fiat summum aliquid restat in hominis potestate.

Communis sententia, non requiri summam diligentiã. Gab. Almai. Castro. Cordu. Probatur. Primò. Sed concors sentẽtia Theologorum fert ad ignorantiã inuincibilem non esse necessariam summam diligẽtiam, nec maximã, & sufficere si fiat ea, quę humano modo & moraliter existimetur sufficiens pro qualitate rei, & negotij. Sic censent Almai. & Corduba proximè relati, Gab. 2. distin. 22. quæst. 2. art. 1. Castro lib. 2. de lege pœnali capit. 14. in principio. Et probatur primõ, quia in nullo casu obligatur homo ad summã diligentiam: nam vt peccata reuocẽtur in memoriã nõ tenemur ea scribere, vel aliquid aliud insolitũ facere, sed sufficit quedã recogitatio eorũ, proportionata loco & tẽpori, & personæ: & vt seruetur depositum non oportet custodes cũ armis adhibere: & eadẽ est in alijs obligatio. Idem ergo iudiciũ est de diligẽtia, quæ requiritur ad acquirendã scientiã. Secundò probatur. S. Scripturæ exemplis; nam ignorantia Abimelec, de qua supra meminimus, ab omnibus censetur inuincibilis, & ex ipsa Scriptura colligitur, vt inferiùs iterũ attingemus; & tamẽ nõ fecit summã diligentiã, credidit enim Abrahæ, & vxori eius asserentib⁹ se esse fratres; cũ posset vltra procedere, astringẽdo eos iuramẽto, vel alia via inquirẽs. Idẽ animaduerti potest in ignorãtia Iacob, cũ Liã cognouit. Tertiò probatur, nã res & negocia humana, humanis mẽdijs, & moraliter possibilib⁹ & probabiliter sufficiẽtib⁹ agẽda sunt: plus enim exigere esset graue iugũ, & sẽper homines essẽt soliciti, nec esset quies, aut finis scrupulis.

Secundò. Gen. 20.

Gen. 24. Tertiò.

Si verò inquiratur vlterius, quãta futura est hæc diligẽtia humana, vt censeatur moraliter sufficiens? Dicendũ est, nõ posse id certa regula diffiniri, sed remittendũ prudẽtis arbitrio, pro qualitate personæ, & negocij, & aliarũ circũstantiarũ: nã aliqua diligentia erit sufficiẽs rustico, quę nõ erit sufficiẽs literato; in sequẽtibus tamen plura specialiùs de singulis ignorantijs aduertemus.

Euertitur fundamentum oppositæ sententiæ. Ad fundamentũ verò eorum qui requirebãt summã diligẽtiã, respõdetur, cũ dicitur ignorantiam esse vincibilem, nisi fiat q̃ potest, nõ est intelligẽdum de potẽtia physica, sed morali, quę non transcẽdit id, q̃ est moraliter sufficiẽs, & ad id vsque procedit obligatio, neq; est culpa nisi amplius fiat.

Ignorãtia vincibilis affectata, & crassa. S. Thom. Ignorãtia vincibilis sub diuiditur in affectatã, & crassam, quæ etiã dicitur supina. Hãc distinctionẽ tradit S. Tho. q. 6. art. 8. & hîc art. 3. quãuis nõ vtatur his vocibus quę nunc cõmunes sunt apud authores. Est autẽ ignorãtia affectata quæ est directè voluntaria, quando quis de industria vult nescire; vt illi, qui Iob. 21. dixerũt Deo. *Recede â nobis, scientiam viarum tuarum nollumus:* crassa autem est quæ est indirectè voluntaria in sola negligentia addiscẽdi. Dicitur crassa, quia negligentia & ocium crassitiem generant, dicitur supina, quia qui desides sunt, supini iacere solẽt. Alij aliter voces explicãt, & Cordu. quæst. 1. videtur supinam, à crassa distinguere; sed omnes vt synonimis vtuntur crassa & supina.

Iob. 21.

Ignorãtia culpabilis, & inculpabilis. Ad hanc distinctionem ignorantiæ vincibilis reducuntur aliæ, quæ sunt in vsu apud Summistas, & Iurisperitos; qualis est diuisio ignorantiæ, in culpabilem & inculpabilẽ: hæc enim eadem est cũ vincibili, & inuincibili: nam quãuis in rigore sermonis latiùs pateat ignorantia vincibilis,

quàm culpabilis, illa enim solâ potentiâ acquirendi scientiam, hæc vlterius obligationem, & necessitatem requirit; sed comuni vsu cõfundũtur. Reducitur etiã alia, qua ignorantia diuiditur in probabilem, & nõ probabilem. Probabilis est, quãdo quis habet probabile fundamentũ, vt dum rusticus credit, aliquid esse licitũ, ductus testimonio sui parochi, vel alterius, quem doctum & fidedignũ existimat: non probabilis autem, cum illud fundamentum deest. Hæ autem reducuntur ad vincibilem, & inuincibilem: nam qui probabili fundamento nititur inuincibilem habet ignorantiam, quia diligentia ad vincendam ignorantiã, non oportet vt sit sũma, sed humana, & probabile motiuum sufficiens est humano more, vt aliquod censeatur licitum, ignorantia autẽ improbabilis semper est vincibilis.

Ignorãtia probabilis, & nõ probabilis.

Aduertendum est etiam pro lectione sumistarum, & iurisperitorum, hanc ignorantiã vincibilem, quam nos appellamus crassam vel supinã, distingui in tria mẽbra, vt notant Siluest. verbo *ignorantia* nu. 5. & Tabiena eodẽ verbo n. 4. & Nauarr. in summa c. 23. nu. 46. in latã, leuem, & leuissimã, vel quæ prouenit ex culpa lata, leui, vel leuissima. Est enim sciendũ à iuris peritis distingui culpã & dolũ, vt explicat Nauarr. in summa c. 17. nu. 177. dolus est quando aliquid fit arte, & industria, culpã verò vocãt negligentiã. Hæc autẽ negligẽtia est triplex, lata, quando omittitur diligẽtia quæ ab omnibus præstari solet; leuis, quãdo omittitur diligẽtia, quæ â studiosioribus exhibetur: leuissima quãdo omittitur diligentia extraordinaria, & quę à studiosissimis tantũ præstatur. Ignorãtia ergo ex culpa lata esset si quis nec proprio studio, nec aliorũ cõsilio veritatẽ quæreret; leuis si nõ consuleret valde doctos, & peritos viros; leuissima si sũmã diligentiã omitteret. Ex his, culpa leuissima semper est absq; culpa, & inuincibilis; lata verò semper imputatur; de leui non cõueniunt authores. Illud tamen est probabilius non imputari omnibus, sed his qui se alicui muneri sponte offerunt, & obligationẽ alicuius actus propria volũtatẽ assumũt, hi enim nõ solum ad cõmunem, sed etiam ad maiorem diligentiam tenentur.

Syluest. Tabiena. Nauarr. Ignorãtia excusans lata, leui & leuissima.

Quod diximus ignorantiã vincibilem diuidi in affectatã & crassam, vel supinã, impugnãt aliqui, quia non omnis ignorãtia vincibilis ex negligentia est crassa, vel supina in iuris vsu & appellatione. Quod probãt quia c. *vt animarũ* de cõstitucionib' in 6. Pontifex dicit *Vt animarũ periculis obuietur, sententijs quorumcunque ordinariorũ innodari nollumus ignorãtes, dũmodo eorũ ignorãtia nõ sit crassa, vel supina.* Cum ergo declaret aliquã ignorantiam excusare à censuris, quæ nõ sit crassa, nõ loquitur de ignorantia inuincibili, nã de hac nõ erat difficultas, neque indigebat declaratione; est ergo aliqua vincibilis minor crassa, ob quam decernitur excommunicationem non incurri. Sed non video quæ ignorãtia vincibilis possit esse minor crassa, vel supina: & textus ille nõ procedit de ignorãtia vincibili sed inuincibili, de qua poterat esse dubitatio, an excusaret à pœna, & id declaratur à Pontifice dicẽte ignorãtes excusari, dũmodo ignorãtia non sit crassa vel supina, id est vincibilis, sed sit inuincibilis. Verũtamẽ, vt admonui, has diuisiones aduerte pro lectione authorũ, & quia in iure respectu pœnarũ habent specialẽ considerationẽ, sed re ipsa, & quo ad forũ cõsciẽtiæ sufficit distinctio vincibilis & inuincibilis ignorãtiæ, pensatis rerũ & personarum conditionibus.

Vltima diuisio est, in ignorantiã antecedentẽ, comitantẽ, & consequentẽ. Quã diuisione vtitur S. Thom. q. 6. art. 8. & in hac q. præsertim art. 1. & 3. Ignorantia comitans est, quæ aufert scientiã, quæ licèt ad esset nõ impediret actũ, quẽadmodũ si quis firmiter statuit occidere inimicũ, vbicunque illũ inueniat, & intendens venationi immittit iaculũ, cauens ne sit homo, quẽ configit, contingit tamen vt inimicũ occidat. Quid verò sit ignorantia antecedẽs, & quid cõsequẽs incertũ est inter scholasticos, nã S. Tho. variè accepit has voces, & ipsa vocum proprietas difficultatẽ ingerit: cũ enim antecedens comitans, & consequẽs dicãtur relatiuè, dubiũ est ad quod referantur; an ad actũ qui fit, an verò ad uoluntatẽ quæ fertur in ignorantiã ipsam? Nam si primo modo accipiatur ignorantia consequẽs erit posterior actu, & effectus eius, & impertinẽs, vt actus imputetur, vel excusetur, & tamen S. Thomas q. 6. artic. 8. dicit ratione huius ignorantiæ imputari actum. Et si ignorantia antecedens est, quæ præcedit actum, eueniet vt sit culpabilis, & non semper excusabit, vt vult S. Thomas eodem loco. Si autem distinguantur per comparationem ad actum voluntatis, non apparet, quomodo inuoluntatis, dica-

Vltima diuisio ignorantia antecedens, comitans, & consequens. S. Thom.

dicatur comitans: nam ignorantia quæ appellatur comitans, potest esse vincibilis, & inuincibilis, & quando fuerit vincibilis, erit consequens actum voluntatis, quia est voluntaria, quando autem fuerit inuincibilis erit antecedens, quia est inuoluntaria. Suntque aliæ difficultates in explicandis membris huius diuisionis, propter quas authores variè loquuntur, & alij dicunt, non posse vniformiter accipi, vt omnia referantur, vel ad voluntatem, vel ad actum qui ignorâter fit, alij verò dicunt, hîc esse plures diuisiones virtualiter.

Varię expositiones huius diuisionis.

Sed dicendum est, membra huius diuisionis posse accipi vtroque modo, & referri vel ad voluntatem, quæ fertur in ignorantiam, vel ad actum ipsum qui fit per ignorantiam. Et si referantur ad voluntatem, illa ignorantia dicitur antecedens, circa quam nullus est actus voluntatis, atque adeò quæ est omnino inuoluntaria; consequens verò in quam explicitè, vel implicitè fertur actus voluntatis, & quæ est aliquo modo voluntaria; comitans autē ideò talis dicitur, quia nec propriè est voluntaria, neque omnino inuoluntaria: quia cum homo est ita dispositus, vt velit occidere hostē, quodāmodo vult non ignorare vbi sit, sed quatenus cauet, vt hîc, & nunc non interficiat hominē, quodāmodo inuoluntariè ignorat: hac ratione accepit S. Tho. distinctione istā. q. 6. art. 8. vt legenti patebit. Secundò, possunt referri membra huius diuisionis ad effectum ipsum, & ita faciliùs explicantur: nam ignorantia antecedens est, quæ est causa actus, & quæ tollit scientiam, quæ, si adesset, impediret actū; ignorancia consequens, quæ est effectus actus, si forte ex actu aliquando sequatur alicuius rei ignorātia; comitans verò quę neque est causa, neq; effectus, tollit enim scientiā quæ licet adesset nō impediret actū, & hac ratione sumpsit S. Th. distinctionē istā in hac. q. vt patet ex verbis literę, præsertim art. 3 nō ergo est mirū si contraria docuit de ignorantia antecedenti, & consequenti in hac quæstione & q. 6 hā diuersimode eas accepit.

Vera explicatio.

Si ergo sequamur primā explicationē, ignorantia antecedēs semper est inuincibilis, ignorantia verò consequens semper est vincibilis, & ideò S. Tho. q. 6. art. 8. dixit ignorantiā antecedentē semper excusare, cōsequentē verò nō excusare, ignorantia autē comitans potest esse vincibilis, & inuincibilis: nam supposita illa volūtate quāquis habet occidendi inimicū, potest diligentia quā adhibet quādo putat se occidere feram, esse sufficiēs, & esse insufficiens. Si autem diuisio explicetur secundo modo, tam ignorantia antecedens, quàm comitans poterunt esse vincibiles, & inuincibiles: ignorātia verò consequēs, cum sit posterior actu, nec vincibilis, nec inuincibilis est; nihil enim refert ad excusationē, vel accusationem eius, & ideò S. Tho. art. 3. huius quæstionis dixit; ignorantiā consequentē impertinentē esse. Hāc diuisionē attigit Arist. 3. Ethic. c. 1. sed non est vsus his vocibus, neque tria membra multiplicauit, sed solum distinxit eam, quæ aufert scientiā, & cognitionē, quæ si adesset impediret actum, & eam, quæ aufert scientiā, quæ etiam si adesset non impediret actum. *Arist.*

Hæ sunt generales ignorantię diuisiones, inter quas quia ad præsentem cōsiderationem, potissima est diuisio in ignorantiam vincibilem, & inuincibilem, fusiùs tractanda est.

DISPVTATIO XXX

De quibus obiectis, & qua ratione contingere possit ignorantia inuincibilis.

QVm sint plura genera eorum quæ ignorari possunt, vt præcedenti disputatione attigimus, speculandū est, quando in singulis ignorantia vincibilis, & inuincibilis contingat: quod hac disputatione complectemur, sed claritatis gratia in plura mēbra eā secabimus.

MEMBRVM PRIMVM.

Vtrum sit possibilis ignorantia inuincibilis diuinæ legis supernaturalis?

IAm quæ fide diuina credimus, & in latitudine diuinæ legis supernaturalis comprehendūtur, sunt in triplici differentia; quædam quæ necesse est credere necessitate, quā vocant theologi, medij, quia eorum noticia necessaria est ad iustificationē ex natura rei, vt credere Deum esse, & remuneratorē esse, vt Paulus dixit ad Hæbr. 11. quædam verò quæ necessariò credenda sunt necessitate præcepti, quia licet absque eorum fide possit homo iustificari, *Status quæstionis.* *Hebr. 11.*

lex tamen diuina adstrinxit homines vt ea crederent: tales sunt. 14. fidei articuli, quos saltē hac necessitate tenemur addiscere, & credere, quāuis aliqui necessitate etiā medij credendi sint; quedā denique, quæ neutro modo necesse est cognoscere, vt sunt plures historiæ, & alia mysteria, quæ in S. Scriptura referuntur. Nec oportet modo discutere, quousque se extendat latitudo eorū, quę vel necessitate medij, vel necessitate præcepti tenemur scire, satis est supponere, esse hanc diuersitatē inter credibilia. Supponendū est etiā, ea quę neutro modo necessaria sunt, posse semper inuincibiliter, & inculpabiliter ignorari, quia omissio nō est imputabilis, nisi ad sit obligatio ad id, quod omittitur.

Prima sententia negat.

Alex. Bonau. Guilel. Paris. Gabr. Hugo Vict. Altisio. doren. Gerson. Albert. Cordub. Castro. Adria.

Plurimorum theologorum sententia fuit, non esse possibilem ignorantiam inuincibilem rerum fidei, & legis supernaturalis etiam in infidelibus nedum infidelibus. Alex. 2. p. q. 112. mēb. 8. & 53. mēb. 3. Bonau. 3. d. 25. art. 1. q. 2. ad vltimū & q. 3. ad penul. Guillel. Paris. tracta. de legibus cap. 21. quod incipit *quoniam autem*, Gabr. 2. d. 22. q. 2. art. 3. dubio 1. & ante omnes Hugo de S. Victore lib. 2. de sacramentis p. 6. cap. 5. pro eadem sent. Altisiodorensem, Gersonem, Albertum & alios refert Cordub. lib. 2. q. 4. propositione 3. eā etiā ipse sequitur, & Castro lib. 2. de lege pœnali c. 14. §. *Quarto modo*, & Adrian. quodl. 2. q. 1. sine argumē. is, & quodl. 4. art. 1. & 2. Ex his autē authoribus, quidam indistinctē loquuntur de omnibus fidei mysterijs quæ vel præcepti, vel medij necessitate credenda sunt; alij de his solis quorum fides medium necessarium est, in qua diuersitate non immoror, quia de vtriusq; iudicium feremus in resolutione quæstionis.

Probatur Primò.

Prima Thesis. 2. Regn. 1.

Duplici autem via procedi solet ad probationem sententiæ huius. Prima est quia cognitio istorum cum sit simpliciter ad salutem necessaria, nemini deficere potest, nisi interuentu propriæ culpæ: nam Deus nulli negat necessaria ad salutem, nisi homo ipse impediat. *Vult enim omnes homines fieri, & illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*; ergo aut omnibus hominibus proponuntur fidei mysteria sufficienter, vt possint & teneantur credere, aut certē si aliquibus subtrahitur hæc propositio, est propter eorum peccata, quia corrupte viuentes, & non seruando legem naturæ, indignos se præstant vocatione ad fidē. Vtroque verò modo videtur ignorantiā fieri vincibilem; nam si proposita sufficienter fide nō credūt, culpabiles sunt, si autē nō proponitur, sua est ipsorū culpa.

Secundò.

Rom. 10.

Secunda via probatur, saltē post promulgationem Euangelij, non esse de his veritatibus inuincibilem ignorantiam; eō quōd sufficienter proposita sit omnibus doctrina fidei, nam Paulus ad Rom. 10 cum dixisset. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? aut quomodo audient sine prædicante?* subdit, *sed nunquid non audierunt? & quidem in omnem terram exiuit sonus eorum; & in fines orbis terræ verba eorum.* Quibus verbis significat, nullius infidelitatem excusabilem esse, quia lex Euangelica sufficiēter in omni orbe promulgata est, quod si temporibus Pauli verum fuit, potiori ratione deinceps; semper enim latiùs patuit fidei prædicatio. Si quæ verò alia argumenta multiplicāt huius sent. authores ab ijs duobus accipiunt efficatiam, & verbis, non vi diuersa sunt.

Opposita sententia vera.

Contrariam tamen sentētiam tanquā veram & certam amplectimur, & quia quæstio bipartita est, nā de infidelibus, & fidelibus procedit; primò dicemus an in infidelibus, deinde an aliquo modo in fidelibus hæc ignorantia locum habeat.

Prima conclusio.

S. Thom.

Prima assertio. Possibilis est, & re ipsa sæpius contingit in infidelib⁹ ignorantia inuincibilis omnium mysteriorū fidei, etiā eorum, quorum notitia medium necessariū est ad salutē. Hanc expressit S. Tho. 2. 2. q. 10. art. 1. vbi dicit, esse quādā infidelitatē, quā vocat negatiuā, quæ est absque peccato, atque adeo inuincibilis, in his qui nihil de fide audierunt, quibus ignorantia rerum fidei est pœna, & non culpa; & cōstat S. Tho. loqui de his, quæ necessaria sunt necessitate medij, quia dicit, habētes hāc ignorantiā condenari, nō qui dē propter ipsam, sed propter alia peccata, à quib⁹ reparari nū possunt sine fidei cognitione. Idē docet Caiet. ibidē, & cæteri S. Tho. expositores, Dur. in 3. d. 25. q. 1. ad 1. Ganus in relect. de sacram. in genere. p. 2. Michael de Medina lib. 4. de recta in Deū fide à c. 8. Victoria in relect. de Indis. p. 1. Sotus 4. d. 5. q. vnica artic. 2. Petrus à Soto in institutione sacerdotum tractatu de ratione medendi peccatis lect. 2. Vega li. 6. de iustifi. c. 18. Corduba etiam lib. 2. quæst. 4. propositione 3. probabilē iudicat, licet oppositam

Caiet. Durand. Carus. Michael. de Medina. Victoria. Sotus. Petrus à Soto. Vega. Cordu.

tã tueatur, & hoc tempore est cõmunis.

Probatur. Probatur primò testimonijs Augustini, ipse enim, vel quicunque est author libri quæstionum noui testamenti quæst. 67. dicit. *Si non fuit à quo quis disceret, & ad eum fidei rumor non peruenit, inuincibiliter ignorat:* & tractatu 89 in Ioan. in illa verba. *Si non venissem & locutus non fuissem, peccatum non haberent* dicit, eos quibus nec per se, nec per Apostolos, nec per Ecclesiam, Christus locutus est, sine culpa ignorare: & Epistol. 105. & lib. de natura & gratia cap. 4. & de correctione & gratia cap. 5. & 6. dicit eos, qui non receperunt gratiam fidei, quia non potuerũt audire, iuste damnari propter peccatum originale, & peccata propria actualia, non tamen propter defectum fidei, qui illis est pœna, & non culpa. Idem docet Bernardus Epistola. 77. ad Hugonem, vbi inter alia, *satis*, inquit, *iniuste exigitur obeditio, vbi non præcessit auditio.*

Secundò. Secundò probatur ratione, nam tripliciter euenire potest, vt infidelis vincere nequeat ignorantiam veritatum supernaturalium, primo, quia nihil penitus audiuit, nec aliquam de eis reuelationem accepit: diximus enim præced. disputatione, vt ignorantia sit vincibilis, oportere, vt præcedat aliqua notitia scientiæ, & obligationis addiscendi, quæ non existente impossibile est, vt moueatur homo ad eius acquisitionem. Fuerũt autem, nõ solum homines, sed nationes, & regna ante, & post promulgationem Euangelij, quibus nihil omnino de fide annũtiatum est, quod Augustinus & Bernardus fatentur. Fuisse ante prædicationem Euangelij, præter experientiam, patet ex sacra Scriptura. *Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis* Psalm. 147. & act. 14. *In præteritis generationibus permisit Deus omnes gentes ingredi vias suas.* Post Euangelij manifestationem id ipsum experimento probatum est in Indijs Occidentalibus, quæ à nostris Hispanis inuẽtæ sunt, quibus etiam nunc sunt aliquæ nationes finitimæ, in quibus eadem ignorantia perseuerat. Nec est verisimile, eos extraordinarium prædicatorem habuisse, interius tamen fuisse illuminatos à Deo, vel per Angelum edoctos: quia iste modus proponendi mysteria fidei, extraordinarius est & fere miraculosus, & qui licet vni, vel alteri homini contingere, non est regularis, & communis. Paulo ibi in absolute di-

Psal. 147. Act. 14.

cit. *Quomodo audient sine prædicante*, significans doctrinam fidei non nisi exterã prædicatione proponi. Secundò, quia est contra experientiam, nam si omnibus fieret aliqua fidei propositio interna, vel externa, omnes haberẽt aliquam eius notitiam, licet non crederent, constat autem plurimos homines, & nationes inuentas esse, in quibus nec vestigiũ fidei repertum sit. Secundò, potest esse ignorantia inuincibilis in infidelibus, quia licet sibi fides proponatur, sed insufficienter, vt nec probabilem dubitationem concipere possint, cum enim mysteria eius supernaturalia sint, & captum hominis excedant, non est sufficiẽs quæcunque propositio, nisi ostendantur motiua efficatia, quibus aliquis persuadeatur ad credẽdum, vel ad dubitandum. Qua ratione potuit esse excusabilis ignorantia Indorum in principio quando inter cedes, & rapinas, & corruptos militum mores, doctrina fidei absque ea credibilitatis specie, quam habet, proponebatur. Tertiò denique poterit esse ignorantia inuincibilis etiam post notitiam, vel dubitationem de rebus fidei, si quis consulat magistros, quos sufficientes, & fide dignos existimet, & decipiat eum, quo pacto rudiores, & simpliciores inter hæreticos aliquando excusari possunt.

Rom. 10.

Ad primã Primæ sententia. Primo contrariæ sententiæ argumento, quod hanc conclusionem impugnat, libenter concedo, quibus subtrahitur fidei prædicatio, in pœnã suorũ criminũ subtrahi, nego tamẽ inde fieri ignorãtiã vincibilem; nam licet peccatã ipsa imputentur, effectus tamen iste imputabilis non est, quia nec præuisus est, nec præuideri potuit: maximè cum sit effectus pœnalis, vt ex his quæ quæst. 73. artic. 8. S. Thom. docuit, constare potest. Qua verò ratione ex hac doctrina non inferatur Deum negare alicui auxilia sufficientia ad salutem, non est huius loci disserere. Id nunc sufficiat, non omnibus conferri auxilia supernaturalis ordinis proximè, & vt dicunt, in actu secundo; omnibus tamen parata, & oblata esse, neque alicui negari; quibus autem actu non conferuntur, ipsi suis peccatis & abusu naturalis virtutis impediunt.

Locus Pauli exponitur. Pauli authoritas diuersimodè explicatur, nulla autem expositio conuincit omnibus hominibus annuntiatam esse fidem. Chrisostomo, & S. Thomas dicunt eo

Chrysost. S. Thom.

tempore, quo Paulus scripsit, in omnem terram exisse sonum eorum; quoniam Apostoli in omnes prouintias dispersi sunt, & prædicauerunt Euangelium, sed quia multæ nationes non crediderunt, breui tempore extincta est illa notitia, & non peruenit ad posteros. *Augustin.* Augustin. Epistol. 80. contendit non vno aliquo tempore, sed in periodo durationis mundi in omnibus nationibus, & gentibus Euangelium personasse, cum qua expositione coliæret, vt aliquo tempore multi nihil audierint de fide. Aliqui recentiore exponunt vt illud, *in omnem terram, &c.* Intelligatur pro eo tempore, quo Paulus scripsit, sed nomine omnis terræ non intelligunt omnis terræ latitudinem, & omnes, & singulas prouintias, sed nationes, quæ tunc erant magis notæ, & ad quas poterat esse facilior accessus. Has enim nomine omnis terræ significari consonum est alijs locis sacræ Scripturæ, in quibus eadem phrasi loquendi denotatur maior pars orbis, & magis nota: Actorum 2. dicitur, in Hierusalem fuisse viros religiosos ex omni natione, quæ sub cœlo est, & Lucæ 2. exijsse edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis. *Acto. 2.* *Luca. 2.*

Secunda conclusio. Quoad secundam partem quæstionis de fidelibus assero secundo, non posse homini inter fideles nutrito, inesse ignorantiam inuincibilem eorum, quæ necessitate medij, vel præcepti credenda sunt. Nam inter fideles tanta est copia, & abundantia doctrinæ, vt nullus, nisi sua culpa, ignorare possit quæ tenetur scire. Hæc est omnium authorum, quos allegauimus, sententia quibus tamen non adhærabimur, si dicamus cum Michaële de Medina loco citato, & Bartholomæo Medina art. 2. & alijs posse contingere, propter negligentiam parentum, vel curatorum, vel propter ruditatem personæ, vt aliquid horum ab aliquibus inuincibiliter ignoretur, cuius tamen rarus est. *Micha. Medin.* *Barthol. Medin.*

Dubium. Sed inquiri potest, quæ diligentia adhibenda sit, vt ignorantia inuincibilis dogmatum fidei, quam asserimus esse possibilem, contingat. Procedit autem hæc dubitatio, si præcedat in homine aliqua notitia, quæ mouere possit ad quærendam fidei doctrinam, qua deficiente, constitutum est, nullam industriam & solicitudinem deberi. Præterea procedit, tam de totius obiecti fidei latitudine, quam de aliqua speciali veritate, ex his quæ necessario credendæ sunt. Est autem primo certum, debitam, & necessariam diligentiam, vt hæc notitia acquiratur esse consulere doctores, & magistros, qui ad veritatem manifestandam sufficientes, & periti ceteri possint; hæc enim est consueta, & regalis via addiscendi doctrinam fidei, addito proprij iudicij diligenti examine, & meditatione, quatenus his rebus possunt applicari. Et aduertit bene Corduba, hunc modum vincendi ignorantiam adeo esse necessarium, vt eo omisso quidquid aliud fiat nunquam sit ignorantia inuincibilis, siue ad orationem, siue ad aliud subsidium recurratur, cum enim doctrina fidei sola reuelatione constare possit, reuelatio vero non nisi externo magistro docente regulariter assulgeat, si hic non quæritur, vel negligitur, tentatur Deus, & nihil præstatur ad acquisitionem doctrinæ quod sufficiens censeatur. *Quid certum.* *Corduba.*

Punctus difficultatis. Solum difficile est, & consideratione dignum, an sicut hoc medium necessarium est, sit sufficiens, vt qui eo caret absque propria negligentia, quia sibi est impossibile, vel qui illud adhibet, adhuc tamen doctorum imperitia, vel fallacia ignorat, vel errat, excusabilis sit? an teneatur aliquid vlterius præstare, nempe oratione instanter à Deo petere veritatis lucem, & peccatorum dolore, vitaque in melius mutata, impedimenta amouere? Omnes primæ sententiæ authores in principio disputationis relati, affirmat, hanc etiam diligentiam necessariam esse. Et quidem orationem medium efficacissimum esse, ad impetrandam veram notitiam eorum quæ ad salutem spectant dixit Iacobus cap. 1. *Si quis*, inquit, *indiget sapientia, postulet à Deo*, quam notitiam cum alijs comprehendit admonitio illa Christi Ioan. 16. *Petite, & accipietis.* Mutationem autem vitæ, & contritionem de peccatis sæpius requiri, probari potest, quia certum est peccata frequenter esse causam erroris, vel ignorantiæ quibus homo detinetur: propter peccata enim, vel caret doctore, iuxta illud Ezech. 3. *Linguam tuam adhærere faciam palato tuo, neque eris quasi vir obiurgans, quia domus exasperans est.* vel permittit Deus, vt à falsis doctoribus seducatur, Ezech. 14. *Propheta cum errauerit, ego Dominus decepi eum*: vel denique permittit, vt vera docentibus non credatur Isai, *Prima sententia.* *Iacobi. 1.* *Ioan. 16.* *Ezech. 3.* *Ezech. 14.*

Isai. 6. *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, vt videntes non videant, & audientes non intelligant.*

Secunda sententia vera.

Verum enim verò sententia hæc, aut omnino falsa est, aut tot limitationibus indiget, vt absolutè dici possit, non esse veram. Oppositam docent Vega, Victoria, & vterque Sotus, locis supra notatis. Primò ergo non potest esse verum hanc diligentiam exigi à quocunq; ignorante fidem. Nã vt debita sit, oportet esse possibilem, vt autem sit possibilis, necesse est, vt præcedat aliqua notitia finis propter quem fiat; necesse est etiam, vt cognoscatur huius medij vtilitas, & efficatia: impossibile est enim apponere medium ignorato fine, & habitudine medij ad finem: ex his autem, quæ in hac disputatione demonstrata sunt, cõstat plures esse homines, quibus nihil de fide annuntiatum sit, qui nõ possunt non ignorare orationis, & contritionis vtilitatem. Quare perperã authores illi contendunt ignorantiam infidelium esse vincibilem, etiam si à nullo magistro fuerint admoniti: quia oratione, & contritione potuerunt à Deo impetrare magistrum; qui enim omni doctrina fidei caret, non potest scire vtilitatem, & efficatiam, quam habent contritio & oratio ad impetrandam notitiam veritatis.

Probatur.

Medij vtilitas impossibile.

Nulli necessarium.

Solum igitur potest apparenter asseri hoc medium necessarium esse illis qui iam aliquam notitiam de Deo habent, & fidem prouidentiæ eius erga homines, in his quæ ad eorum salutem requiruntur, & qui nouerint Deum precibus flecti, & peccata impedimento esse, vt homo veritatis luce illustretur; quod euenire potest fidelibus, & fortè hæreticis. De eis autem assero, hoc medium vtile esse ad vnius, vel aliquarum veritatum notitiam consequendam; sed eis semper hoc medium esse necessarium non concedo. Quia si ipsi consulant magistros, sua existimatione sufficienter prudenter, & inculpabiliter illis assentiuntur, & existimant se non errare, dum eos sequuntur, atque adeò ignorant, se ignorare, vel errare: non ergo peccant si vlteriorem diligentiam non adhibent, quia nesciunt sibi adhuc deesse veram notitiam.

Casus excep-tus.

Vnus casus ocurrere potest, in quo probabile est teneri hominem ad orationem, & contritionem recurrere, nempe, si quærens veritatem inueniat cõtraria docentes, quorum diuersitatem ipse suo iudicio sufficienter expendere nequit; & vtriusque partis rationibus, & argumentis fluctuat, & non potest firmum assensum præbere, & non sit copia alios Doctores adeundi: tunc videtur orationis subsidium necessarium esse: & si tũc homo conciperet se propter sua peccata à Deo deseri, & in eas angustias redigi, teneretur quantũm in se esset pœnitẽtiam agere: sed casus iste rarissimus est. Fortè id contigit Augustino, vt colligitur ex lib. de vtilitatẽ credendi capit. 8. vbi de se refert fuisse valde perplexum, & dubium, inter hæreticorum, & Catholicorum contrarias assertiones, & argumenta, nec potuisse certum iudicium assequi, *tunc*, inquit, *nihil aliud restabat, quàm vt diuinam prouidentiam in tantis periculis miserabilibus, & lachrymosis vocibus, vt mihi opem ferret, deprecarer.* In hoc casu verificari potest prima sententia; extra eum, quamuis oratio sit efficax ad impetranda ea, quę ad salutem conducunt, & contritio remoueat impedimentum peccati, non sunt necessarię, nisi omnis illa notitia, quam explicuimus, concurrat.

August.

MEMBRVM SECVNDVM.

Vtrum possit esse ignorantia inuincibilis iuris naturalis.

Prima sententia negat.

ALexand. Alensis 2. part. quæst. 112. membro. 8. Castro, Adria, & Guillerm. locis allegatis disputat. præcedenti & Durand. in 3. distinct. 25. quæst. 1. ad 1. absolutè dicunt iuris naturalis non esse ignorãtiam inuincibilem. Primò probant authoritate Pauli ad Roman. 1. qui reprehendẽs peccata plurima contra legem naturæ quibus abundauerunt gentes ante reuelationem fidei, dicit eos fuisse inexcusabiles. Et Gratianus in decreto capitulo *turbatur*. 1. quæstio. 4. dicit, ignorantiam iuris naturalis omnibus adultis damnabilem esse, Aristot. etiam 3. Ethicor. cap. 1. ait, ignorantiam vniuersalium non facere inuoluntarium, propter eam enim magis reprehenduntur homines, quàm excusantur; nomine autem ignorantiæ vniuersalium, videtur intelligere ignorantiam iuris naturalis. Secundò probatur

Alex. Guillerm. Castro. Adrian. Dur. Probatur. Primò. Rom. 1. Gratian. Arist. Secundò.

tur ratione, quia lex naturalis innititur lumini rationis, & illa manifestatur, vt patet ex quæst. 94. artic. 1. Lumen verò rationis, non obscuratur nisi hominis culpa, propter consuetudinem peccandi, & corruptionem morum, vt indicat Sanct. Thom. eadem quæst. art. 5. ad 6. ergo vel lumen rationis non obscuratur, & non erit ignorantia iuris naturalis, vel culpa hominis obscuratur, & ignorantia erit vincibilis.

S. Thom.

Contraria sententia vera.

Cæterum sententia hæc nisi limitetur falsa est, negari enim non potest, aliquorum præceptorum iuris naturalis posse esse ignorantiam inuincibilem. Quod prosequitur Corduba lib. 2. quæst. 4. propositione 1. & allegat Sanct. Thom. infra quæst. 94. art. 4. 5. & 6. & Caiet. ibidem, qui solum dicunt posse esse ignorantiam aliquorum præceptorum iuris naturalis, non tamen illam esse inuincibilem, quâquàm ex dictis Sancti Thom. eo loco posit hæc sententia confirmari, vt statim ostendam. Allegat etiam Corduba alios authores, quos omitto, quia non satis clarè eam docent, potest meo iudicio allegari Almai. tractat. 1. Moral. capit. 4. qui solet pro opposita sententia referri; nam dicit iuris naturalis vniuersalis non posse dari ignorantiam inuincibilem, illa enim limitatio, *vniuersalis*, indicat aliquam ignorantiam inuincibilem esse, licet non eorum quæ vniuersalia sunt inter præcepta legis naturæ.

Corduba. S. Thom. Caiet.

Almai.

Declarat.

Pro explicatione, ergo huius sententiæ supponendum est, præcepta iuris naturalis esse in triplici differentia. Quædam enim sunt prima principia, quæ se habent in practicis, sicut prima principia in speculatiuis, vt bonum est prosequendum, malum est fugiendum, quod tibi non vis, alteri ne feceris, & similia. Quædam verò sunt conclusiones proximæ primis principijs, quæ ex illis facili discursu deducuntur, vt non esse occidendum hominem propria authoritate, non esse furandum, & vniuersim omnia præcepta decalogi secundùm substantiam, abstractis particularibus circunstantijs. Secundùm substantiam voco non esse occidendum, non esse furandum, vel mentiendum, cum circunstantia autem, si homo; qui occidendus est, sit tyrannus, vel si mentiendum sit pro salute alicuius, vel furandum quod expendatur in eleemosinam. Quædam denique præcepta sunt conclusiones remotiores, quæ ex pluribus principijs, & conclusionibus lõgius deducũtur, & indigẽt maiori discursu, & labore, vt sunt præcepta decalogi in casibus, & circunstantijs modo assignatis, & præceptum de indissolubilitate matrimonij, de vitandis vsuris, vel simplici fornicatione, & similia.

Dico ergo primò. Circa præcepta primi generis, nulla potest esse ignorantia vincibilis, neque inuincibilis in homine habente vsum rationis. Hanc conclusionem docet S. Thomas quæst. illa 94. & probatur facilè, quia hæc principia sunt per se nota, atque adeò nisi penitus extinctum sit lumen rationis ignorari non possunt. Et confirmatur à simili de primis principijs, & propositionibus per se notis speculatiuis.

Prima conclusio.

S. Thom.

Probatur.

Dico secundò. Circa præcepta tertij generis potest esse ignorantia inuincibilis in multis hominibus, & longo tempore. Videtur id colligi ex S. Thom. q. 94. art. 4. quatenus dicit, conclusiones quæ sequuntur ex principijs iuris naturæ, tãrò esse magis fallibiles, & magis obscuras, quantò sunt particulares, & quantò à pluribus circunstantijs pendent. Probatur autem, nam cum hæ conclusiones sint obscuriores, & indigeant maiori discursu, requiruat perspicatiam ingenij, vel doctrinam, & magisterium: poterit ergo contingere, vt naturali hebetudine torpescat ingenium, & à necessarijs occupationibus impediatur studium, & deficiat magisterium, & ideò ignorantia inuincibilis fit. Confirmatur, quia etiam inter doctores solent esse opiniones cõtrariæ de aliquibus ex his conclusionibus, vt de quorundam cõtractuum natura, & firmitate: ergo faciliùs apud imperitos poterit esse ignorantia inuincibilis.

Secunda.

S. Thom.

Probatur.

Confir.

Dico tertiò, de præceptis secũdi generis, nõ potest esse ignorãtia inuincibilis lõgo tẽpore, & in multis hominib⁹. Hæc cõclusio colligitur ex S. Thom. illo loco & q. 100. art. 8. & probatur, nã cũ præcepta hæc sint conclusiones, quæ proximè accedũt ad prima principia, facili discursu deducũtur, & non possunt ignorari, nisi ob nimian negligentiam, vel morum deprauationem.

Tertia conclusio.

S. Thom.

Probatur.

Sunt etiã qui velint, nec pro paruo tẽpore, nec in vllo prorsus homine posse reperiri igno. antiã inuincibilẽ istorum. Sed oppositum, meo iudicio, est verum. Cum enim hæc præcepta non sint per se nota, sed indigeant aliquo discursu non

Quorundã opinio.

Reijcitur.

non est mirum si vnus, aut alter paruo tempore inuincibiliter ea ignorare possit, in natione enim in qua licitum reputabatur furtum, verisimile est, saltem rusticos, & pueros excusari potuisse.

Obiectio. Primũ præceptum decalogi facilè ignorari posse, probatur primo.

Sed contra hanc conclusionem obijci solet. Primum præceptum decalogi est potissimum, & maximè necessarium ad institutionem vitæ humanæ, scilicet, cultus veri Dei, cuius tamen ignorantia inuincibilis in multis hominibus, & diu potest esse. Nam hoc præceptum supponit cognitionem veri Dei finis naturalis, quæ facilè latere potest; quia demonstrationes, quibus concluditur esse vnum verum Deum, sunt difficillimæ, & vix notæ peritissimis Philosophis. Item, quia si tam facilis esset cognitio huius veritatis, non contingeret error, & ignorantia eius, quæ contigit toti generi humano, vt vix vnus, aut alter Philosophus eam fuerit assecutus. Et denique id indicat Sanctus Thomas, qui 1. par. quæstio. 1. artic. 1. & 2. 2. quæst. 2. artic. 4. dicit, fidem infusam necessariam esse ad cognitionem Dei, etiam vt finis naturalis est; quod non esset verum, nisi hæc cognitio viribus naturæ, aut impossibilis, aut summè difficilis esset.

Secundò.

Tertiò.

S. Thom.

Oppositum est verum & probatur primò.

Asserendum tamen est veri Dei, & primi præcepti decalogi, non posse esse ignorantiam inuincibilem communẽ multis & diuturnã. Colligitur ex Paulo ad Roman. 1. illis verbis: *Inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta cõspiciuntur, sempiterna quoq; eius virtus & diuinitas*: & illis. *Qui commutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, &c.* quibus adiungit. *Ita vt sint inexcusabiles*, & Actorum 14. idem Paulus. *Et qui dem non sine testimonio reliquit se ipsum Deus, &c.* Et ratione probatur: quia id exigit diuinæ prouidentiæ dispositio, & optima naturæ institutio: nam hoc præceptum, & hæc Dei cognitio sunt homini maximè necessaria, & sine quibus vitam bene ordinare non potest, debuerunt ergo esse ex natura rei minùs ignorabilia. Ad primã verò obiectionem respondetur, difficile esse, notitiam veri Dei proprio discursu acquirere; prouidit tamen Deus, vt à principio mundi per traditionem inter homines ita diffunderetur, vt nulla sit, vel fuerit gens adeò barbara, & inculta, quæ ignoret aliquem Deum esse, & illũ colat, & vix vnus, aut alter inuẽtus fuit

Rom. 1.

Actor. 14.

Satisfit obiectis primo.

atheos omnino negans Deum, si qui verò fuerunt tales semper execrabiles, & pro monstris habiti sunt. Præterea hæc notitia Dei communis omnibus talis fuit, vt semper homines conciperent Deum, quo nihil melius, & maius cogitari possit: in quo sit summa potestas: à quo homines maximè dependẽt; & qui sit summè colendus, & venerandus: quæ notitia adeò fuit omnibus peruia, vt non solum inuincibili, sed nec vincibili ignorantia extincta fuerit. Hac autem notitia supposita, non potuit esse inuincibilis ignorãtia veri Dei: nam facillimè cõstat has prærogatiuas, & conditiones non cadere in plures Deos, & quales gẽtiles adorabant, homines scilicet facinorosos, vel res naturã, & dignitate inferiores homine. Quare sufficiens principium erat dubitandi saltẽ, & inquirẽdi veritatẽ: quã si quæretẽt inuenirẽt, vel sapientiorum doctrina, quibus verus Deus notus fuit, vel Deo aliter prouidente. Tota ergo hæc ignorantia oriebatur ex nimia negligẽtia circa res diuinas, & ideò non fuit excusabilis. Et hinc soluitur secundum, nam nihil obstat, quo minus ex hominum incuria, & malitia ea ignorantia acciderit, quæ potuit vitari. Et ad tertiam obiectionem respondetur, sententiam illam Sancti Thomæ explicandam esse, vt explicat ibi Caietanus, necessariam esse fidẽ ad notitiam veritatum naturalium, non simpliciter, sed vt melius & facilius acquiratur, cum quo stat vt possit haberi naturaliter, & vt ignorantia fuerit vincibilis.

Ignorãtia veri Dei communitati hominum semper fuit culpabilis.

Secundo.

Tertio.

Caietan.

Dico quartò, inter fideles rariùs potest esse ignorantia inuincibilis legis naturalis, quàm inter infideles. Quoniam inter fideles frequentissima est doctrina, & magna copia magistrorum, à quibus explicantur hæc præcepta, & ita rarò potest ignorantia excusare. Rarò in quam, quia quãuis fidelibus minor possit esse ignorantia præceptorum tertij ordinis, quàm infidelibus, potest tamen esse: de his enim, non tam facilè inuenitur instructio, & etiam doctis sæpenumero dubia sunt.

Quarta cõclusio.

Sed explicare oportet, quę diligentia adhibenda est, vt hæc ignorantia censeatur inculpabilis his, quibus est possibilis. Alensis, Guillermus, Adrianus & Cajetro, qui dixerunt, ad pellendam ignorantiam iuris diuini, nõ sufficere proprium studium, & consultationem sapientiorum,

Quæ diligentia adhibẽda sit vt hæc ignorãtia sit inuincibilis.

rum; sed requiri mutationem vitæ, & orationem; idem asserunt de ignorantia iuris naturalis. Sed refelluntur eisdem argumentis, quæ magis vrgent nunc: nã cum lex naturalis, à naturali lumine dependeat; media necessaria ad eius notitiam assequendam magis naturalia, & humana, & minus dependentia à speciali, & supernaturali prouidentia, futura sunt.

Resolutio. Dicendum est igitur, illũ qui ignorat aliquid esse de iure naturali, si dubitat, vel habet aliquam probabilem suspicionem, an sit, tenetur quantùm potest suo iudicio examinare veritatem, & recurre re ad consilium sapientiorum, quos credat sufficientes ad instruendum: qua diligentia adhibita, si adhuc sit in errore, vel ignorantia inuincibiliter ignorat. Si autem nulla præcesserit notitia, vel dubitatio, etiam si nihil præstet excusatur.

Diluuntur argumenta primæ sententiæ. Argumenta pro prima sententia, facilè enodari possunt. Ad primum dicendũ est, Paulum nõ accusare gentiles de omnibus peccatis contra legem naturæ, sed de quibusdam, quę ibi numerat, quę omnia sunt contra manifestissimas veritates, & primas conclusiones. *Exponitur Paulus.* Authoritas Gratiani non vrget; & potest eodem modo explicari. *Gratianus Arist.* Locus Aristot. dupliciter exponi solet. Eustratius dicit, Arist. loqui de illa ignorantia prauæ electionis, quę interuenit in omni peccato, quia omnis peccans est ignorans; & non esse legendum, *ignorantia vniuersaliũ*, *sed ignorantia vniuersalis*, hæc autem non est ignorantia iuris. S. Thom. & Donatus legunt *ignorantia vniuersalium*, & intelligunt ignorantiam iuris; propositio tamen Aristot. non est vniuersalis, sed indefinita, & sensus est, ignorãtiam iuris minus, & rariùs excusare, quàm ignorantiam facti, vel inaduertentiam: quia magis debita est scientia, & facilius potest haberi. *Soluitur ratio.* Ad rationem respõdetur, legem naturalem inniti naturali lumini rationis, sed quia hoc lumen non habet efficatiam quæ æqualiter illustret omnia præcepta possunt quædam absque culpa, & inuincibiliter ignorari.

MEMBRVM TERTIVM.

Verum iuris positiui ciuilis, vel Ecclesiastici, possit dari ignorantia inuincibilis.

Guillermi sententia. GVillermus Parisiensis in superioribus relatus, etiam iuris positiui nullam admittit ignorantiam inuincibilem, persistens in eodem fundamento neminem ignorare, quod scire tenetur, nisi sua culpa & negligentia, quia vt minimum oratione, & respiscentia à peccatis, scientiam necessariam consequi potest. Sed hoc iam sufficienter exclusum est. *Reijcitur.* Et præter hunc authorem, nullus alius negat possibilem esse ignorantiam inuincibilem cuiuscunque iuris positiui. *Sententia affirmans vera.* Quod à fortiori probatur, quia si iuris diuini, & naturalis possibilis est, multò potius iuris positiui: tum quia minor est obligatio ad eius notitiã, quàm iuris naturalis, & diuini, ratione cuius minus culpabilis est negligentia: tum etiam, quia multiplices sunt humanæ leges, sunt etiam variabiles, & facilè mutantur, & denique, quia difficilius est acquirere earum notitiam, quæ à sola relatione hominum pendet, vel librorum lectione. Legantur Castro lib. 2. de lege pœnali cap. 14. Adrian. quodlib. 2. fine argumentis, Corduba lib. 2. quæst. 2. pro positione 4. *Castro. Adrian. Corduba.* Vt tamen intelligatur quando ignorantia erit inuincibilis; seruandę sunt regulæ in superioribus constitutæ, vt præcedat notitia sufficiens quæ moueat ad inquirendum, & adhibeatur cõmunis diligentia, quæ est consultatio peritorum, & studium proprium, quantum moraliter est possibile.

Dubium. Sed quia sæpe dictum est, consultationem sapientium esse medium debitum, & requisitum ad vincendam omnem ignorantiam iuris, dubitari potest, quot, & quales sapientes consulendi sint, vt censeatur sufficiens diligentia. *Soluitur.* De qualitate facilè potest dici, futuros esse fidedignos, & sufficientes ad docendum, vt verò censeantur tales, sufficit proprium dictamen cum fundamento, & apparentia; præsertim si homo habet sincerum animum assequendi veritatem, & non quærit magistros prurientes auribus. Est etiam optimum fundamentum, vt iudicetur eum qui consulitur, esse fidedignum, communis opinio, & ruputatio. Quod attinet verò ad numerum Adrianus, vbi supra Henricus quodlib. 4. q. 33. Nauarr. in summa cap. 27. nume. 268. dicunt, vnius authoritatem sufficere. Castro affirmat, quærendos esse plures, nisi res de qua inquiritur sit leuis. *Adrian. Henric. Nauarr. Castro.* Sed existimo

mo etiam si grauis sit, sufficientem esse vnius authoritatem: nisi sit res valde difficilis, aut occurrant diuersæ sententiæ, aut rationes quibus innititur, qui consulit, non satisfaciunt, in his enim & similibus casibus necesse esset, consulere plures. Hæc definita sint tradendo generales regulas: cætera prudentis arbitrio remittenda sunt; & illud etiam quando quis possit proprio studio fidere.

MEMBRVM QVARTVM.

Vtrum sit possibilis ignorantia facti inuincibilis.

Guiller. Mittenda est sententia Guillermi Parisiensis loco allegato, qui inuniuersum nullã agnoscit ignorantiam inuincibilem, nec iuris, nec facti. *Gabr.* Gabriel in 4. distinct. 15. quæst. 14. art. 3. dub. 2. distinguit duplicem ignorantiam facti, vnam, quando quis dat operam rei illicitæ, vt qui intendens venationi prohibitæ, putans occidere fœram, occidit hominem; aliam, dum quis dat operam rei licitæ. Primam dicit nunquam esse inuincibilem, quantacunque adhibeatur diligentia, & solum posse contingere ignorantiam inuincibilem facti, quando quis dat operam rei licitæ.

Reijcitur, Castro. Sylvest. Couarr. Sed hæc sententia etiam est falsa, & singularis & meritò reijcitur à Castro, vbi supra, Syluestro verbo, *ignorantia*, q. 6. & Couarr. cap. *Alma mater*. §. 10. nu. 16. nam hæc differentia, vt quis det operam rei licitæ, vel illicitæ, impertinens est, vt ignorantia sit vincibilis, aut inuincibilis; est enim ignorantia inuincibilis, quæ adhibita sufficienti diligentia non vincitur; & potest contingere, vt qui dat operam rei illicitæ adhibeat sufficientem diligentiam, vt aliud peccatum vitet: quod admittit S. Thom. in hac q. art. 3. dicens, posse aliquem occidere hominem ignorando inuincibiliter esse patrem, & tunc excusari à circunstantia parricidij. *S. Thom.* *Resolutio.* Dicendum est igitur, possibilem esse ignorantiam inuincibilem facti, quia non est maior ratio in hac ignorantia, quàm in alijs, imò minor: conditio enim facti facilius ignoratur, quàm iuris, & minus subiacet studio, & scientiæ, & est magis contingens, & incerta, sicut est magis singularis. Probatur etiã, ignorantiam facti posse esse inuincibilem ex sacra Scriptura, in ignorantia Abimelec, & ignorantia Iacob, quarum supra minimus. Nam ignorantiam Abimelec fuisse inuincibilem constat, quia cum Deus iratus, & minabundus eum increparet dixit. *Num gentem ignorantem & innocentem interficies Domine? In innocentia mea, & munditia manuum mearum hoc feci*. Et Dominus respondit. *Ego scio quod simplici corde feceris.* Ignorantiam verò Iacob fuisse inuincibilem, patet, quia Iacob non deprehendit eam, cum qua iacuerat, esse Liam vsque ad lucem diei sequentis. *Genes. 20. & 24.*

Dubium. Sed inquiret aliquis, si ignorãtia Abimelec fuit inuincibilis, quare percussus est à Deo, quia tulerat vxorem Abrahę. *Tyranus.* Lyranus sentit ignorantiam Abimelec fuisse vincibilem, quia non adhibuit sufficientem diligentiam. Sed hoc falsum est, & conuincitur verbis textus supra adductis. *Aliorum solutio.* Alij verò dicunt punitum fuisse Abimelec, quia peccauit, non quidem quatenus tulit vxorẽ Abrahæ, sed quia voluit habere plures vxores. Sed hæc solutio non est sufficiens, tum quia non cõstat illicitum fuisse, Abimelec habere plures vxores, quæ tunc temporis multis permittebantur, tum etiam quia repugnat textui, nam dicitur percussum fuisse propter Saram vxorem Abrahæ. *Vera solutio.* Respondetur, ergo, duplicem assignari posse causam propter quam Deus punierit Abimelec, quamuis ignorantia eius fuerit inuincibilis. Prima, vt concepto timore, facilius redderet Abrahæ vxorem suam: hanc reddit Chrisostom. homil. 45. in Genesim. *Chrysost.* Secunda vt ostenderetur ipsius operis deformitas, & esse malum, ac Deo odibile, quod egerat, licet ignorantia excusaretur agens. Quare pœna illa non æterna, sed temporalis fuit, ex earum numero, quas Deus absq; culpa infligere solet, hoc indicat Theodoretus quæst. 62. in Genesim. *Theodor.*

Quæ verò diligentia sit sufficiens, vt ignorantia facti sit inuincibilis, discernendum est ex circunstantijs pro loco & tempore, nec potest certa regula diffiniri, præter generales in superioribus traditas.

MEMBRVM QVINTVM.

Verum inaduertentia actualis possit esse inculpabilis.

Communis resolutio.

IN hac re certum existimo, ignorantiam actualem, & inaduertentiam posse esse vincibilem, & inuincibilē. Nam omnem inaduertentiam esse vincibilem, & culpabilem, nullus expressè asseruit: quamuis non immerito colligi possit ex sententia illorum, qui asserebant omnes motus sensualitatis esse peccata, quia ratio debet esse in perpetua vigilia, & aduertentia: sed isti non negant esse inaduertentiam inculpabilem, quæ saltim excuset â peccato mortali, quamuis non sit inculpabilis quoad peccata venialia, & contra eos sufficienter disputatum est disputat. 24. Contra verò, omnem inaduertentiam esse inuincibilem, nullus expressè concedit: quam quâm id videantur admittere authores illi, contra quos egimus disput. 28. membro. 1. qui dicebant, nunquam esse peccatum nisi adsit actualis aduertentia malitiæ.

Caieta. *Gabr.* *Palud.* *Cordub.* *S. Thom.*

Sed posse esse inconsiderationem culpabilem, & inculpabilem docent Caietanus in summa, verbo, *inconsideratio*, & 2.2. quæst. 88. art. 1. Gab. 2. dist. 41. art. 3. dub. 3. Palud. in 4. dist. 18. quæst. 9. Corduba lib. 2. quæst. 17. dub. 1. & expressè S. Thomas quæst. 6. art. 8. Et manifestum est, esse plures inaduertentias inculpabiles, quia supra potestatem hominis est recordari omnium, neque aliquis quantumcunque timoratus, sibi vel alijs hoc iugum imponit. Esse autem plures inaduertentias culpabiles, probatur, quia negari non potest, posse esse inaduertentiam affectatam, qua de industria homo diuertat mentem, ne aduertat esse malum, id quod agit, vt non retrahatur à peccando. Est etiam inconsideratio crassa ex negligentia prouenies, quam tamen explicare, & ab inuincibili distinguere, difficile est. Caietan. in summa, & quæst. 6. art. 8. videtur hanc regulam tradere, vt omnis inaduertentia eius qui habet scientiam habitualem sufficientem, & firmum propositum non peccandi, sit inculpabilis. Sed hæc regula est fallax, nam nec ita requiritur firmum propositum non peccandi, vt quandocunque

Quæst in aduertentia crassa. Caietan.

Reijcitur.

defuerit, inaduertentia sit culpabilis, & vincibilis: in magnis enim peccatoribus perseuerante proposito peccandi, potest esse inaduertentia inculpabilis, & naturalis obliuio ex distractione mentis: nec propositum illud sufficit, vt inaduertentia sit inculpabilis; licet enim qui illud habet præstare soleat diligentiam sufficientem, sed non semper præstat. Nescio autem quid sibi voluit Medina quæst. 6. art. 8. asserendo, eum qui eo animo est, excusari ab inaduertentia, etiam si obliuio esset talis, quam posset vincere, hæc enim verba implicationē inuoluunt, nulla enim obliuio vincibilis excusat.

Medina.

Regulæ discernēdi in aduertentiā inculpabilem.

His ergo, & alijs omissis videntur sequentes regulæ veræ, & rationi conformes, quæ fere desumptæ sunt ex Caiet. 2.2. q. 88. art. 1. Prima, adhoc vt inaduertentia sit vincibilis oportet, vt in homine præcedat aliqua actualis consideratio alicuius obiecti, ex qua possit sufficienter applicare se ipsum ad considerationem, & mouere ad aduertendum, id quod agit esse malum, patet ex dictis.

Prima.

Secunda.

Secunda regula. Non est necesse, vt hoc obiectum, quod primò cognoscitur, & est principium sufficiens aduertendi, sit moralitas actus, vel legis obligatio, sed sæpe sufficit vt aduertatur substantia eius. Hæc patet ex his quæ diximus disput. 28. memb. 1.

Nota.

Videtur autem vera hæc regula, non tantùm in his quæ sunt præcepta, aut prohibita iure naturali, sed etiam in his quæ iure positiuo, in quibus quædam tam nota sunt, & eorum obligatio, vel prohibitio adeò manifesta est, vt qui substantiam actus aduertit, non possit excusari ab inconsideratione malitiæ, tale est præceptum ieiunij quadragesimæ, vel audiendi Missam in diebus festis: qui enim aduerteret diem esse quadragesimæ, vel festum, etiam si non aduerteret præcepta, non excusaretur ab eorum transgressione. Siue autem sint præcepta naturalis, siue positiui iuris, si malitia non est tam clare annexa substantiæ actus, nec tam facilè ex ea deduci potest, aliqua notitia eius, vel dubitatio requiritur.

Tertia.

Tertia regula. Inaduertentia, quæ sequitur ex causa voluntaria, vincibilis est. Hanc regulam præter Caietanum tradunt etiam Gab. & Corduba, supra citati. Et probatur, quia quod est voluntarium

rium in causa, voluntarium est simpliciter. Sed intelligenda est hæc regula, quãdo præuidetur effectus, vel potuit præuideri, vt si ex vehementi applicatione ad studium, vel ad ludum non aduertatur obligatio audiendi missam, vel recitandi horas canonicas, est culpabilis, si quando homo se applicuit, præuidit inaduertentiam futuram, vel potuit, & debuit præuidere, quia eam sæpius expertus fuerat.

Quarta. Quarta regula. Eius qui habet consuetudinem operandi sine consideratione, & aduertentia ad bonitatem, vel malitiam, inaduertentia est vincibilis. Probatur, quia hæc consuetudo est causa sufficiens, in qua singulæ inaduertentiæ sunt voluntariæ. Hæc de inaduertentia in cõmuni, cætera pensatis circunstantijs iudicanda sunt.

DISPVTATIO XXXI.

An ignorantia sit peccatum?

PRimò certum est, ignorantiam inuincibilem, quæcunque sit, & de quocunq; obiecto, non esse peccatum, quia est inuoluntaria, & inculpabilis. Secundò certum est, ignorantiam vincibilem de re, quam quis tenetur scire, esse peccatum aliquo modo, patet ex sacra Scriptura. 1. ad Corinth. 14. *Qui ignorat, ignorabitur.* Psalm. 15. *Nolluit intelligere, vt bene ageret.* Et ratio est euidens, quia est mala, & voluntaria.

1. Cor. 14. Psal. 15.

Status quæstionis. Est ergo tota difficultas, an ignorantia sit peccatum secundùm se, an verò ratione alicuius adiuncti, scilicet negligentiæ addiscendi. Quando autem inquirimus, vtrum ignorantia sit peccatum secundùm se, intelligendum est, an sit peccatum eo modo, quo actus exterior potest esse peccatum, siue formaliter, siue denominatione extrinseca ab actu voluntatis, iuxta diuersas opiniones, quas supra sect. 2. d. 42. expendimus; hoc enim dubium in omni opinione habet locũ; & punctus controuersiæ est, an ignorantia sit peccatũ eo modo, quo actus exterior, vel omissio eius, potest esse peccatum.

Prima sententia. Prima sententia asserit, ignorantiam quamcunque vincibilem esse peccatum secundùm se, & non ratione solius negligẽtiæ; ita vt si sit error positiuus sit peccatum cõmissionis, si autem sit priuatio scientiæ, sit peccatum omissionis. Hanc expressè tradunt S. Thom. in 2. d. 22. q. 2. art. 1. & Ricard. eadem. dis. art. 2. q. 2. & ex Neotericis Medina in hac. q. art. 2. & Valentia disputat. 6. q. 6. puncto. 2. Idem docuit S. Thom. supra. q. 74. artic. 5. dixit enim esse peccatum in ratione, quando quis habet ignorantiam, vel errorem circa ea, quę scire tenetur. Probatur primò, quia ignorantia secundùm se est contra præceptum, ergo secundùm se est peccatum, consequentia est certa, antecedens probatur: & in primis, ignorantiam esse contra præceptum est satis notum: tenemur enim aliqua, & multa scire: tantùm probandum est, esse secundùm se contra præceptum, & non ratione negligentię. Hoc probatur, quia eatenus aliquid præcipitur, quatenus necessarium est, sed necessitas per se primo exigit scięti ã quæ propter se ipsam est necessaria, ergo præceptum respicit scientiam qua scientia est. Et confirmatur, quia ideò diligentia præcipitur, quia scientia præcipitur, ideò enim diligentia præcipitur, quia est medium ad acquisitionem scientiæ, ergo scientia secundùm se, & non ratione diligentiæ precipitur. Tertiò ignorare secundùm se est malum, & malum dissonum naturæ rationali, ergo si accedat ratio voluntarij quæ conuenit ignorantiæ vincibili, ipsa erit peccatum, quia hæ sunt conditiones peccati. Vltimò, ignorantia, & error contra fidem, sunt peccatum secundùm se, ergo & ignorantia aliorum quæ scire tenemur: consequentia valet à paritate rationis, antecedens certum est, nam error contra fidem est peccatum infidelitatis, & ignorantia priuatiua est peccatum omissionis.

S. Thom. Ricard. Medin. Valentia. *Probatur. Primò.* *Secundò.* *Tertiò.* *Quartò.*

Secũda sententia. Secunda sententia asserit, nullam ignorantiam esse peccatum in se ipsa, sed peccatum consistere in negligentia acquirendi scientiam. Alensis. 2. p. q. 112. memb. 1. & 114. memb. 1. Bonauent. in 2. d. 22. art. 2. q. 2. Durand. eadem d. q. 4. Almai. tracta. 1. Moral. q. 4. Syluester in summa verbo *ignorantia.* q. 13. Caietan. & Conrradus artic. 2. Castro lib. 2. de lege pœnali cap. 14. quamuis Bonauent. & Almain. propterea solum negent ignorantiam secundùm se esse peccatum, quia sentiunt, peccatum formaliter non esse nisi in voluntate. Innitur hæc sententia potissimè huic fundamento, quia omne peccatum opponitur alicui virtuti morali, sed ignorantia tantùm opponitur virtuti intellectuali, nempe scien-

Alensis. Bonau. Durand. Almain. Syluest. Caieta. Conrr. Castro.

tiæ: ergo secundùm se non est peccatum, sed ratione negligentiæ.

Tertia sententia. Cord.

Tertia tamen sententia media, quam tradit Corduba lib. 2. quæst. 6. & est communior hoc tempore, distinguit inter ignorantiam actualem, & habitualem; & dicit ignorantiam actualem secundùm se esse peccatum; ignorantiam verò habitualem non esse. Hanc sentẽtiam ego veram existimo, credo tamen non esse concedẽdum omnem ignorantiam actualem esse secundùm se peccatum.

Prima conclusio.

Dico primò, nulla ignorantia habitualis est secundùm se peccatum, sed peccatum, quod incurritur ignorando, consistit in negligentia addiscendi. Et quidem peccatum interuenire in ignorantia habituali, patet, quia scientia habitualis ępissimè est necessaria ad vitæ institutionem. Sed hoc peccatum consistere in negligentia acquirendi scientiam, probatur primò ex Sancto Thoma, qui hoc expressit art. 2. huius quæst. vbi videtur retractasse quod dixit in secundo sententiarum: nam in corpore dicit, peccatum ignorantiæ comprehendi in illa diffinitione Augustini. *Dictum, factum, vel concupitum, &c.* quatenus ex negligentia omittitur aliquid, quod deberet dici, fieri, vel concupiscì ad acquirendam scientiam: & in solutione ad secũdum dicit, eodem modo ignorantiam esse peccatum, quo priuatio gratiæ habitualis ratione negligentię disponendi se ad gratiam: & in solutione ad tertium dicit, in hoc peccato contingere, quod in alijs peccatis omissionis, vt aliud sit voluntas ommittendi diligentiam ad sciendum, & aliud ipsa omissio, quæ est negligentia: eodem modo loquitur quæst. 3. de malo artic. 7. in corpore & ad primum. Secundò probatur authoritate Aug. 1. de lib. arb. capit. 19. vbi dicit. *Non tibi imputatur ad culpam, quòd inuitus ignoras, sed quòd negligis quærere quòd ignoras.* Tertiò probatur ratione. Et non nulli argumentantur; si ignorantia habitualis secundùm se esset peccatum, quandiu durat ignorantia, tandiu duraret peccatum, quod videtur inconueniens. Sed hoc argumentum nõ vrget, quia non est inconueniens vt peccatum aliquod duret longo tempore: peccatum enim furti continuatur, & durat toto tempore, quo apud furem manet res aliena: & idem contingeret in ignorantia. Imo, etiam si ignorantia solum sit peccatum ratione negligentiæ, peccatum durat quo vsque tollitur ignorantia, & diligentia adhibetur, vt acquiratur scientia. Quamuis in vtroque casu si non renouetur voluntas, vel intendatur, nõ augetur culpa, quæ in principio fuit. Hoc ergo, & alijs argumentis relictis, facilis & vera probatio huius asserti est; quia nullus habitus, vel dispositio similis habitui, est peccatum formaliter, & secundùm se: peccata enim in actibus consistunt, & omnis bonitas, & malitia moralis, & omne meritum, vel demeritum; & præcepta de actibus, non de habitibus dantur; cum ergo scientia habitualis non sit actus, sed habitus, vel dispositio similis habitui, non est secundùm se peccatum.

Probatur. Primò. S. Thom.

Secundò. August.

Tertio. Quorundã argumentum.

Est ineffica.

Efficax ratio.

Secũda cõclusio. S. Thom.

Dico secundò. Ignorantia, vel error actualis potest esse peccatum secundùm se. Probatur authoritate Sanct. Thom. in solutione ad tertium, vbi explicans quæ peccata ignorando contingant, dicit, esse negligentiam, & inconsiderationem. Inconsideratio est actualis ignorantia, & dum distinguitur à negligentia, significatur secundùm se, & non ratione eius, esse peccatum. Quando ergo in toto articulo absolutè dicit, ignorantiam esse peccatum ratione negligentiæ, intelligendus est de ignorantia habituali; & meritò, nam ignorantia propriè habitualem significat, actualis enim, non tam dicitur ignorantia, quàm inconsideratio. Vnde infero authores secundæ sententiæ non contradicere huic asserto, quia nomine ignorantiæ vtuntur secundùm propriam significationem, qua significat habitualem: quod aliqui, vt Durandus, & Conrradus claré explicuerũt. Ex hac etiam conclusione intelligitur, quod ex Sancto Thoma quæst. 74. artic. 5. pro prima sententia allegatum est, loquitur enim de ignorantia actuali. Ratio autem conclusionis sumitur ex dictis quæst. illa 74. quia in intellectu est aliquod peccatum formaliter, quod non potest esse aliud, quàm error, vel ignorantia actualis.

Tertia conclusio.

Dico tertiò, non omnis ignorantia actualis est peccatum secundùm se, sed illa ignorantia, vel error qui sunt circa assensus, qui subiacent imperio voluntatis. Hoc constat ex dictis q. illa 74. art. 5. Sũt enim aliquæ cognitiones necessarię, quæ non pendent à voluntatis motione nisi indirectè, & quo ad solam applicatiõnẽ potẽtiæ, qualis est cognitio scientifica, qua:

quarum ignorantia, vel error sunt pecca ta solum ratione applicationis, vel studij. Quare, vt ibi explicuimus, soli errores, vel ignorantiæ, quæ fidei, vel prudentiæ opponuntur, sunt secundùm se peccata.

Coroll. Cui virtuti opponitur ignorantia culpabilis.

Ex dictis potest diffiniri, cum qua virtute habet oppositionem peccatum ignorantiæ, & ad quod genus vitij reducitur. Ignorantia enim, quæ est peccatum secundùm se, reducitur ad imprudentiam, vel ad infidelitatem; cæterę omnes opponuntur virtuti studiositatis, de qua agit S. Thomas. 2.2.q.166. quæ est virtus annexa temperantiæ, & ordinat, ac moderatur appetitum sciendi, & studium, & applicationem ad scientiam, & constituit medium inter duo extrema, alterũ excessus, quod est curiositas, & alterum defectus, quod non habet proprium nomen, sed appellatur negligentia.

Dissoluuntur argumenta primæ sententiæ. Primum.

Primum argumentum primæ sententia supponit falsum, idem esse semper quod præcipitur, & quod est necessariũ ad finem præcepti, quod enim præcipitur sunt actus, contingit autem non esse eos necessarios, sed rem, quæ per ipsos acquiritur: v.g. vti veste, vel tonsura, quę deceat statum, est in præcepto, quod nõ fertur in vestem, & tonsuram, sed in actus quibus in vsu sunt, & tamen necessitas, vel vtilitas consistit in ipsa veste, vel tonsura, & eodem modo licet necessitas, vel vtilitas cõsistat in habituali scientia non præcipitur ipsa, sed diligentia, & studium, quibus acquiritur. Et inde etiam patet solutio secundi, neganda est enim consequentia.

Secũdum.

Tertium.

Ad tertium respondetur habitum, vel dispositionem, non habere malitiam formaliter, sed causaliter tantùm, vt supra sectio. 3. disputat. 13. exposuimus.

Quartum.

Ad vltimum respondetur errorem, vel ignorantiam habitualem contra fidem, non esse secundùm se peccatum, bene tamen errorem, vel ignorantiã actualem: nec tamen eadem ratio est de omni errore, vel ignorantia actuali, ac de his quæ fidei, & prudentiæ opponuntur.

Fundamentum secundæ sententiæ, non vrget, quia aliquibus virtutibus intellectualibus opponuntur peccata, vt fidei, & prudentiæ.

Dubium.

Sed oritur noua dubitatio, vtrum eo modo, quo ignorantia est peccatum sit speciale peccatum distinctum ab alijs, præcipuè ab eis, quæ ob ignorantiam fiunt. Ratio dubitandi est, quia videtur esse speciale peccatum, opponitur enim specialibus virtutibus, fidei, prudentiæ, & studiositati. At verò durum apparet, eum, qui peccat ex ignorantia, duo peccata cõmittere, furti, verbi gratia, & ignorantiæ. Antiqui hanc dubitationem non attingunt: Neoterici verò varijs distinctionibus vtũtur. Sed breuiter aduerte, scientiam posse præcipi, aut vt fiat vel vitetur aliquid, aut propter se ipsam; primo modo præcipitur scientia, vel notitia legis, & omnis notitia practica: secundo notitia rerum fidei, præsertim circa articulos speculatiuos, & aliquæ scientiæ speculatiuæ, si incumbat docendi munus.

Nodus dubij.

Nota.

Resolutio.

Dico ergo primò, quando scientia præcipitur propter opus quod dirigit, & regulat; peccatum ignorantiæ, non est speciale peccatum, sed illud ipsum, quod per ignorantiam fit, vel cuius periculo se exponit qui ignorat. Probatur, nam error, voluntas & opus vnum peccatum integrant, & eadem malitia est in ipsis, vt diximus quæst. 74. art. 5. Dico secundò, quando scientia præcipitur propter se, speciale peccatum est ignorantia, quia tunc non sumit suam malitiam ab effectu.

DISPVTATIO XXXII.

Qua ratione ignorantia sit causa peccati, excuset, vel minuat peccatum.

MEMBRVM PRIMVM.

An sit causa.

Communis resolutio. Primum assertum.

HÆC Tria, quæ Sanctus Thomas tribus articulis explicuit, breuiter vna disputatione complectemur. Conueniunt omnes in duobus; alterum est ignorantiam quæ tollit scientiam, quæ si adesset impediret actum, siue illa sit vincibilis, siue inuincibilis, siue appelletur antecedens, siue consequens, esse causam peccati per acci-

dens. Esse causam patet, quia propterea actus fit, quòd abest scientia. Esse verò per accidens constat, quia est remouens prohibens, quæ in rigore physico est causa per accidens. Quamuis in aliquo sensu possit dici causa per se, quatenus causa per se dicitur, ex qua necessariò, aut infallibiliter sequitur effectus. Alterum est ignorantiam comitantem, non esse causam peccati, cum enim scientia quam tollit non impediret actum, quin potius libentiùs fieret, si talis scientia adesset, non est, quare dicatur causa actus.

Secũdum.

Sed dubitari solet, vtrũ ignorãtia antecedẽs sit causa peccati formaliter, inquãtum peccatum est, vel materialiter, solius actus peccati? Dubium mouetur propter ignorãtiam inuincibilem, cum enim excuset à peccato, non videtur causa peccati, sed solius actus materialis. Conrradus, & alij dicunt ignorantiam absolutè loquẽdo esse causam actus mali, quando autem est inuincibilis esse causam solius actus, quãdò verò est vincibilis esse causam peccati formaliter. Caietanus verò in hac quæst. artic. 1. contendit ignorantiam semper esse causam peccati formaliter, quia actus qui ab ea prouenit malus est, licet ob ignorantiam, non imputetur ad culpam. Differentia est parui momenti, potius enim ad modum loquendi, quàm ad rem spectat: & pendet ex eo, vtrum actus malus absque libertate possit dici peccatum. Communis tamen vsus loquendi habet, vt nõ vocetur peccatum, & loquendo vt plures, dicendum est ignorantiam inuincibilem non esse causam peccati formaliter, sed materialiter.

Dubium. *Conrr.* *Caieta.* *Solutio.*

MEMBRVM SECVNDVM. An excuset.

Doctrina communis.

COmmunis resolutio est, ignorantiam inuincibilem excusare à peccato, vincibilem verò non excusare: antecedentem autem, & consequentem, prout cum vincibili, vel inuincibili coincidunt. Quæ resolutio ex dictis disputat. 29. perspicua est. Sunt tamen hîc duo dubia, primum de ignorantia comitante, an verè excuset quando est inuincibilis. Secundum, an omnes effectus prouenientes ex ignorantia vincibili imputentur. Est autem quæstio de illis effectibus, qui absque libertate actuali proueniunt, vt sunt qui in ebrietate, somno, vel amentia fiunt, quando somnus, ebrietas, vel amẽtia voluntariè contracta sunt; nam effectus, qui cum actuali libertate fiunt ob ignorantiam vincibilem, certum est imputari.

Duo dubia.

In primo dubio est sententia multorũ asserentium actum, qui fit cum ignorantia comitante imputari, & habere reatũ culpæ, & pœnæ quoad censuras, & obligationem restitutionis, & alios effectus, quem haberet, si fieret sine tali ignorantia. Id docent Durand. in 2. d. 22. q. 4. Gabriel eadem. d. q. 2. art. 1. notabili 4 & art. 2. concl. 3. Couarr. in cap. *Alma mater.* 1. p. §. 10. n. 15. Nauarr. in summa præludio 6. n. 8. & cap. 23. n. 46. Conrradus artic. 3. huius q. & alij. Probatur primò authoritate. S. Thom. & Arist. S. Thom. art. 2. huius q. expressè dicit ignorantiam hanc non excusare, Arist. verò 3. Ethic. cap. 1. distinguit inter agere ob ignorantiam & ignoranter: ignoranter verò agere. S. Thom. & alij expositores referunt ad ignorantiam comitantem: deinde cap. 5. dicit, ea quæ non solum ignorantes, sed ob ignorantiam facimus ignoscenda esse, ea verò quæ facimus nõ ob ignorationem, sed ignoranter, ob affectum aliquem nõ naturalem, neq; humanum, non esse venia digna. Probatur secũdò ratione, quia hæc ignorantia non est causa actus, nam non tollit scientiam quæ si adesset impediret illum, ergo non excusat, excusat enim quod aufert malitiam, vel imputabilitatem, quam auferre nequit, quod nõ habet aliquam habitudinem causæ ad actum. Est præterea hæc ignorantia conditio operantis, non operis, ergo opus in sua natura relinquit.

Discutitur primũ Prima sententia. *Duran.* *Gabr.* *Couarr.* *Nauarr.* *Conrrad.* *Probatur.* *S Thom.* *Arist.* *Probatur Secundo.*

Communis tamen, hoc tempore, sententia fert, eum qui cum ignorantia committante operatur adhibita sufficienti diligentia, vt sit inuincibilis; nullo modo peccare, neq; reum esse pœnæ, vel culpæ. Id docent Medina hîc & Petrus à Soto in tractat. de ratione medendi peccatis lectio 2. Almai. tractat 1. Moral. cap. 4. & Caiet. licet obscurè illis verbis. *Ignorantia concomitans, quia facit nescientem, & non causantem voluntariè, non apponit peccatũ, aut peccati circunstãtiam ex ignoto.*

Verior sententia. *Medina* *Petrus à Soto.* *Almai.* *Caietanus*

Probatur facilè, & euidẽter, quia quod ignorantia comitante inuincibili fit nõ est voluntarium, ergo non imputatur, nec est peccatum: antecedens cõceditur expressè à S. Thoma supra q. 6. articul. 8. & ab

Probatur. *S. Thom.*

& ab Arist. 3 Ethic. cap. 1. his verbis. *Qui igitur ob ignorationem quippiam agit, si ipsum pœnitet inuitus, seu inuoluntariè fecisse videtur, si autem non pœnitet, (quod pertinet ad ignorantiam comitantem) non sponte dicitur egisse,* non sponte i. est, non voluntariè. Et ratione ostenditur: nam nihil potest esse volitum, quin sit cognitum, sed cum ignorantia comitante occisio inimici non est cognita, ergo neque est volita, seu voluntaria.

Responsio. Sed qui oppositam sententiam tuentur, respondere possunt, negando hanc ignorantiam reddere actum non voluntarium, quia præcessit voluntas positiua occisionis inimici; quandiu ergo non retractatur, non est non voluntaria occisio: hæc autem voluntas non potest retractari sola negatione volitionis, sed voluntate opposita; tandiu enim aliquis censetur esse affectus ad obiectum, ad quod voluntatis actu se conuertit, quandiu non habet positiuum actum retractationis: vt patet in conuersione habituali cuiuscunque peccatoris ad obiectum peccati: ergo voluntas præcedens occidendi inimicum, donec fiat actus contrarius, semper permanet, & qui illum occidit cum ignorantia comitante, non operatur non voluntariè. Hoc argumentum *Confutatur* turbauit Caiet. vt vix se ab hac difficultate explicet. Sed facilè dissoluitur si distinguamus inter voluntarium habitualiter, & actualiter, illa enim occisio habitualiter est voluntaria, propter negationem actualis voluntatis, & quia peccata in actibus consistunt, sufficit non esse voluntariam actu, vt excusetur.

Replica. Dices, quid, si non tantum habitualiter, sed actu haberet ille voluntatem occidendi inimicum? *Corduba.* Corduba lib. 2. q. 19. concedit ignorantiam comitantem non excusare, si fortè contingat, vt qui cum ea aliquid operatur, non solum habitualiter velit illud, sed habeat tunc actualem eius volitionem. In quo bona venia *Reijcitur.* decipitur: nam vel illa voluntas actualis imperat actum & ex ea procedit, & non erit ignorantia comitans, vel non imperat, & tam impertinenter se habebit, quàm si esset mera voluntas habitualis: omnino enim per accidens coniungitur illi, & ideò nihil prorsus agit vt imputetur. Ad obiectionem ergo respõdetur si *Vera solutio.* voluntas illa actualis non sit occidendi inimicum ea iaculatione, non magis facere voluntariam occisionem, quàm si esset solum habitualis.

Sed Thomistæ propter authoritatem Sancti Thomæ dicunt, etsi res ita se habeat, modum, & proprietatem loquendi esse, ignorantiam comitantem non excusare, neque accusare; aut non excusare ab eo, quod est per se, excusare autem ab eo quod est per accidẽs illi actui. Vocant per accidens, fieri ignoranter, quod fieret scienter, si aduerteretur. Secundo modo loquitur Caietanus, primo alij Thomistæ. De quo cum quæstio sit de nomine non contendo. Existimo tamen secundùm proprietatem, & communem vocis vsum idem omnino esse, vt actus non imputetur ad culpam, & excusetur à culpa: hoc enim omnes concipimus, & tunc dicimus excusari aliquem, cum non peccat; cum ergo ignorantia comitans sufficiat, vt quis non peccet, absque dubio excusat. Neque est verum excusare solum ab aliquo quod sit accidentarium: nam re uera excusat ab actu, & à tota malitia eius: & quamuis accidat, vt hæc ignorantia contingat illi, qui habet propositum occidendi, non ideò excusat solum ab eo quod est per accidens in actu. Sed si seruata doctrinæ veritate placet ita loqui, non obsisto. *Quisit prius loquendi modus.*

Fundamenta verò, primæ sententiæ infirma sunt. Et in primis Sanct. Thom. nulla ratione sentit actum, qui fit cum ignorantia comitante, esse peccatum: nam quæstione. 6. articulo. 8. dixit, hanc ignorantiam facere non voluntarium, quod sufficit vt faciat non peccatum. Cum ergo dixit, ignorantiam comitantem non excusare, significare voluit aliquam differentiam inter ignorantiam comitantem, & antecedentem in eo quòd ignorantia antecedens excusat omnino, non solum opus, sed etiam operantem, in quo non relinquit aliquod peccatum circa illud obiectum: ignorantia verò comitans, quamuis excuset opus, non excusat operantem, relinquit enim in eo aliquod peccatum, scilicet, priorem voluntatem, quam non destruit: nec aliquid aliud, credendum est, S. Thomam docuisse, quod nec suæ doctrinæ, nec veritati consonum esset. Aristot. verò nihil omnino dixit, quo faueret primæ sententiæ: nam quæ allegantur in argumento, non sunt ad rem: illa enim verba: *Aliud est agere propter ignorantiam, & agere ignoranter,* non *Occurritur argumẽtis primæ sententiæ. Exponitur S. Thom.* *Exponitur Arist.*

continent distinctionem ignorantiæ antecedentis, & comitantis, sed potius ignorantiæ inuincibilis, & vincibilis, vt facilè patebit ex textu: quia in exemplum eius, quod est ignorantem agere, adducit ebrium, & iratum, & subdit. *Non enim ea ignoratio quæ facta est electione causa est, vt aliquid inuitus quispiam faciat:* Ignorantia ex electione vincibilis est, de qua meritò postea dixit, ea quæ fiunt non ob ignorationem, sed ab ignorantibus, non esse venia digna. Quinimo ignorantiam comitantem comprehendit in eo, quod est ob ignorationem facere, quod excusat: nam paulò ante dixerat. *Qui igitur ob ignorationem quippiam agit, si ipsum pœniteat, inuitus fecisse videtur, si non pœniteat, non sponte dicetur egisse:* illud *si non pœniteat*, ad ignorantiam comitantem pertinet, in qua contingit, vt propter præcedentem voluntatem eius quod fit, non pœniteat.

Dissolvitur ratio.

Ad rationem respondetur. Ignorantiam comitantem aliquo modo esse causam actus, non absolutè, sed pro vt hîc, & nunc elicitur: quia qui adhibet diligentiam, ne hominē occidat, ex vi illius voluntatis qua iaculatur, non iacularetur, si sciret esse hominem: & propterea ab Aristot. comprehenditur, in eo quòd est facere ob ignorationem. Respondetur præterea, etiam si ignorantia comitans non sit causa actus, esse tamen causam illius non voluntarij, quod interuenit in actu, & hoc sufficit vt excuset. Negandum est etiam, esse conditionem operantis, & non operis; est enim vera conditio operis, tribuens illi esse non voluntarium, ratione cuius excusat.

Secundum dubiū discutitur. Effectus ignorantiæ vincibilis imputari, multi sentiunt. Alex. Durand. Henrric. Sylvest. Conrra. S. Thom. Nyssen. Dam. Arist.

Secundam difficultatem induxit quorundam antiquorum sententia, qui absolutè docuere, peccata, seu opera mala quæ in ebrietate culpabili fiunt, imputari. Id docuit Alexand. 2. part. quæst. 113. memb. 9. Durandus 2. part. distinctio. 22. quæstio. 4. nume. 6 Henrric. quodlib. 3. quæst. 16. Sylvest. verbo, *ebrietas*, quæst. 4 Conrad. artic. 4 huius quæstionis & alij. Fauet Sanct. Thom. eo articul. 4. ad 4. & 2. 2. quæst. 150. artic. 4. dicens, peccata quæ in ebrietate fiunt, peccata esse, licet leuiora. Quam vniuersalem assertionem inuenire etiam est apud Nyssen. lib. 5 Philoso. cap. 2. Damasc. lib. 2. de fide cap. 24. Arist. 3. Ethicor. cap. 1. & cap. 5. Sed mea sententia omnes authores isti nequaquam à veritate aberrarunt, sed sine distinctione protulerunt, quod vniuersaliter verum non est, & distinctione indigebat.

Vera sent.

Porrò non omnia opera quæ in ebrietate, vel amentia voluntaria fiunt, peccata esse, meritò senserunt Bonauent. 2. dist. 23, artic. 2. quæst. 3. ad vltimum, Paluda in 4 dist. 32. art. 3. nume. 13. Caieta. 2. 2. quæst. 150. art. 4. Couarr. in Clementina. *Si furiosus.* 3. part. num 3. & 4. Nauarr. in summa cap. 27. num. 230. & alij. Quod facilè probatur ex his quæ quæst. 73. artic. 8. & q. 20. artic. 4. disputata sunt. Nam actus mali, qui hac ignorantia fiunt, à sola causa, ex qua emanauit ebrietas, vel somnus, participant libertatem, & imputabilitatem: constat autem ex locis allegatis non omnes effectus, qui proueniunt ex causa voluntaria imputari; sed eos solos, qui sunt præuisi, & intenti formaliter, vel virtualiter, quia potuerunt, & debuerunt præuideri, & vitari: quales sunt, qui per se consequuntur causam, vt cum quis frequenti experientia probauit, se occidere, vel lædere, quando est ebrius. Et quia de hac re plura diximus ibi, non est opus longiori probatione, nam specialiter discernere, qui effectus sequantur per se, & qui non prudentis arbitrio remittendum est. Potest autem confirmari, non omnes effectus, qui hac ignorantia fiunt, imputari, Patrum sententia, qui quamuis non excusent sanctum Loth à peccato ebrietatis, quod fuit causa, vt cum filiabus concumberet; excusant tamen à peccato incæstus. Hi sunt Origines homil. 5. in Genes. Chrysostom. homil. 44. August 22. contra Faustum capit. 44 & Theodoretus q. 69. in Genes. Licet (vt hoc obiter dicam) mihi probabilius videatur cum Sancto Thoma 2. 2. quæst. 150. articul 4. ebrietatem Sancti Loth fuisse inculpabilem: non enim credendum est, virum sanctum, qui inter tot peccatorum myriades inuentus est iustus, adeò fuisse intemperatum, vt culpabiliter inebriaretur: sed ebrietatem illam prouenisse ex aliqua confectione, qua filiæ vsæ sunt, & non ab excessu potus, sed de his alibi. Quando ergo authores pro prima sententia adducti absolutè dicunt, non excusari hominem, ab his quæ facit in ebrietate culpabili; intelligendos puto de illis, quæ quando contrahit ebrietatem præuidit, aut potuit præuidere: nec enim instituta eorum disputatio aliquid

Bonau. Palud. Caiet. Couarr. Nauarr.

Origen. Chrysost. August. Theodor.

S. Thom. Sanctus Loth excusatus ab ebrietate, & incæstu.

quid amplius requirit, præsertim Sancti Thomæ. Nysseni, Damasceni, & Aristotelis. Nonnulli Aristot. interpretantur, vt dixerit, peccata, quæ fiunt in ebrietate, imputari solùm in foro exteriori: quod mihi non probatur, nam decernit quid sit imputabile, quia in nostra est potestate, & quid sit inculpabile, quia non est voluntarium, nihil de iudicio fori indicans. Et quamuis adducat in confirmationem suæ sententiæ legislatorum authoritatem, qui pœnas statuerunt peccantibus ebrijs; non idcirco restringere voluit suam sententiam ad forum exterius, sed ex his, quæ prudenter à legislatoribus statuta sunt, probat illa peccata esse imputabilia.

Vaz. disp. 127 ca. 4.

MEMBRVM TERTIVM.

An minuat?

Status quæstionis

DE sola ignorantia vincibili, quæ non excusat à peccato quæri potest: vtrum saltem minuat, non de ignorantia inuincibili quæ excusat omnino, & excusando minuit. Ignorantia autem vincibilis, vt supra visum est, est duplex affectata & crassa. Conueniunt ergo omnes ignorantiam crassam minuere aliqua ratione peccatum; nam minuit voluntarium, non enim potest esse perfectè voluntarium, quod non est expressè cognitum, & ideò Sanct. Thom. quæst. 6. artic. 8. dixit, hanc ignorantiam facere inuoluntarium secundùm quid, licet relinquat voluntarium simpliciter.

Quid certum.

S. Thom.

Pactus cõtroversiæ.

De ignorantia autem affectata, maior est difficultas, an minuat, vel augeat. Sunt qui existiment, etiam ignorantiam affectatam aliquo modo minuere: & hoc probant authoritate, & ratione S. Thom. articul. 3. huius quæstionis, vbi dixit ignorantiam, quæ est directè volita, non excusare in totum: quibus verbis videtur significare excusare ex parte, quod est minuere: & quæst. 6. art. 8. non minus hanc dixit facere inuoluntarium secundùm quid, quàm ignorantiam crassam. Ratione verò, quia hæc ignorantia tollit actualem cognitionem, ergo minuet peccatum, nam facit voluntarium indirectè, & virtualiter tantùm.

Prima sententia.

Probatur primo.

S. Thom.

Secundò.

Alij distinguunt fines, propter quos ignorantia est affectata, potest enim contingere, vt quis affectet ignorantiam alicuius veritatis ex conscientia erronea, putans esse errorem, quomodo Paulus affectabat ignorantiam fidei. Secundò potest esse, vt aliquis affectet ignorantiam eo solùm fine, vt vitet aliquoddamnum temporale, vt cum quis vult nescire, vt vitet laborem discendi. Tertiò potest esse ignorantia affectata propter eum finem, vt quis liberiùs peccet, & reprimat remorsum conscientiæ, & hanc tertiam dicunt non minuere peccatum, duas autem primas minuere.

Secundæ sententia.

Reijcitur.

Sed ni fallor distinctio ista inutilis est: nam illæ duæ priores ignorantiæ (nisi sit quæstio de nomine) re vera non sunt affectatæ, sed crassæ. Prima non est affectatio ignorantiæ scientiæ debitæ, sed est affectatio ignorandi id, quod existimatur error: & quamuis hoc, propter conscientiam vincibilem, non excuset; non tamen reducendum est ad ignorantiam affectatam, sed ad crassam negligẽtiam examinandi, an verè scientia illa vera, & debita sit. Secunda verò, non est affectata, quia si solum odio habetur labor discendi, ipsa ignorantia non est directè volita, sed sola negligentia, quod ad ignorantiam crassam pertinet. Si autem in commodum temporale non sit labor discendi, sed aliquid aliud annexum ipsi operi peccati, vt priuatio voluptatis; hoc iam spectat, ad ignorantiam affectatam, & ad tertium membrum; est enim affectare ignorantiam, vt liberiùs peccet: nam hæc commoda, vel incommoda pertinent ad materiale peccati: & quando dicitur, ignorantiam affectatam esse, quam quis vult ex affectu peccandi, intelligendum est, non solum ex affectu ad malitiam, sed ex affectu ad peccati commoditates.

Vera sentẽtia.

S. Thom.

Durand.

Gabr.

Ricard.

Almain.

Absolutè ergo dicendum est cum S. Thom. art. 4. huius quæst. Durando 2. distinctio. 22. quæst 4. Gabr ibidem quæst. 2. artic. 2. conclusione 3. Ricard. articul. 2. quæst. 3. Almai. tractat. 1. Moral. capitu. 5. & alijs, ignorantiam affectatam non minuere peccatum: nam hæc ignorantia prouenit ex expresso affectu ad peccatum, quo stante, nulla ratione potest diminui: nunquam enim diminuitur peccatum manente eodem genere actus, & circunstantiarum, nisi diminuatur voluntas, & affectus circa ipsum, quem ignorantia affectata nulla ratione minuit, quia potius ignorantia ipsa prouenit

ex intenso, & nimio affectu ad tale obiectum.

Satisfit oppositis.

Ad authoritatem verò Sancti Thomæ respondetur, ex verbis illis, *non excusat in totum*, non inferri, ergo excusat ex parte, nam Sanctus Thomas

S. Thom. exponitur.

distinguit has quæstiones tanquam diuersas, an ignorantia excuset ex toto, & an excusat ex parte, ideſt, minuat, articulo ergo tertio respondit, quòd ibi quærebatur non excusare in totum, art. 4. explicuit, non excusare ex parte.

Ad secundam authoritatem quæ difficilior est vt respondeatur, notandum est, id quod fit ex ignorantia affectata, dupliciter considerari posse. Vno modo, considerando præcisse tempus, quo fit, alio modo, considerando illud, vt dependens à priori affectu, quo quis voluit ignorare, vt liberiùs peccaret: si consideretur primo modo, habet tunc aliquid inuoluntarij, quod inducit ignorantia, si verò consideretur secundo modo, nihil habet inuoluntarij, quia illud inuoluntarium, quod contrahit ex ignorantia, compensatur affectu & voluntate præcedente. Ex quo facilè potest explicari, Sanct. Thom. & satisfieri rationi primæ sententiæ.

Soluitur ratio.

Dubium.

Sed restat videndum, an non solum ignorantia affectata, non minuat, sed etiam augeat peccatum: nam S. Thom. & authores alij, expressè dicunt augere, quod tamen est difficile, nihil enim videtur apponere ignorantia quo augeat peccatum. Respondetur tamen, ignorãtiam affectatam non aggrauare, vt causam, sed vt signum: quia hæc ignorantia signum est maioris grauitatis, quæ prouenit ex affectu. Ille enim affectus intensior est, ex quo prouenit, vt amoueatur scientia, quę sit impedimentum operis. Hunc sensum S. Thomas explicuit: reddens enim rationem, propter quam ignorantia affectata aggrauet, dixit. *Ex intensione enim voluntatis ad peccandum prouenit, &c.* Quę verba tantùm probant ignorantiam esse signum augmenti, & non causam.

Soluitur.

DISPVTATIO XXXIII.

Vtrum ignorantia excuset à pœna.

VT distinctè procedamus aduertendum est, duplicem ignorantiam considerari posse, nempe, culpæ, & pœnæ: & vtraque potest esse vincibilis, vel inuincibilis. Proposita ergo disputatio potest habere tres partes, quæ specialem inuoluunt difficultatem: primam, vtrum ignorantia inuincibilis culpæ excuset à pœna: secundam, vtrum ignorantia vincibilis culpæ excuset à pœna: tertiam, vtrum ignorantia siue vincibilis, siue inuincibilis ipsius pœnæ, absque ignorantia culpæ, excuset à pœna. Singulas breuiter prosequemur.

Tria membra quæst.

Nota.

Aduertendum est præterea, disputationem procedere de pœna largiori appellatione, vt comprehendit irregularitatem, & restitutionis debitum. Tertiò aduertendum est, considerationem nostram esse de euasione pœnæ in foro interiori; nã qualiter excusetur quis à pœna in foro cõtentioso, alterius instituti est, & ad iurisperitos spectat, neq; potest eis dẽ regulis definiri, quibus definitur, qua ratione ignorantia excuset à pœna in foro animæ. Solet esse cõmunis regula Iurisperitorum ignorantiam iuris non excusare, neque in foro exteriori, excusare verò ignorantiam facti, quæ regula habetur ex capit. *ignorantia*, de regulis iuris in 6. & ex pluribus textibus iuris ciuilis, quos adducit Castro lib. 2. de leg. pœnal. cap. 14. Sed hæc regula patitur exceptionem, nam sæpe admittitur ignorantia iuris in foro contentioso, si legitimè probetur, vt Castro notat, & ignorantia facti non excusat quando est prouenies ex lata culpa. Sed hæc suis fabris relinquamus.

MEMBRVM PRIMVM.

Vtrum ignorantia inuincibilis culpæ excuset à pœna.

Conclusio certa.

QVoad hanc partem sit certa, & communis conclusio. Ignorantia inuincibilis culpæ siue sit iuris, siue facti, excusat ab omni pœna, siue iure diuino, siue humano statuta sit. Hanc conclusionem expressè tradunt Adrianus in 4. q. 2. de clauibus, quæ incipit. *Secundo principaliter. § . ad rationes.* & sequenti, Castro vbi supra. *§. Secunda principalis conclusio.* Sotus

Adrian.

Castro.

Sotus. Couarr. Caietan. Cordub. Sotus in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 2. Couarr. super capitulum. *Alma mater.* 1. par. §. 1. num. 13. & 16. Caietan. & expositores, S. Thom. in hac quæst. & q. 73. art. 8. & Cordub. lib. 2. q. 26. nec scio esse qui contrarium opinetur. Habet autem euidentem rationem: nam pœna est effectus culpæ, & iusta fit ratione reatus, qui culpam consequitur, quo cessante iniusta esset; cum ergo ignorantia inuincibilis excuset à culpa, aufert reatum, necessariò ergo excusabit à pœna. Et confirmatur ex cap. *Si vero*, 2. de sent. excomun. vbi definitur, eum qui occidit clericum, non ferentem habitum, nec tonsuram (propter quod inuincibiliter ignorabat esse clericum) non incurrere sententiam excommunicationis, & cap. *Apostolica*, de clerico excomuni. vbi definitur clericum, qui celebrauit ignorans se esse excõmunicatum, suspensum, vel interdictum, nõ incurrere irregularitatẽ. Est aut vera proposita conclusio tam de ignorãtia inuincibili comitãte, quàm de antecedenti: quia ignorantia inuincibilis comitans, non minus excusat à culpa, atque adeò à pœna, quàm antecedens: est etiam vera quando ignorantia excusat ex parte, licet non excuset in totum, quia excusat ab aliqua circunstantia, & non à substãtia actus; tunc enim excusat à pœna debita illi circunstantię, qui enim occidit clericum sciens esse hominem, sed ignorãs inuincibiliter esse clericum, excusatur à pœna occisionis clerici, vt definitur in capitulo, *si vero.*

Probatur.

Cap si vero.

Cap. Apostolica.

Dubium. Sed inquirunt aliqui, quid iuris, cum quis circa circunstantiam, cui pœna est annexa, inuincibiliter errat materialiter tantum, & non formaliter. v. g. percutit aliquis Petrum clericum, ignorans inuincibiliter esse Petrum, credens tamen esse Ioãnem clericum, incurrat ne excõmunicationem percussoris clerici. Couarr. §. 10. num. 14. dicit, hunc esse excõmunicatum: quia licet inuincibiliter ignoret esse Petrum, non tamen ignorauit esse clericum. Quod verum est, nec est probabile quod alij censent, non incurrere excõmunicationẽ, si intentio præcisè fuit, occidere Ioannem; neque habuit aliam intentionem occidendi clericum: quia à circunstantia clerici non excusatur, qui scienter clericũ percutit, licet erret circa personam.

Solutio. Couarr.

Corell. Ex dictis infero, eum, qui cum ignorãtia inuincibili excõmunicationis, qua innodatus est, recipit ordinem sacrum, nullam irregularitatem, neque suspensionem contrahere, sed posse licitè ministrare in ordine suscepto, & ad alios ordines transire absque dispensatione. Hoc corollarium deduco contra Couar. sup. cap. *alma mater.* 1. part. §. 10. num. 6. qui putat in eo casu necessariam esse dispensationem, quamuis non sit reseruata sedi Apostolicæ, sed possit præstari ab Episcopo, & quoad religiosos, à suis prælatis. Confirmat ex ca. *cum illorum*, de sẽt. excomm. vbi decernit Sũmus Pontifex, eos, qui cum excõmunicati sunt, nõ sciẽter, sed ignoranter aliquem ordinem suscipiunt, posse à suis ordinarijs dispensari, sine Apostolicæ sedis mandato, supponit ergo contraxisse irregularitatem, aliter non haberet locum dispensatio. Probat etiam à simili: nam qui ignoranter recipit ordines ab Episcopo qui renunciauit Episcopatui, vel ab Episcopo excõmunicato, dispẽsatione indiget, & potest eam obtinere ab ordinario, vt decernitur in cap. 1. & 2. de ordinatis ab Episcopo qui renuntiauit; eadem autem videtur ratio vtriusque.

Couarr. Sentent.

Fundam.

Contrarium docent Sylvest. ver. *irregularitas*, num. 15. & Castro lib. 2. delege pœnali, cap. 15. quod mihi probatur, irregularitas enim vel suspensio eius qui excomunicatus ordines suscepit, sunt pœnæ quæ non contrahuntur nisi pro vera culpa. Ad textum verò in oppositum in ductum respondetur, intelligendum esse de excõmunicato qui cum ignorantia vincibili ordines suscipit, vel inteligitur quoad forum exterius, quando ignorantia inuincibilis probari non potest, & presumitur vincibilis. Ad confirmationem, non esse eãdem rationem vtriusque euentus, qui enim suscipiunt ordines ab Episcopo qui renunciauit, vel excõmunicato, quãuis acceperint characterẽ, nõ tamen acceperunt executionem ordinis, cum enim ipse non haberet eam, non potuit conferre ordinatis; & propterea indigent dispensatione, non vt promoueãtur ad alios ordines, sed tantùm vt ministrẽc in ordine suscepto, hæc autem ratio non habet locum in nostro casu.

Sylvest. Couarr. Prob. Corol.

Diruũtur fundamenta Couarr.

Sed de restitutione, & irregularitate adhuc est duplex grauis dubitatio.

(?)

An aliquando restituendum sit damnum inuincibili ignorantia illatum.

Quid certum.

DE restitutione primò. De qua aduertendum est, regulariter eum, qui cum ignorantia inuincibili damnum intulit, ad nullam teneri restitutionem: nisi fortasse res aliena maneat apud ipsum in se ipsa, vel in virtute; quia licet bona fide consumpserit, ex ea tamē factus est ditior, vt latiùs in materia de restitutione. Est tamen dubium an hæc regula sit vniuersalis, an verò in

Nodus dubij.

aliquo casu restituendum sit damnum ignorantia inuincibili illatum? Et vt appareat nodus difficultatis, notandū est, posse contingere, vt aliquis in foro conscientiæ inculpabiliter damnum intulerit, qui tamen in foro exteriori censeatur culpabilis: cum enim forum exterius ducatur præsumptione, aliquando condemnandum censet eum, qui re vera in foro animæ absolutus est. V.g. in custodia depositi potest euenire, vt aliquis à culpa immunis sit coram Deo, quod in foro exteriori probare non potest, & iudicetur reus, quia diligentiam debitam omisit: in quo, & alijs casibus leges præcipiunt vt cogatur restituere, vt patet ex toto titulo. ff. Ad legem Aquiliam præsertim L. *sed & quicunque*, & L. *in lege*. Est ergo dubitatio, vtrum quando legibus dēscernitur restitui damnum illatum ex culpa legali, licet absque culpa morali, in foro animæ, & ante iudicis sententiam debeatur restitutio.

Prima sententia. Couarr. Adria.

Couarr. enim in Epitome. 4. decretal. 2. parte. capit. 6. §. 8. numer. 12. & Adrianus in 4. quæstione 17. de restitutione quæ incipit *vtrum in foro animæ*, & alij quos Couarr. allegat, docent, teneri lædentem in conscientia ad restitutionem.

Probatur.

Probant, quia leges illæ iustæ sunt, ergo ex natura rei est debita restitutio, aut iniustæ essent, cum decernant reddi quod non debetur. Et confirmant, quia læsus potest petere in iudicio restitutionem, ergo lædens tenetur ante iudicium reddere: nam ideò potest læsus petere, quia petit quod suum est, quod autem alienum est, ante sententiam est restituendum.

Confir.

Opposita sententia vera. Sylvest.

Sed contraria sententia est cōmunis, & vera quā docet Sylvest. verbo *aduocatus*, num. 16. & verbo *culpa* num. 5. & verbo *restitutio*, 2. §. 12. & plures Iurisperiti quos Couarr. allegat. Et patet, nam in hoc casu nulla est ratio exceptionis, sicut enim ille in foro conscientiæ immunis est à culpa, ita ab omni obligatione restitutionis.

Satisfit probationibus contrariæ sententiæ.

Ad argumentum autem in oppositum respōdetur, leges præcipere restitutionē, nō quia re vera debita est ex natura rei, sed quia propter bonū cōmune, & vt obstruatur aditus fraudibus, & fallacijs, expedit vt ille restituat, quod non debet, quia apparet debere: iudicia enim exteriora nō semper quod est, sed quod apparet, & probatur attēdūt. Ad cōfirmationē respōdetur, læsum posse petere restitutionē in iudicio, non quia ante iudicis sententiam sit debita, sed quia potest per iudicis sententiam debita fieri; & hac ratione sæpe potest peti in iudicio quod nō debetur ante sententiā: sic enim leges præcipiunt restitui quod acquiritur iudo prohibito, etiā si nō interueniat fraus, & qui perdidit potest in iudicio repetere, cū tamen ante iudicis sententiam nō debeatur, vt ipse Couarr. fātetur super regulam *peccatum* 2. part. §. 14.

An sit irregularis qui occidit, dans operam rei illicitæ cum inuincibili ignorantia?

DE irregularitate verò est difficultas vulgaris, Vtrū qui occidit hominē cum ignorātia inuincibili, si dabat operā rei illicitę, eam incurrat? In quā dubitatione est cōmunis sentētia Iurisperitorū, illum qui dabat operā rei illicitæ, non excusari ab irregularitate, etiā si adhibuerit sufficiētē diligētiā, ne sequeretur mors, vel deformatio. Hos refert Cou. super Clem. *si furiosus*. 2. p. §. 4. fauet eidē sent. S. Tho. q. 73, art. 8. & 2. 2. q. 64. art 8. consentiunt Conrad q. 73. Caiaiet. 22. q. 64. & Sylu. verbo *homicidiū*. 2. §. 2. regul. 3. Videtur probari ex iure Canonico. tit. de homicidio volūtario, & casuali. Ex quo possūt deduci duo argumenta, primum quia ibi in multis capitibus, præsertim cap. *dilectus*, cap. *ex literis* 2. cap. *Ioānes*, & c. *quidā* decernitur quosdā nō fuisse irregulares, qui adabant operā rei licitę; ex quo videtur deduci, si darēt operā rei illicitæ irregulares fore: argumento sumpto à contrario sensu, quod in iure est efficax, vel vt Nauar. dicit in summa c. 27. num. 222. sumpto à causa cessante quod est efficacius, cap. *cum cessante*, de appellationibus.

Prima sententia Iuris perit. Contra. S. Thom. Couarr. Caiet. Sylvest.

Secun-

Secundum argumẽtum est quia in alijs capitibus eiusdem tituli videtur decerni, aliquos esse irregulares propter homicidium inculpabile, propterea solùm quòd dabant operam rei illicitæ. Nam in capitulo *cõmebatur*, declaratur irregularis præsbiter, eo quòd quidam ludens cum ipso imprudenter percussus est falce, quam presbiter portabat, ex quo vulnere postea interijt. Et in capitulo, *ex literarum*, cẽsetur irregularis quidam, qui lasciuè ludens cum muliere prægnante, fuit causa abortus. Et in cap. *tua nos*, idẽ iudicium fertur de monacho, qui pietatis affectu, cum esset chirurgię peritus, aperuit tumorem cuiusdam ægroti, ex quo postea ęgrotus propria culpa, & nõ rectè sibi prouidens, mortem incurrit. Cuius decisionis non alia apparet ratio, quàm quia monachus illẽ exercuit artẽ sibi prohibitam, per capitulum, *sententiã*, titulo no clerici, vel monachi sæcularibus negocijs se immisceant.

Secunda sententia vera.

Contraria tamen sententia hoc tempore est communis, & meo iudicio vera. Cessatum est ergo ex homicidio casuali, vel mutilatione, quæ sequitur per accidens, adhibita sufficienti diligentia, nullam irregularitatẽ contrahi; quantuncunque occidens daret operam rei illicitæ.

Sotus. Couarr. Castro. Medina. Valentia. Nauarr.

Quam opinionem tuentur Sotus libr. 5. de iusti. & iure quæstione prima artic. 9. Couarr. vbi supra, qui alios allegat, Castro lib. 2. de lege pœnali cap. 14. §. *prima principalis conclusio*. Medina. 1. 2. quæstion. 73. articul. 8. Valencia. 1. 2. disputatione 6. quæstione 3. puncto 3 & Nauarr. in eam inclinat loco citato quauis obscurè, & inconstanter loquatur.

Probatur.

Probatur, quia occidens ignorantia inuincibili, etiam si det operam rei illicitæ, aut censetur irrigularis propter iuris expressam dispositionem, aut propter generales regulas, neutro autem motiuo potest condemnari. Primum excludetur soluendo argumenta. Secundum facilè excluditur: nam omnis irregularitas iure statuta propter homicidium, aut est in pœnam culpæ, aut propter defectum leuitatis: sed occidere cũ ignorãtia inuincibili irregularitas non est pœna, nõ enim est culpa cui iustè apponatur; neque contrahitur propter defectum leuitatis, nã hæc in iure assignata est solis occidentibus authoritate publica, ergo nulla ratione sit irregularis.

Obiectio.

Dices, irregularitatem, quæ dicernitur occidentibus authoritate publica, extendi ad eum, qui occidit ignorans, à paritate rationis, & à simili. Sed iuris pœnæ, & odia non sunt extendenda à simili; & præterea non est simile: qui enim occidunt authoritate publica habent, quamuis absque peccato, expressam occidendi voluntatem, & ideo defectum lenitatis, in nostro verò casu nulla est omnino voluntas occidendi, longè ergo differũt. Et quidem si illa irregularitas, ob lenitatis defectum, extendenda esset ad occidentem ignoranter, qui dabat operam rei illicitæ; oportebat etiam extendi ad eum, qui dabat operam rei licitæ, quia in vtroq; est defectus leuitatis. Dices, à iure ipso excipi eũ qui dabat operam rei licitæ, vt patet ex textibus in primo argumento allegatis, non verò cum qui dabat operam rei illicitæ.

Soluitur.

Replica.

Solutio.

Respondetur, verba illorum canonum non habere vim exceptionis ab aliqua communi regula, vt ex eorum expositione constabit. Quare falsum est, quod aliqui dicunt, in iure esse statutam irregularitatem omni occidenti, & excipi eum qui dat operam rei licitæ, non verò qui dat operam rei illicitæ; neque enim aliqua est iuris decisio, quæ in vniuersum omni occisori pœnam irregularitatis infligat, sed ei solum, qui voluntariè cum culpa, vel sine illa, & casu, hoc est, volũtate interpretatiua culpabili occidit.

Coroll.

Solutio quorũdam ad argumenta contraria.

Pro solutione argumentorũ in oppositum, plures authores ex allegatis pro nostra sententia solent distinguere rem illicitam, cui dat operam, qui occidit; aut enim illicita est, quia natura sua habet periculum homicidij, aut est illicita alio titulo, & propter aliam causam prohibita. Dicunt igitur opinionem antiquorũ, & textus, qui illi fauent, intelligendos esse, de eo, qui dat operam rei illicitæ, quæ ideò illicita est, quia periculosa, nõ autem de dante operam rei illicitæ absque periculo. Sed hæc distinctio inutilis videtur: nam ad explicationem decretorum nihil iuuat: tum quia textus à quibus argumentum sumitur à contrario sensu non loquuntur de dante operam rei licitæ id est non periculosæ, sed rei licitæ alia ratione, qualis erat equitatio sanitatis gratia, & pulsatio licita campanarum: tum etiam, quia absque ista distinctione possunt sufficienter explicari. Deinde hæc distinctio non habet locum in casu, quem disputamus.

Non probatur.

con

controuersia enim est quando quis adhibet omnem diligentiam ad vitandum homicidium, non potest autem cohærere vt fiat res natura sua periculosa, & adhibeatur sufficiens diligentia, ne homicidium sequatur: qui enim rem hoc modo periculosam exequitur, nō adhibet sufficientem diligentiam, neque ignorantia eius inuincibilis est.

Soluitur. Primum. Hac ergo distinctione omissa, ad primum dicendum est, argumentum à contrario sensu, vel à causa cessante, nō semper esse efficax in iure, & nulla ratione est efficax in materia pœnali, & in irregularitate, ad quam requiritur iuris expressio: & argumentum à causa cessante tantum procedit in causis adæquatis; dare autem operam rei licitæ non est causa adæquata non incurrendi irregularitatem, sed conditio quædam superaddita causæ principali. Et si inquiras, quorsum Pontifices illa ratione vti sunt? Respondetur additam esse, quia iuuat, vt euidentiùs constet, adhibitam esse sufficientem diligentiam: nam eum, qui dat operam rei licitæ, multò certius est, & minùs dubitabile, præter intentionem, & inuoluntariè, occidisse.

Secundum. Ad secundum argumentum respondetur, in primo casu causam irregularitatis non fuisse, quòd ludus esset illicitus, nam ludus licitus erat, sed vera causa fuit negligentia illius presbiteri in cauendo periculo: habebat enim falcem a cingulo pendentem, quam amouere, aut admonere sotium, aut ludum non permittere debuit. In secundo casu causa irregularitatis fuit non ludus illicitus solus, sed periculosus, monachus enim compressit violenter zonam mulieris grauidæ, quæ fuit sufficiens causa abortus. In tertio casu Nauarr. & Couarr. & alij censent monachum illum decerni irregularē, & affirmāt causam fuisse, quia non adhibuit sufficientem curam ægroto. Sed hęc expositio aduersatur textui dicenti, *Omnemque studuit quam debuit adhibere diligentiam.* Verius ergo existimo cum Soto, & alijs, monachum illum non decerni irregularem, neque est verbum in textu, ex quo oppositum colligatur. Nam responsum Pontificis est, *vt post satisfactionem cum eo misericorditer agatur, vt diuina celebret*; quibus verbis non tā significatur dispensatio irregularitatis, quām negatur irregularitas: quasi dicat misericors iudicium cum eo fiat, ne iudicetur irregularis, & arceatur à sacris, sed facta satisfactione pro culpa vsurpati officij liberè permittatur celebrare.

MEMBRVM SECVNDVM.

An ignorantia vincibilis culpæ excuset à pœna?

Regula generalis. SECVNDA pars disputationis grauis, vtrum ignorantia culpæ vincibilis excuset à pœna. Cuius facilis solutio est; ignorantiam vincibilem culpæ regulariter non excusare à tota pœna, sed posse excusare à parte, quatenus minuit culpam. Hæc conclusio certa est, & de se patet; habet tamen sequentes exceptiones.

Exceptiones. Prima. Prima, quando ignorantia vincibilis sufficiens est ad peccatum veniale, excusat tamē à mortali, quod inaduertentiæ actuali frequenter contingit, & potest aliquando concedi ignorantiæ habituali; tunc excusat à pœna mortali debita, atque adeò ab omni excōmunicatione maiori, & irregularitate, & suspensione, quæ nunquam nisi pro peccato mortali contrahuntur. *Secunda.* Secunda, quando ignorantia, etiam si sit vincibilis, mutat speciem peccati, aut in rigore, aut secundùm cōmunem appellationem, excusat ab illa pœna, quę speciei, quam mutat, assignata est. Hæc exceptio potissimè verificatur in peccato contra fidem, qui enim errat contra fidem vincibiliter etiam ignorantia affectata, excusatur à pœnis hæreticorum, quia non est formaliter hæreticus defectu contumatiæ, quæ ad hæresim essentialiter requiritur. Verùm circa hanc exceptionem admonendus est lector, Couarr. in cap. *Alma mater.* prima parte. §. 10. num. 16. & Castr. lib. 2. de lege pœnali. cap. 14. §. *nec refert*, asserere ignorantiam vincibilem mutare speciem peccati quando dabatur opera rei licitæ, eam verò nō mutare; quando dabatur opera rei illicitæ. Quod nescio quo fundamēto à viris doctis dictum sit. Est enim distinctio rei licitæ vel illicitæ impertinēs omnino adiudicandum, an effectus sit voluntarius, vel inuoluntarius: & quamuis aliquo modo ad hoc cōduceret, nihil tamen cō ducere potest, vt ignorantia mutet speciem peccati, vel non mutet.

Aduertentia. Couarr. Castro. Refelluntur.

Tertia

Tertia. Tertia exceptio est quando ius, vel statutum apponens pœnam, requirit vt delictum fiat scienter, vel ex dolo, si fiat ex ignorantia quantumcunque crassa, vel ex lata culpa proueniente, non incurritur pœna. Nam in materia pœnali lata culpa non æquiparatur dolo, quāuis in alijs casibus æquiparetur, quia pœnæ & odia non sunt extendenda vltra id quod in iure expressum est: vt docent Sylvest. in verbo *ignorantia*, num. 18. & verbo *culpa*, num. 4. & Couarru. in Epitome. 4. decretalium capit. 6. §. 8. num. 21. cum alijs quos referunt. Solet autem lex verbis expressis requirere scientiā, vel dolum, vt cū dicit, *si quis scienter, si quis dolosè, &c.* vel verbis æquivalentibus, quale est hoc verbum, *præsumpserit*, quod significat contemptum legis, vt docet Nauarr. in relectione super capit. *accepta* de restit. spolia. oppositione 8. num. 33. & hoc verbum, *temere*, nam temeritas propriè sumpta significat cōtemptum regulę & legis, vt dicit sanctus Thomas. 2. 2. quæstione, 53. artic. 3. ad secundum. Et ideò vt notat ibi Caiet. quādo in statutis assignatur pœna his qui temere aliquid egerint idem est, ac si diceretur scienter, & ex contemptu legis, quæ pœna non habet locum in his qui delinquūt ignorantia vincibili. Sed hæc exceptio intelligenda est de ignorantia crassa, non tamen de affectata, nā vt in superioribus diximus ignorātia affectata nihil minuit de culpa, & ideò idem est peccare ex tali ignorantia, & ex certa scientia.

Sylvest. Couarr. *Nauarr.* *S. Thom.*

MEMBRVM TERTIVM.

Vtrum ignorantia pœnæ excuset à pœna.

Conclus. IN tertia parte huius disputationis discutiendum est, vtrum ignorantia pœnæ excuset à pœna. Sit conclusio non existente ignorantia culpæ quæ excuset à culpa, ignorantia ipsius pœnæ quantumcunque inuincibilis sit, nō excusat à pœna. Communis assertio est, & colligitur ex sancto Thoma supra quæstione 73. artic. 8. legatur Couarru. super capitulum *Alma mater*. prima part. §. 10. num. 8. Facilè probatur: nam ad iustificationem pœnę nulla ratione requiritur scientia ipsius, sed culpa sufficiens: nec requiritur consensus delinquentis in pœnam, cum enim sit violenta illi, inecessarium non est, vt sit voluntaria, atque adeò, neque vt sit cognita: qua propter Deus punit æterna pœna ignorantes ipsam, & idem ab hominibus fieri potest; est autem conclusio vera vniuersè de omni pœna diuino, vel humano iure statuta, excepta excomunicationis sententia.

S. Thom. Couarr.

Pœna excommunicationis Specialis cōsideratio nis est.

Cæterùm de pœna excōmunicationis controuersia est inter Doctores; an ignorantia eius excuset. Et aduertendū est, excomunicationem à iure communi, vel statuto particulari dupliciter posse imponi, vno modo pro delicto, quod iure diuino, vel naturali prohibitum est, vt furto, vel symonia: alio modo pro re, quæ iure naturę nō erat illicita, sed legis edicto prohibetur, vt deferre arma ad Sarracenos. Cōueniūt ergo omnes quādo excōmunicatio imponitur pro actu prohibito iure positiuo ignorātiam inuincibilē statuti excusare ab ipsa, est enim ignorantia non tantum pœnæ; sed etiam culpæ.

Quid certum.

Difficul.

Est tamē dubiū quādo excomunicatio pro actu iuri naturę maloimponitur, vtrūqui scit eius malitiam, ignorat tñ in uincibiliter statutū Ecclesiæ; excomunicationē incurrat. In quo pūcto sunt tres opiniones. Prima Couarr. loco proximè allegato, qui censet hanc ignorantiam non excusare ab excomunicatione. Probat à simili in omnibus alijs pœnis, etiam si sint pœnę iuris Canonici. Qui enim occideret, etiamsi ignoraret pœnā irregularitatis irregularis esset. Secunda est aliorū, qui distingunt statuta quibus excomunicationis pœna decernitur: vel enim sunt statuta iuris cōmunis à Sūmis Pōtificib⁹ lata, vel sunt statuta particularium Episcoporum, & ordinariorū: priorum ignorantiam, dicunt, non excusare ab excomunicatione, aliorum verò ignorantiam excusare, quando non fuerit crassa vel supina. Hoc videtur in iure expressum in cap. *vt animarum periculis*, in 6. vbi dicitur, *vt animarum periculis obuietur, sententijs, quorumcunque ordinariorum, per statuta ligari nollumus ignorantes, dummodo ignorantia eorum non fuerit crassa, vel supina.* Sic opinātur Adrianus in 4. quæstione 3. declauibus, & Ioānes Driedonis in lib. 2. de libert. christiana capit. 10. allegatur Scotus in 4. distin. 6. quæstione 8. qui tamen magis fauet prio-

Prima opinio. Couarr. *Secunda.* *Adrian. Driedo.* *Scotus.*

priori sententiæ, plures etiam ex Iurisperitis allegant Conarrub. Sotus & Sylvest.

Tertia verior. Sotus. Sylvest. Angelus. Nauarr. Castro.

Tertia nihilominus sententia probabilior, & verior est, ignorantiam cuiuscunque statuti excusare ab excommunicatione, nisi sit crassa, vel supina. Sententia est Soti in. 4. dist. 22. quæst. 1. art. 2. Sylvest. ver. *ignorantia* nu. 15. & verb. *excommunicatio*. 10. num. 4. Ange. verbo *excommunicatio*, §. 4. Antonini. 3. part. titulo. 24. cap. 33. Nauarr. in summa capit. 23. num. 47. & cap. 27. num. 16. & Castro lib. 2. de leg. pœnal. c. 14. §. *Sicut dictũ est.*

Probatur.

Probatur quia excomunicatio nũquam fertur nisi contra contumaces, & inobedientes Ecclesiæ, propter quod quando fertur ab homine requirit monitionem præuiam; quando ergo est ignorantia inuincibilis iuris Ecclesiastici nulla est cõtumatia, & ideò licet sciatur malitia actus, non incurritur excomunicatio; & hæc est differentia huius pœnæ ab alijs. Fauet capitulum allegatũ, *vt animarum periculis*, in quo nomine, ordinarij, bene potest intelligi Papa, qui est ordinarius ordinariorum. Dubitari tamen potest, quid iuris, si quis sciat esse statutum Ecclesiæ prohibens aliquid, ignoret tamẽ appositam esse pœnam, vel ignoret, quę pœna sit apposita? Hoc nullus definit; existimò tamen incurrere excomunicationem; quia sufficit scientia statuti, vt censeatur inobediens, & contumax transgressor.

Alia quæstio.

Præter ea quæ de ignorantia disputata sunt, solent aliqui aliam quæstionem tractare, An peccatum ex ignorantia cõmissum eiusdem speciei sit, ac si fieret scienter. Quam quæstionem multis verbis, & satis obscurè Caiet. artic. 4. prosequitur. Sed nobis necessarium non est in ea immorari; quia disput. 15. explicãtes: Vtrum vt circunstantia mutet speciem requiratur esse directè volitam, sententiam Caietani discusimus, & ostẽdimus non esse necessarium voluntariũ directè vt commitatur peccatum cuiuscumque speciei. Ex qua doctrina manifestè infertur peccatum ob ignorantiam commissum eiusdem speciei esse, ac si sine ignorantia fieret: sicut enim non requiritur expressa voluntas, ita nec expressa scientia. Excipiẽda sunt peccata quædã quæ ignoranter fieri non possunt, de quibus in superioribus egimus. In quo genere est peccatum hæresis, quod intrinsecè requirit pertinatiam contra Ecclesiæ doctrinam, quæ est voluntaria inobedientia, qua quis sciens ab Ecclesia esse aliquid diffinitum, ab ea dissentit: & propterea si quis erret contra fidem, quacunque ignorantia, etiam affectata, non est hæreticus. De quo hæresis peccato in. 2. 2. quæst. 11. proprio loco disseremus.

QVÆSTIO LXXVII.

De causa peccati ex parte appetitus sensitiui, in octo articulos diuisa.

DEinde considerandum est de causa peccati ex parte appetitus sensitiui, Vtrum, passio animæ sit causa peccati.

ET CIRCA HOC QVAEruntur octo.

PRimò, Vtrũ passio appetitus sensitiui possit mouere, vel inclinare voluntatem. Secundò, Vtrum possit superare rationem contra eius scientiam. Tertiò, Vtrum peccatum quod ex passione prouenit sit peccatum ex infirmitate. Quartò, Vtrum hæc passiò quæ est amor sui, sit causa omnis peccati. Quintò. De illis tribus causis quæ ponuntur 1. Ioan. 3. Concupiscentia oculorum, concupiscentia carnis, & superbia vitæ. Sextò, Vtrum passio quæ est causa peccati, diminuat ipsum. Septimò, Vtrum totaliter excuset. Octauò Vtrum peccatum, quod ex passione est, possit esse mortale.

ARTICVLVS I.

Vtrum voluntas moueatur à passione appetitus sensitiui.

AD

Sup. q. 9. art. 1. & q. 10. ar. 3. & 22. q. 156. art. 1. cor. Et. 3. q. 46. ar. 7. ad. 3. Et ver. q. 5. art. 10 cor. & q. 23. art. 9. ad. 3. & 6. Tex. 54.

AD primum sic proceditur. Videtur quòd voluntas non moueatur â passione appetitus sensitiui. Nulla enim potentia passiua mouetur â suo obiecto: volũtas autẽ est potẽtia passiua & actiua simul, in quãtũ est mouens & mota: sicut Philosop. dicit in 3. de anima, vniuersaliter de vi appetitiua: cum ergo obiectum voluntatis non sit passio appetitus sensitiui, sed magis bonum rationis, videtur quod passio appetitus sensitiui non moueat voluntatem.

Secundò præterea. Superior motor non mouetur ab inferiori, sicut anima non mouetur â corpore: sed voluntas quæ est appetitus rationis comparatur ad appetitum sensitiuum, sicut motor superior ad inferiorem: dicit enim Philosophus in 3. de anima, quòd appetitus rationis mouet appetitum sesitiuum, sicut in corporibus cœlestibus sphæra mouet sphæram: ergo voluntas non potest moueri â passione appetitus sensitiui.

Tex. 57. to mo. 2.

Tertiò præterea. Nullum immateriale potest moueri ab aliquo materiali: sed voluntas est potẽtia quædam immaterialis: non enim vtitur organo corporali, cum sit in ratione, vt dicitur in 3. de anima: appetitus autem sensitibus est vis materialis, vt pote fundata in organo corporali: ergo passio appetitus sensitiui non potest mouere appetitum intellectiuum.

Tex. 42. to mo. 2.

Sed contra est, quòd dicitur Daniel 13. Concupiscentia subuerit cor tuum.

Respondeo dicendum, quòd passio appetitus sensitiui non potest directè trahere, aut mouere voluntatem: sed indirectè potest, & hoc dupliciter. Vno quidem modo secũdùm quandam abstractionem. Cum enim omnes potentiæ animę, in vna essentia animæ radicentur, necesse est, quòd quando vna potentia intẽditur in suo actu, altera in suo actu remittatur, vel etiã totaliter in suo actu impediatur, tum quia omnis virtus ad plura dispersa fit minor, vnde ècontrario quando intenditur circa vnum, minùs potest ad alia dispergi: tum quia in operibus animæ requiritur quædã intentio, quædum vehementer applicatur ad vnum, non potest alteri vehementer attendere: & secundùm hunc modum per quandam distractionem, quando motus appetitus sensitiui fortificatur secundùm quamcunq; passionem, necesse est quod remittatur, vel totaliter impediatur motus proprius appetitus rationalis qui est voluntas. Alio modo ex parte obiecti voluntatis, quod est bonũ ratione apprehensum: impeditur enim iudicium, & apprehensio rationis, propter vehementem, & inordinatam apprehensionem imaginationis, & iudicium virtutis æstimatiuæ, vt patet in amentibus. Manifestum est autem, quòd passionẽ appetitus sensitiui, sequitur imaginationis apprehensio, & iudicium æstimatiuæ, sicut etiam dispositionem linguæ sequitur iudicium gustus: vnde videmus, quòd homines in aliqua passione existentes, non facilè imaginationem auertunt ab his circa quæ afficiuntur; vnde per consequens iudicium rationis plerunque sequitur passionem appetitus sensitiui, & per consequens motus voluntatis, qui natus est semper sequi iudicium rationis.

Ad primum ergo dicendũ, quòd per passionem appetitus sensitiui fit aliqua immutatio circa iudicium de obiecto volũtatis, sicut dictum est, quamuis ipsa passio appetitus sensitiui non sit directè voluntatis obiectum.

In corpore artic.

Ad secundum dicendum, quòd superius non mouetur ab inferiori directè,

rectè, sed indirectè quodammodo moueri potest, sicut dictum est.

In corpore artic. Et similiter dicendum est ad tertium.

DOCET sanctus Thomas, appetitum sensitiuum posse mouere voluntatem ad peccandũ, indirectè, dupliciter, vno modo, distrahendo, & diuertendo rationis considerationem; alio modo, ex parte obiecti, quatenus ob passionem appetitus fit conueniens, & appetibile id quod dispositioni, quam inducit passio, proportionatum est. Hæc doctrina non solum est philosophica sed catholica: nam Daniel. 13. legimus *concupiscentia subuertit cor tuũ*, & Iacobi 1. *vnusquisq; tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus*. In quo testimonio explicatur etiã duplex modus, traditus a S. Doct. quo appetitus est causa peccati: primus in illo verbo *abstractus*, & secundus in illo *illectus*. Circa doctrinam huius articuli recolantur quæ quæstione 9. artic. 2. & quæst. 10. art. 3. dicta sunt.

Daniel. 13 *Iacob.* 1.

ARTICVLVS II.

Vtrum ratio possit superari à passione contra suam scientiam.

Mal. q. 3. art. 9. AD secundum sic proceditur. Videtur quòd ratio nõ possit superari à passione contra suam scientiã. Fortius enim non vincitur à debiliori: sed scientia propter suam certitudinem est fortissimum eorum, quæ in nobis sunt: ergo non potest superari à passione quæ est debilis, & citò transiens.

Secundò præterea. Voluntas non est nisi boni, vel apparẽtis boni: sed cum passio trahit voluntatem in id, quod est verè bonum, non inclinat contra scientiam: cum autem trahit eam in id, quod est apparens bonũ, & non existens, trahit eã in id, quod rationi videtur: hoc autem est in scientia rationis, quod ei videtur: ergo passio nunquam inclinat rationem contra suam scientiam. Si dicatur, quòd trahit rationem scientem aliquid in vniuersali, vt contrarium iudicet in particulari. Contra. Vniuersalis & particularis propositio si opponantur, opponuntur secũdùm cõtradictionem, sicut omnis homo, & non omnis homo: sed duæ opiniones quæ sunt contradictoriæ, sunt contrariæ vt dicitur in secundo Perihermenias: si igitur aliquis sciens aliquid in vniuersali, iudicaret oppositum in singulari, sequæretur quòd haberet simul cõtrarias opiniones, quod est impossibile.

Cap. vlti.

Tertiò præterea. Quicunque scit vniuersale, scit etiam particulare, q̃ nouit sub vniuersali contineri, sicut qui scit omnem mulã esse sterilem, scit hoc animal esse sterile, dũmodo ipsum sciat esse mulam, vt patet per id quod dicitur in primo Posteriorum: sed ille qui scit aliquid in vniuersali, puta, nullam fornicationem esse faciendam, scit hoc particulare sub vniuersali contineri, puta, hunc actum esse fornicatorium: ergo videtur quòd etiam in particulari sciat.

Cap. 1. non lõge a prin tem. 1.

Quartò præterea. Ea quæ sunt in voce, sunt signa intellectus animæ, secundùm Philosop. Sed homo in passione existens frequenter cõfitetur id, quod elegit esse malum etiam in particulari; ergo etiam in particulari habet scientiam. Sic igitur videtur, quôd passiones non possint trahere rationem contra scientiam vniuersalem: quia non potest esse, quòd habeat scientiam vniuersalem, & existimet oppositum in particulari.

Lib. 2. Perih. in prin. to. 1.

Sed contra est, quòd dicit Apostol. Rom. 7. Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati: lex autem quæ est in membris, est concupiscentia, de qua supra loquutus fuerat. Cum igitur concupiscentia sit passio quædam, vide-

videtur quòd passio trahat rationē, etiam contra hoc quod scit.

Respondeo dicendum, quòd opinio Socratis fuit, vt Philosophus dicit in 7. Ethicor. quòd scientia nunquam posset superari â passione: vnde ponebat omnes virtutes esse scientias, & omnia peccata esse ignorantias: in quo quidem aliqualiter rectè sapiebat: quia cum voluntas sit boni, vel apparentis boni, nunquàm voluntas in malum moueretur, nisi id quod non est bonum aliqualiter rationi bonum appareat; & propter hoc voluntas nunquàm in malum tenderet, nisi cum aliqua ignorantia, vel errore rationis. Vnde dicitur Prou. 14. Errant qui operantur malū. Sed quia experimento patet, quòd multi agunt contra ea, quorū scientiam habent: (& hoc etiam authoritate diuina confirmatur, secundùm illud Lucæ. 12. Seruus qui cognouit voluntatem Domini sui, & non fecit, plagis vapulabit multis; & Iacob. 4. dicitur. Scienti bonum facere, & non facienti peccatum est illi) non simpliciter verum dixit, sed oportet distinguere, vt Philosophus tradit in septimo Ethicorum. Cum enim ad rectè agendum homo dirigatur duplici scientia, scilicet, vniuersali, & particulari, vtriusque defectus sufficit ad hoc, quòd impediatur rectitudo volūtatis, & operis, vt supra dictum est; cōtingit ergo quòd aliquis habet scientiam in vniuersali, puta, nullam fornicationem esse faciendā: sed tamen non cognoscit in particulari, hunc actum, qui est fornicatio non esse faciendū; & hoc sufficit ad hoc, quòd voluntas non sequatur vniuersalē scientiam rationis. Et iterum considerandum est, quòd nihil prohibet aliquid sciri in habitu, quod tamen actu non consideratur. Potest igitur contingere, quòd aliquis etiam rectam scientiam habet in singulari, & non solum in vniuersali, sed tamen in actu non consideret: & tūc non videtur difficile, quòd præter id, quod actu non considerat, homo agat. Quod autem homo non consideret in particulari id, quod habitualiter scit, quando quidem contingit ex solo defectu intentionis, puta, cum homo sciens Geometriam non intendit ad considerandū Geometriæ conclusiones, quas statim in promptu habet considerare. Quandoque autem homo considerat id, quod habet in habitu propter aliquod impedimentum superueniens, puta, propter aliquam occupationem exteriorem, vel propter aliquam infirmitatem corporalem: & hoc modo ille, qui est in passione constitutus non considerat in particulari id, quod scit in vniuersali, in quantùm passio impedit talem considerationem. Impedit autem tripliciter. Primò quidem, per quandam distractionem, sicut supra expositum est. Secundò per contrarietatem: quia plerunque passio inclinat ad contrarium huius, quod scientia vniuersalis habet. Tertiò, per quandam immutationem corporalem, ex qua ratio quodammodo ligatur, ne liberè in actu exeat: sicut etiam somnus, vel ebrietas quadam corporali transmutatione facta, ligant vsum rationis. Et quod hoc cōtingat in passionibus, patet ex hoc, quòd aliquando cum passiones multum intenduntur, homo amittit totaliter vsum rationis. Multi enim propter abundantiam amoris & iræ sunt in insaniam conuersi, & per hunc modum passio rahit rationē ad iudicandum in particulari, contra scientiam, quam habet in vniuersali.

Ad primum ergo dicendum, quòd scientia vniuersalis, quæ est certissima, non habet principalitatē in operatione, sed magis scientia particularis, eò quòd operationes sunt circa

Cap. 2. in prin. to. 5.

Cap. 2. to. 5.

Quæst. 76. art. 1.

Art. præc.

circa singularia; vnde non est mirũ si in operabilibus passio agit contra scientiam vniuersalem absente consideratione in particulari.

Ad secundum dicendum, quòd hoc ipsum quòd rationi videatur in particulari aliquid bonum, quod non est bonum, contingit ex aliqua passione, & tamen hoc particulare iudicium est contra vniuersalẽ sciẽtiam rationis.

Ad tertium dicendum, quòd non posset contingere, quòd aliquis haberet simul in actu scientiam, aut opinionem veram de vniuersali affirmatiuo, & opinionem falsam de particulari negatiuo, aut ẽconuerso: sed bene potest contingere, quòd aliquis habeat veram scientiam habitualiter de vniuersali affirmatiuo, & falsam opinionem in actu de particulari negatiuo: actus enim directẽ non contrariatur habitui, sed actui.

Ad quartum dicendum, quòd ille qui habet scientiam in vniuersali, propter passionẽ impeditur ne possit sub illa vniuersali sumere, & ad conclusionem peruenire: sed assumit sub alia vniuersali, quam suggerit inclinatio passionis, & sub ea cõcludit. Vnde Philos. dicit in. 7. Ethicor. quòd syllogismus incontinentis habẽt quatuor propositiones, duas vniuersales, quarum vna est rationis, puta, nullam fornicationem esse committendam, alia est passionis, puta, delectationem esse sectãdam. Passio igitur ligat rationem ne assumat, & cõcludat sub prima; vnde ea durante assumit, & concludit sub secunda.

Cap. 3. tomo. 5.

Ad quintum dicendum, quòd sicut ebrius quandoque proferre potest verba significantia profundas sententias, quas tamen mente diiudicare non potest ebrietate prohibente; ita in passione existens, etsi ore proferat, hoc non esse faciendum, tamen interiùs hoc animo sentit, quòd sit faciendum, vt dicitur in 7. Ethicorum.

Ca 3. a medio. to. 5.

ARTICVLVS III.

Vtrum peccatum, quod est ex passione, debeat dici ex infirmitate.

AD tertium sic proceditur. Videtur quòd peccatum, quod est ex passione non debeat dici ex infirmitate. Passio enim est quidã vehemẽs motus appetitus sensitiui, vt dictũ est; vehemẽtia autẽ motus magis attestatur fortitudini, quàm infirmitati. Ergo peccatũ quod est ex passione, non debet dici ex infirmitatẽ.

Infr. q. 85. art. 3. ad. 4. Et. 2. d. 22. q 2. ar. 2. ad. 5. Et 4. d. 19. q. 2. ar. 3. q. 1. ad. 2. Et mal q. 3. ar tic. 8. ad. 5. & ar 9. 10 11. & 12. cor. Et Psal. 9.

Secundò prætereà. Infirmitas hominis maximẽ attenditur secundum illud quod est in eo fragilius: hoc autẽ est caro. Vnde dicitur in Psal. 77. Recordatus est, quia caro sunt. Ergo magis debet dici peccatum ex infirmitate, quod est ex aliquo corporis defectu, quàm quod est ex animæ passione.

Art. 1. huius q.

Tertiò prærereà. Ad ea non videtur homo esse infirmus, quæ eius voluntati subduntur, sed facere, vel nõ facere ea ad quæ passio inclinat, hominis voluntati subditur, secundùm illud Genes. 4. Subter te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius: ergo peccatum quod est ex passione, non est ex infirmitate.

Sed contra est, quod Tullius in 4. libr. de Tuscul. q. passiones animæ ægritudines vocat: ægritudines autẽ alio nomine infirmitates dicuntur: ergo peccatum, quod est ex passione, debet dici ex infirmitate.

Li. 4. in. 3. fol. a prin. lib. & seq.

Respondeo dicendum, quòd causa peccati propria est ex parte animæ, in qua principaliter est peccatum. Potest autem dici infirmitas in anima ad similitudinem

nem infirmitatis corporis. Dicitur autem corpus hominis esse infirmum quando debilitatur, vel impeditur in executione proprię operationis, propter aliquã inordinationẽ partium corporis, ita scilicet quod humores, & membra hominis non subdantur virtuti regitiuæ, & motiuæ corporis. Vnde & membrum dicitur esse infirmum, quando non potest perficere operationem membri sani, sicut oculus quando non potest clarè videre, vt dicit Philosop. in 10. de historijs animalium. Vnde & infirmitas animæ dicitur quando impeditur anima in propria operatione propter inordinationem partium ipsius. Sicut autem partes corporis dicuntur esse inordinatæ quãdo non sequuntur ordinem naturæ: ita & partes animæ dicuntur esse inordinatę, quãdo non subduntur ordini rationis: ratio enim est vis regitiua partium animæ. Sic ergo quãdo extra ordinẽ rationis vis cõcupiscibilis aut irascibilis aliqua passione afficitur, & per hoc impedimẽtũ præstatur modo prædicto debitæ actioni hominis, dicitur peccatum esse ex infirmitatẽ. Vnde & Philosoph. in 7. Ethicor. comparat incontinentem paralytico, cuius partes mouentur in contrarium eius quod ipse disponit.

cap. 1. non procul. à prin. to. 4.

2. 7 Ethi. cap 8. circa prin. to. 5.

Ad primum ergo dicendum, quòd sicut quanto fuerit motus fortior in corpore præter ordinem naturæ, tantò est maior infirmitas: ita quantò fuerit motus fortior passionis præter ordinem rationis, tantò est maior infirmitas animæ.

Ad secũdum dicendum, quod peccatum principaliter consistit in actu voluntatis qui non impeditur per corporis infirmitatem. Potest enim qui est corpore infirmus promptam habere voluntatem adaliquid faciendum, impeditur autem per passionem, vt supra dictum est: vnde cum dicitur peccatum esse ex infirmitate magis est referendum ad infirmitatem animæ, quàm ad infirmitatem corporis. Dicitur tamen etiam ipsa infirmitas animæ, infirmitas carnis, inquantum ex conditione carnis passiones animę insurgunt in nobis, eo quòd appetitus sensitiuus, est vitius vtens organo corporali.

Art. 1. huius quæst.

Ad tertium dicendum, quòd in potestate quidem voluntatis est assentire, vel non assentire his, in quæ passio inclinat: & pro tanto dicitur noster appetitus sub nobis esse, sed tamen iste assensus, vel dissensus voluntatis impeditur per passionem modo prædicto.

In corp. artic. & ad. 1 & 2.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum amor sui sit principium omnis peccati.

AD quartum sic procedi-

Inf. art. 5. cor. & q. 84. art. 2. ad. 3. Et 22. q. 25. art. 7. ad. 1. & q. 153. ar. 5. ad. 2. Et. 2. dist. 42. q. 1. ar. 2. cor. Et mal. q. 8. art. 1. ad. 19 Et Aug. de sp. & li. ca. 4. circ. med. to. 3.

tur. Videtur quòd amor sui non sit principium omnis peccati. Id enim quod est secundùm se bonum, & debitum non est propria causa peccati: sed amor sui est secundùm se bonum & debitum: vnde præcipitur homini vt diligat proximum sicut se ipsum, Leuit. 19. ergo amor sui non potest esse propria causa peccati.

Secundò prætereà. Apostol. dicit Roman. 7. Occasione accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam, vbi glossa dicit, quòd bona est lex, quæ dum concupiscentiam prohibet, omne malum prohibet quod dicitur propter hoc, quia concupiscẽtia est causa omnis peccati: sed cõcupiscẽtia est aliqua passio ab amore, vt supra habitum est: ergo amor

Quæst. 23. ar. 4. & q. 30 arti. 2.

sui non est causa omnis peccati.

August. in Psal. 79. habetur in sent. to. 8. Tertiò præterea Augustinus super illud Psalm. Incensa igni, & suffossa, dicit quod omne peccatum est ex amore male inflammante, vel ex timore male humiliãte: non ergo solus amor est causa peccati.

Quartò præterea. Sicut homo peccat quandoque propter inordinatum sui amorem, ita etiam interdum peccat propter inordinatum amorem proximi: ergo amor sui nõ est causa omnis peccati.

Ca. 28. & vlt. to. 5. Sed contra est, quòd Augustinus dicit 14. de ciuitat. Dei, quòd amor sui vsque ad contemptum Dei facit ciuitatẽ Babylonis: sed per quod libet peccatum pertinet homo ad ciuitatem Babylonis, ergo amor sui est causa omnis peccati.

Quæst. 75. art. 1. Respondeo dicendum, quòd sicut supra dictum est, propria, & per se causa peccati accipiẽnda est ex parte conuersionis ad commutabile bonum, ex qua quidem parte omnis actus peccati procedit ex aliquo inordinato appetitu alicuius temporalis boni. Quòd autem aliquis appetat inordinatè aliquod temporale bonum, procedit ex hoc, quòd inordinatè amat se ipsum: hoc enim est amare aliquem, velle ei bonum. Vnde manifestum est, quòd inordinatus amor sui est causa omnis peccati.

Ad primum ergo dicendum, quòd amor sui ordinatus, est debitus & naturalis, ita scilicet, quòd velit sibi bonum quod congruit: sed amor sui inordinatus qui perducit ad contemptum Dei, ponitur esse causa peccati secundùm Augustinum.

Lib. 14. de ciuit. Dei c. vlt. to. 5.

Ad secundum dicendum, quòd concupiscentia qua aliquis appetit sibi bonum, reducitur ad amorem sui sicut ad causam, vt iam dictum est.

Incor. art.

Ad tertium dicendum, quòd aliquis dicitur amare, & illud bonum quod optat sibi, & se, cui bonum optat. Amor igitur secundùm quòd dicitur eius esse quod optatur, puta, quod aliquis dicitur amare vinum, vel pecuniam, recipit pro causa timorem, qui pertinet ad fugam mali. Omne enim peccatum prouenit, vel ex ordinato appetitu alicuius boni, vel ex inordinata fuga alicuius mali: sed vtrunque horum reducitur ad amorem sui. Propter hoc enim homo vel appetit bona, vel fugit mala, quia amat se ipsum.

Ad quartum dicendum, quòd amicus est quasi alter ipse: & ideò quod peccatur propter amorem amici, videtur propter amorem sui peccari.

HVNC articulum apposuit sanctus Thomas propter Augustinum. 14. de ciuitate Dei capit. 28. qui dixit, amorem sui vsque ad contemptum Dei ædificare ciuitatem Babylonem, (quo nomine intelligit congregationem malorum,) sicut è conuerso amor Dei, vsque ad contemptum sui, ædificat ciuitatem Dei. Aduerte tamen sanctum Thomam non loqui de amore sui, qui est passio appetitus sensitiui, hic enim non est causa omnium peccatorum, sed de amore sui generali ratione, vt etiam pertinet ad voluntatem: qui est causa omnis peccati, quia omnis, qui pecat, vult sibi inordinate aliquod bonum, & ideò peccat amore sui. Et quamuis thesis disputationis huius quæstionis sit de passionibus appetitus sensitiui, non fuit præter methodum hunc articulũ inferere, qui communis est amori appetitus, & voluntatis.

Oppositiones contra conclusionem.

SED contra conclusionem articuli occurrunt tres oppositiones Prima. Prima, quia aliquãdo peccatur volendo sibi malum, vt qui se interficit, quo casu potius

tius videtur se odio habere, quam amare. Secunda, quia aliquando peccatur propter inordinatum amorem proximi, quod non videtur reduci ad amorē sui. Tertia, quia peccata quæ sunt contra charitatem Dei, vel proximi in quibus aliquod malum Deo, uel proximo volumus, non videntur oriri ex amore proprio, ibi enim nullus est amor, sed odium oppositum amori amicitiæ.

Secunda.

Tertia.

Diluūtur.

Respondetur nihilominus verum esse, omne peccatum mediatè, vel immediatè reduci in amorem proprium inordinatum, tanquàm in causam, & radicē. Et ad primam obiectionem dicendum est, cum qui peccat volendo sibi malum non velle malum sub ratione mali, sed sub aliqua ratione boni, vt careat alio malo, vel assequatur bonum, quod maius putat; & ideò non peccat odio, sed amore sui. Ad secundam respondeo, peccata quæ fiunt propter inordinatum amorem proximi reduci ad amorem proprium; tum quia amicus iure amicitiæ est alter ego, & amor illius est quidam amor sui; tum etiam quia amicitia fundatur in similitudine, & amor amici oritur ex amore proprio, ex inclinatione enim ad amandum se ipsum, oritur amor eius qui est sibi similis. Ad tertiam asserendum est, odium quod opponitur amori amicitiæ cuiuscunque obiecti oriri ex amore proprio, quia omne odium oritur ex amore: nihil enim potest apparere malum, & odio habēdum, nisi quatenus opponitur alicui bono amato.

Prima.

Secunda.

Tertia.

Verùm nō immerito obijciet aliquis, ex dictis inferri, in omni peccato esse duplex peccatum, alterum, quatenus inordinatè appetitur aliquid, alterum verò in inordinato amore sui, ratione cuius appetitur. Scotus in 2. distin. 6. quæst. 2. videtur illationem concedere; distinguit enim amorem amicitiæ, quo quis vult alicui bonum, & amorem concupiscentiæ, quo vult ipsum bonū, tamquā duos actus, quorum primus est causa secundi, & præcedit ipsum, & quando sunt inordinati, in vtroque dicit esse peccatum. Vnde infert primum peccatum Angeli non potuisse esse inordinatum appetitum propriæ excellentiæ, sed inordinatum amorem sui. Sed decipitur in duobus. Primò, quia non oportet hos actus distinguere: sunt enim realiter vnꝰ, licet formaliter differant, omnis enim amor concupiscentiæ habet aliquem amorem amicitiæ adiunctum; & è conuerso, quia in intelligibile est, vt quis habeat actum volendi bonum, quin velit illud alicui, & cum amare amore amicitiæ sit velle bonum alicui, qui sic amat, necesse est vt velit aliquod bonum. Secundò, dum concedit in his esse duo peccata, nam siue sint vnus, siue diuersi, est vnica tantū malitia: tum quia iste amor inordinatus sui est prædicatum, & ratio generica, quæ inuenitur in omni peccato, quæ non mutat speciem, nec multiplicat peccatum: tùm etiam quia nulla inordinatio est in amore sui, nisi quatenus quis vult sibi bonum inordinatum: tota ergo malitia utriusque amoris, amicitiæ, & concupiscentiæ est vna.

Obiectio.

Scotus.

Confutatur.

Solutio.

Pro pleniori intelligentia huius articuli legantur quæ sanctus Thomas suprà quæst 25. artic. 1. & 29. artic. 4. & 28. artic. 6. disputat, explicans qua ratione amor sit prima omnium affectionum, & quæ docet 2. 2. quæstion. 25. art. 7. in ea quæstione, vtrum peccatores se ipsos diligant.

ARTICVLVS. V.

Vtrum conuenienter ponantur causæ peccatorum, concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.

AD quintum sic proceditur. Videtur quòd inconuenienter ponātur causę peccatorum esse concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ: quia secundùm Apostolum. 1. ad Thimot. vltim. Radix omnium malorū est cupiditas: sed superbia vitæ sub cupiditate non cōtinetur, ergo non debet poni inter causas peccatorum.

Inf. q. 108. art. 3. ad. 4. Et 2. dist. 42. q. 2. ar. 1. Et mal. q. 8. art. 1. ad. 23.

Secundò prætereà. Concupiscentia carnis maximè ex visione oculorum excitatur, secundùm illud Dan. 13. species decepit te: ergo nō debet diuidi concupiscentia occulorū contra concupiscentiam carnis.

Quæst. 30. art. 2.

Tertiò prætereà. Concupiſcẽtia eſt delectabilis appetitus, vt ſupra habitũ eſt: delectationes autem contingunt nõ ſolum ſecundùm viſum, ſed etiam ſecundùm alios ſenſus: ergo deberet etiam poni concupiſcentia auditus, & aliorum ſenſuum.

Quartò prætereà. Sicut homo inducitur ad peccandũ ex inordinata cõcupiſcẽtia boni, ita etiã ex inordinata fuga mali, vt dictũ eſt: ſed nihil hîc enumeratur pertinens ad fugam mali, ergo inſufficienter cauſæ peccatorum tanguntur.

Art. 4. ad tertium.

Sed contra eſt, quod dicitur primo Ioann. 2. Omne quod eſt in mundo, aut eſt concupiſcentia carnis, aut eſt concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ. In mundo autem dicitur aliquid eſſe propter peccatum: vnde, & ibidem dicit, quod totus mundus in maligno poſitus eſt, ergo prædicta tria ſunt cauſæ peccatorum.

Art. 4. huius q.

Reſpondeo dicendum, quòd ſicut iam dictũ eſt, inordinatus amor ſui eſt cauſa omnis peccati: in amore autem ſui includitur inordinatus appetitus boni; vnuſquiſque enim appetit bonum ei quem amat. Vnde manifeſtum eſt quòd inordinatus appetitus boni eſt cauſa omnis peccati. Bonum autẽ dupliciter eſt obiectũ ſenſibilis appetitus, in quo ſunt animæ paſsiones, quæ ſunt cauſæ peccati. Vno modo abſolutè, ſecũdùm ꝙ eſt obiectum concupiſcibilis: alio modo ſub ratione ardui, prout eſt obiectum iraſcibilis, vt ſupra dictum eſt. Eſt autem duplex concupiſcentia ſicut ſupra habitum eſt. Vna quidem naturalis, quę eſt eorũ, quibus natura corporis ſuſtentatur ſiue quantum ad conſeruationem individui, ſicut cibus, & potus, & alia huiuſmodi: ſiue quantùm ad conſeruationem ſpeciei, ſicut in venereis, & horum inordinatus appetitus dicitur concupiſcentia carnis. Alia eſt cõcupiſcentia animalis, eorum ſcilicet quæ per ſenſum carnis ſuſtentationem, aut delectationem non afferunt, ſed ſunt delectabilia ſecundùm apprehenſionem imaginationis, aut alicuius huiuſmodi acceptationis, ſicut ſunt peccunia, ornatus veſtrium, & alia huiuſmodi: & hæc quidem animalis cupiſcentia vocatur concupiſcentia oculorum, ſiue intelligatur con cupiſcentia oculi, ideſt, ipſius viſionis, quæ fit per oculos, vt referatur ad curioſitatem, ſecundùm quòd Auguſtinus exponit in 10. confeſ. ſiue referatur ad concupiſcentiam rerum, quæ exteriùs oculis proponuntur, vt referatur ad cupiditatem. ſecundùm quòd ab alijs exponitur. Appetitus autem inordinatus boni arduì pertinet ad ſuperbiam vitæ: nã ſuperbia eſt appetitus inordinatus excellentiæ, vt inferius dicetur. Etſic patet, quòd ad iſta tria reduci poſsũt omnes paſsiones quæ ſunt cauſa peccati: nam ad duo prima reducuntur omnes paſsiones concupiſcibilis: ad tertiũ autẽ omnes paſsiones iraſcibilis, ꝙ ideònõ diuiditur in duo, quia omnes paſsiones iraſcibilis naturaliter conformantur concupiſcentiæ animali.

Cap. 35. patrũ a princ. tom. 1.

Quæst. 84. ar. 2. & 2. 2. q. 162. ar. 1.

Quæst. 23. ar. 1. & q. 30. art. 3.

Ad primum ergo dicendùm, quòd ſecundùm quòd cupiditas importat vniuerſaliter appetitum cuiuſlibet boni, ſic etiam ſuperbia vitæ continetur ſub cupiditate. Quo modo autem cupiditas, ſecundùm quòd eſt ſpeciale vitium, quod auaritia nominatur, ſit radix omnium peccatorum, infra dicetur.

Quæst. 84. art. 1.

Ad ſecundum dicendum, quòd concupiſcentia oculorum non dicitur hîc concupiſcentia omnium rerum, quæ videri oculis poſſunt, ſed ſolum earum, in quibus non quæritur delectatio carnis, quæ eſt ſecundùm tactum, ſed ſolum delectatio oculi, ideſt, cuiuſcunque appre-

apprehensiuæ virtutis.

Ad tertium dicendum, quòd sensus visus est excellentior inter omnes alios sensus, & ad plura se extendens, vt dicitur in primo Methap. & ideò nomen eius tranfertur ad omnes alios sensus, & etiam ad omnes interiores apprehensiones, vt Augustin. dicit in libro de verbis Domini.

Circa principio. serm. 33. ad med. to. 10.

Ad quartum dicendum, quòd fuga mali causatur ex appetitu boni, vt supra dictum est: & ideò ponuntur solùm passiones inclinantes ad bonum tanquàm causæ earum, quæ faciunt inordinatè fugam mali.

HÆC diuisio sumpta est ex Epist. 1. can. Ioan. & diuiditur illud bonũ, quod quis appetit dum peccat: est verò sufficiens, vt benè explicat sanctus Thomas.

ARTICVLVS VI.

Vtrum peccatum alleuietur propter passionem.

Sup. q. 23. ar. 3. ad. 3. & q. 47. art. 2. cor. Et ver. q. 26. art. 7. Et mal. q. 3. art. 11. Art. prec.

AD sextum sic proceditur. Videtur quòd peccatum non alleuietur propter passionem. Augmẽtum enim causæ auget effectum: si enim calidum dissoluit, magis calidum magis dissoluit: sed passio est peccati, vt habitum est: ergo quantò est intẽsior passio, tãtò est maius peccatum: passio igitur non minuit peccatum, sed auget.

Secundò præterea. Sicut se habet passio bona ad meritum, ita se habet mala passio ad peccatum: sed bona passio auget meritum: tantò enim aliquis magis videtur mereri, quantò ex maiori misericordia pauperi subuenit: ergo etiam mala passio magis aggrauat peccatum, quàm alleuiet.

Tertiò præterea. Quantò intensio ri voluntate aliquis facit peccatum, tantò grauiùs videtur peccare: sed passio impellens voluntatem, facit eam vehemẽtiùs ferri in actum peccati: ergo passio agrauat peccatum.

Sed contra. Passio ipsa concupiscentiæ vocatur tentatio carnis: sed quantò aliquis maiori tentatione prosternitur, tantò minus peccat, vt patet per Aũgust. ergo passio diminuit peccatum.

Inuitit ur lib. 15. ciuit. Dei. c. 12. in fin. tom 5.

Respondeo dicendùm, quòd peccatum essentialiter consistit in actu liber. arbit. quod est facultas voluntatis, & rationis: passio autem est motus appetitus sensitiui. Appetitus autem sensitiuus potest se habere ad liber. arbit. & antecedenter, & consequenter. Antecedenter quidem secundùm quòd passio appetitus sensitiui trahit, vel inclinat rationem, vel voluntatem, vt supra dictum est. Consequenter autem, secundùm quod motus superiorum virium, si sint vehementes, redundant in inferiores. Non enim potest voluntas intensè moueri in aliquid, quin excitetur aliqua passio in appetitu sensitiuo. Si igitur accipitur passio secundùm quod præcedit actum peccati, sic necesse est quod diminuat peccatum. Actus enim in tantùm est peccatum, in quantùm est voluntarium, & in nobis existens. Esse autẽ aliquid in nobis dicitur per rationem, & voluntatem: vnde quantò ratio & voluntas ex se aliquid agunt non ex impulsu passionis, magis est voluntarium, & in nobis existẽs: & secundũ hoc passio minuit peccatum, in quã tùm minuit voluntarium: passio autem consequens nõ diminuit peccatum, sed magis auget, vel potius est signum magnitudinis eius, in quantùm scilicet demonstrat intensionem voluntatis ad actum peccati, & sic verum est, quòd quantò aliquis maiori libidine, vel concupis

Art. 1. & 2. huius. q. & q. 10. art. 3.

centia peccat, tantò magis peccat.

Ad primum ergo dicẽdum, quòd passio est causa peccati ex parte conuersionis. Grauitas autem peccati magis attenditur ex parte auersionis, quæ quidem ex conuersione sequitur per accidens, ideſt, præter intentionem peccantis. Causæ autem per accidens augmentatæ, non augmentant effectus, sed solùm causæ per se.

Ad secundum dicendum, quòd bona passio consequens iudicium rationis augmentat meritum; si autem præcedat, vt scilicet homo magis ex passione, quàm ex iudicio rationis moueatur ad bene agendum, talis passio diminuit bonitatem & laudem actus.

Ad tertium dicendum, quòd etsi motus voluntatis sit intensio ex passione incitatus: non tamen ita est voluntatis proprius, sicut si sola ratione moueretur ad peccandum.

DOctrinam huius articuli attigerat Sanctus Thomas quæst. 6. artic. 7. & quæst. 73. artic. 6. ad secundum, & quod ibi obiter dixerat, concupiscentiam antecedentem minuere peccatum, consequentem verò augerè, hîc latius prosequitur, & extendit ad omnem passionẽ appetitus sensitiui.

Dubium. Circa solutionem ad primum difficultatem mouet Caietan. qua ratione vera sit illa propositio: grauitas peccati potius attẽditur ex parte auersionis, quàm ex parte conuersionis, nec adæquantur conuersio, & auersio: potest enim augeri conuersio, quin augeatur auersio. Videtur enim hæc assertio aduersari his, quæ S. Thom. docuit quæst. 73. artic. 3. Quàmuis enim concedi possit, potius attendi grauitatem peccati ex parte auersionis: quia est formalis malitia, falsum tamen videtur posse augeri conuersionem sine auersione, vel auersionem sine conuersione: quia se mutuo consequuntur: & propterea dictum est in illa quæstione, idem esse considerare grauitatem peccatorum ex obiectis, & ex rectitudinibus oppositis. Omitto Caiet. solutionem. Et breuiter respondeo: doctrinam quæstion. 73. verum esse de grauitate essentiali & specifica: quod verò in hoc articulo dicitur, verum est de grauitate in individuo, potest enim re vera actus substratus & affectus intensior esse, & malitia diminui propter passionem.

ARTICVLVS VII.

Vtrum passio totaliter excuset à peccato.

AD septimum sic proceditur. Videtur quòd passio totaliter excuset â peccato. *Infr. art. 3. ad. 3. & Mal. q. 3. art. 10. ar. 1.* Quidquid enim causat involuntarium, excusat totaliter à peccato: sed concupiscentia carnis quæ est quædam passio, causat involuntarium, secundùm illud Galat. 5. Caro cócupiscit aduersus spiritum, vt nó quæcunque vultis, illa faciatis: ergo passio totaliter excusat a peccato.

Secundò præterea. Passio causat ignorantiam quandam in particulari, vt dictum est; sed ignorantia particularis totaliter excusat âpeccato, sicut supra habitum est: ergo passio totaliter excusat à peccato. *Art. 2. huius. q. & q. 76. arti. 3.*

Tertiò præterea. Infirmitas animæ grauior est, quàm infirmitas corporis: sed infirmitas corporis totaliter excusat à peccato, vt patet in phreneticis: ergo multò magis passio, quæ est infirmitas animæ.

Sed cótra est, quod. Apost. Rom. 7. vocat passiones peccatorum non nisi quia peccata causant, quod non esset, si â peccato totaliter excusarent: ergo passiones non totaliter â peccato excusant.

Respondeo dicendum, quòd secundùm hoc solum actus alicuius, qui de genere suo est malus, totaliter â peccato excusat, quòd totaliter inuoluntarius redditur: vnde si sit talis passio quæ totaliter inuoluntarium

tarium reddat actum sequentem, totaliter â peccato excusat, alioquin non totaliter. Circa quod duo considerandа videntur. Primò quidem, quòd aliquid potest esse voluntarium, vel secundùm se, sicut quando voluntas directè in ipsum fertur; vel secundùm suam causam, quando voluntas fertur in causam, & non in effectum, vt patet in eo qui voluntariè inebriatur: ex hoc enim quasi voluntarium ei imputatur, quod per ebrietatem committit. Secundò considerandum est, quod aliquid dicitur voluntarium directè, vel indirectè: directè quidem id, in quod voluntas fertur; indirectè autem illud, quod voluntas potuit prohibere, sed nō prohibet. Secundùm hoc igitur distinguendum est, quia passio quandoq; quidem est tanta, quòd totaliter aufert vsum rationis, sicut patet in his qui propter amorem vel iram inlaniūt; & tūc si talis passio à principio fuerit voluntaria imputatur actus ad peccatum, quia est voluntarius in sua causa, sicut etiam de ebrietate dictum est. Si verò causa non fuerit voluntaria, sed naturalis, puta, cum aliquis ex ægritudine, vel aliqua huiusmodi causa incidit in talem passionem, quæ totaliter aufert vsum rationis, actus omnino redditur inuoluntarius, & per consequens totaliter â peccato excusatur. Quandoq; verò passio non est tanta, quòd totaliter intercipiat vsum rationis: & tunc ratio potest passionem excludere diuertendo ad alias cogitationes, vel impedire ne suum consequatur effectum: quia membra non applicantur operi, nisi per consensum rationis, vt supra dictum est: vnde talis passio non totaliter excusat â peccato.

Ad primum ergo dicendum, quòd hoc quod dicitur, vt non quæcunq; vultis, illa faciatis; non est referendum ad ea, quę fiunt per exteriorem actum, sed ad interiorem concupiscentiæ motum. Vellet enim homo nunquam concupiscere malum: sicut etiam exponitur id quod dicitur Roman. 7. Quod odi malum, illud facio. Vel potest referri ad voluntatem præcedentem passionem, vt patet in continentibus, qui contra suum propositum agunt propter suam concupiscentiam.

Ad secundum dicendum, quòd ignorantia particularis, quæ totaliter excusat, est ignorantia circunstantiæ, quam quidem quis scire non potest debita diligentia adhibita: sed passio causat ignorantiam iuris in particulari, dum impedit applicationem communis scientiæ ad particularem actum, quam quidem passionem ratio repellere potest, vt dictum est. *In cor. art.*

Ad tertium dicendum, quòd infirmitas corporis est inuoluntaria, esset autem simile, si esset voluntaria: sicut de ebrietate dictum est, quæ est quædam corporalis infirmitas. *In cor. art.*

ARTICVLVS VIII.

Vtrum peccatum, quod est ex passione, possit esse mortale.

Mal. q. 3. ar. 10. & 3. Ethic. lect. 17.

AD octauum sic proceditur. Videtur quòd peccatum, quod est ex passione non possit esse mortale. Veniale enim peccatum diuiditur contra mortale: sed peccatum, quod est ex infirmitate est veniale, cum habeat in se causam veniæ: cum igitur peccatum, quod est ex passione, sit ex infirmitate, videtur quòd non possit esse mortale.

Secundò prætereà. Causa non est potior effectu: sed passio non potest esse peccatum mortale; non enim in sensualitate est peccatum mortale,

Quæst. 74. art. 4. le, vt supra habitum est: ergo peccatum quod est ex passione, non potest esse mortale.

Tertiò prætereà. Passio abducit â ratione, vt ex dictis patet: sed rationis est conuerti ad Deum, vel auerti à Deo, in quo consistit ratio peccati mortalis: peccatum ergo, quod est ex passione, non potest esse mortale. Art. 1. & 2. huius q.

Sed contra est, quòd Apostolus dicit Roman. 7. quòd passiones peccatorum operantur in membris nostris ad fructificandum morti: hoc autem est proprium mortalis peccati, quod fructificet morti: ergo peccatum, quod est ex passione, potest esse mortale.

Quæst. 72. art. 5. Respondeo dicendum, quòd peccatum mortale, vt supra dictum est, consistit in auersione ab vltimo fine, qui est Deus, quæ quidem auersio pertinet ad rationem deliberantem, cuius etiam est ordinare in finem. Hoc igitur solùmmodo potest contingere, quòd inclinatio animæ in aliquid quod contrariatur vltimo fini, non sit peccatum mortale, quia ratio deliberans non potest occurrere, quod contingit in subditis motibus. Cum autem ex passione aliquis procedit ad actum peccati, vel ad consensum deliberatum, hoc non fit subitò: vnde ratio deliberans potest hic occurrere: potest enim excludere, vel saltem impedire passionem, vt dictum est. Vnde si non occurrat, est peccatum mortale, sicut videmus quòd multa homicidia, & multa adulteria per passionem committuntur. Art. 7. huius q.

Ad primum ergo dicẽdum, quòd veniale dicitur tripliciter. Vno modo ex causa, quia scilicet habet aliquam causam veniæ, quæ diminuit peccatum: & sic peccatum ex infirmitate, vel ignorantia dicitur veniale. Alio modo ex euentu, sicut omne peccatum per pœnitentiam fit veniale, id est, veniam cõsequitur. Tertio modo dicitur ex genere, sicut verbum otiosum, & hoc solum veniale opponitur mortali, obiectio autem procedit de primo.

Ad secundum dicendum, quòd passio est causa peccati ex parte conuersionis. Quod autem sit mortale est ex parte auersionis, quæ per accidens sequitur ad conuersionem, vt dictum est: vnde ratio non sequitur. Art. 6. ad primum.

Ad tertium dicendum, quòd ratio non semper in suo actu totaliter à passione impeditur; vnde remanet ei liberum arbitrium, vt possit auerti, vel conuerti ad Deum: si autem totaliter tolleretur vsus rationis iam non esset peccatum nec mortale, nec veniale.

REcolantur quæ diximus quæstione 74. artic. 4.

QVÆSTIO LXXVIII.

De causa peccati, quæ est malitia, in quatuor articulos diuisa.

DEinde considerandum est de causa peccati, quæ est ex parte voluntatis, quæ dicitur malitia.

ET CIRCA HOC QVÆRuntur quatuor.

PRimò, Vtrum aliquis possit ex certa malitia, seu industria peccare. Secundò, Vtrum quicunque peccat ex habitu, peccet ex certa malitia. Tertiò, Vtrum quicunque peccat ex certa malitia, peccet ex habitu. Quartò, Vtrum ille qui peccat ex certa malitia, grauiùs peccet, quàm ille qui peccat ex passione.

ARTICVLVS I.

Vtrum aliquis peccet ex certa malitia.

1.2.q.162. ar.2.cor. Et 3.q.88.ar. 4.cor. Et.2 d.7.q.1.a 2. cor. Et mal.q.2.ar tic.8.ad.4 & q.3.ar. 2.per tot. & ar.14. cor. & ad 7.& 8. Et ad Rom.2. lect.1. Li.3.Ethi. capit.1. à med.to.5. Cap.4. in part.4. illius paulo a prin. & declinãdo ad finem.

AD primum sic proceditur. Videtur quòd nullus peccet ex industria, siue ex certa malitia. Ignorantia enim opponitur industriæ, seu certæ malitiæ: sed omnis malus est ignorans secundùm Philosoph. & Prouerb. 14. dicitur. Errant qui operantur malum, ergo nullus peccat ex certa malitia.

Secundò prætereà. Dionys. dicit 4. cap. de diuin. nomi. quòd nullus intendens ad malum operatur: sed hoc videtur esse peccare ex malitia, intendere malum in peccando; quod enim est præter intẽtionem, est quasi per accidens, & non denominat actum: ergo nullus ex malitia peccat.

Tertiò prætereà. Malitia ipsa peccatum est, si igitur malitia sit causa peccati, sequetur, quòd peccatum sit causa peccati in infinitum, quod est inconueniens: nullus igitur ex malitia peccat.

Sed contra est, quod dicitur Iob. 34. Quasi de industria recesserunt à Deo, & vias eius intelligere noluerunt; sed recedere à Deo est peccare: ergo aliqui peccant ex industria, seu ex certa malitia.

Respondeo dicendum, quòd homo, sicut & quælibet alia res, naturaliter habet appetitum boni: vnde quod ad malum eius appetitus declinet, contingit ex aliqua corruptione, seu inordinatione in aliquo principiorum hominis, sic enim in actionibus rerum naturalium peccatũ inuenitur. Principia autem humanorum actuum sunt intellectus, & appetitus tam rationalis, qui dicitur voluntas, quàm sensitiuus. Peccatum igitur in humanis actibus contingit quandoque, sicut ex defectu intellectus, puta, cum aliquis per ignorantiam peccat, & ex defectu appetitus sensitiui, sicut cum aliquis ex passione peccat, ita etiam ex defectu voluntatis, qui est inordinatio ipsius. Est autem voluntas inordinata, quãdo minus bonum magis amat, consequens autem est, vt aliquis eligat pati detrimentum in bono minùs amato ad hoc, quòd potiatur bono magis amato: sicut cum homo vult pati abscisionem membri, etiam scienter, vt conseruet vitam, quam magis amat. Ita per hunc modum, quando aliqua inordinata voluntas aliquod bonum temporale plus amat, puta, diuitias, vel voluptatem, quàm ordinem rationis, vel legis diuinæ, vel charitatem Dei, vel aliquid huiusmodi, sequitur quòd velit dispendium pati in aliquo spiritualium bonorum, vt potiatur aliquo temporali bono. Nihil autem est aliud malum quàm priuatio alicuius boni; & secundùm hoc aliquis scienter vult aliquod malum spirituale, quod est malum simpliciter, per quod bonum spirituale priuatur, vt bono temporali potiatur. Vnde dicitur ex certa malitia, vel industria peccare, quasi scienter malum eligens.

Ad primum ergo dicendum, quòd ignorantia quandoque quidem excludit scientiam, qua aliquis simpliciter scit hoc esse malum quod agitur, & tunc dicitur ex ignorantia peccare: quandoque autem excludit scientiam, qua homo scit hoc nunc esse malum, sicut cum ex passione peccatur: quandoque autem excludit scientiam, qua aliquis scit hoc malum non sustinendum esse propter consecutionem illius boni, scit tamen simpliciter hoc esse malum: & sic dicitur ignorare, qui ex certa malitia peccat.

Ad

Ad secundum dicendum, quòd malum non potest esse secundùm se intentum ab aliquo; potest tamẽ esse intentum ad vitandum aliud malum, vel consequendum aliud bonũ, vt dictum est: & tali casu aliquis eligeret consequi bonum per se intentum absque hoc, quòd pateretur detrimentum alterius boni: sicut aliquis lasciuus vellet frui delectatione absque offensa Dei: sed duobus propositis magis vult peccando incurrere offensam Dei, quàm delectatione priuetur.

In corp. artic.

Ad tertium dicendum, quòd malitia ex qua aliquis dicitur peccare, potest intelligi malitia habitualis, secundùm quòd habitus malus à Philosopho nominatur malitia, sicut habitus bonus nominatur virtus: & secundùm hoc aliquis dicitur ex malitia peccare, quia peccat ex inclinatione habitus. Potest etiam intelligi malitia actualis, siue ipsa mali electio malitia nominetur: & sic dicitur aliquis ex malitia peccare inquantũ ex mali electione peccat, siue etiam malitia dicatur aliqua præcedens culpa, ex qua oritur subsequẽs culpa, sicut cum aliquis impugnat fraternam gratiam ex inuidia: & tũc idem non est causa sui ipsius, sed actus interior est causa actus exterioris, & vnum peccatum est causa alterius, non tamen in infinitum: quia est deuenire ad aliquod primum peccatum, quod non causatur ex aliquo priori peccato, vt ex supra dictis patet.

Li 5. Ethi: c. 9. & 10. 5.

Quæst 75. art. 4.

Peccatum ex malitia.

Conclusio est. Peccat ex malitia, qui scit tam in specie, quàm in indiui duo id, quod agit, esse malum morale, & eligit pati damnum in spiritualibus, ne patiatur in temporalibus. Circa hanc doctrinam duo sunt disputanda; vnum, an in omni peccato interuenire debeat aliquis error, vel ignorantia ex parte intellectus, quod Sanctus Thomas attigit quæstione præcedenti articul. 2. & in hoc articulo ad 1. alterum, quæ differentia sit inter hæc tria genera peccatorum, ex ignorantia, ex passione, & ex malitia.

DISPVTATIO XXXIIII.

Vtrum in omni peccato, interuenire debeat error, vel ignorantia.

Prima sententia.

IN hac controuersia authores diuisi sunt in duas oppositas sententias. Prima affirmat, possibile esse, vt nullo existente errore, neque ignorantia in intellectu, sed cum actuali scientia, & vero iudicio, sola voluntatis electione committatur peccatum. Hanc defendit Scotus in 3. dist. 36. quæst. vnica. §. *Secundus articulus*, & eam etiam insinuat in 2. distinct. 27. quæst. vnica, §. *Ad solutionem istorum*, & sequitur Gabr. in 3. distinct. 36 quæst. vnica & alij Scoti, & Nominalium Sectatores, quos allegat Corduba lib. 2. quæst. 13. quibus ipse cõsentit, & quidam ex neotericis scriptoribus.

Scotus.

Gabr.

Suarez to. 1. Metha. disput. 19. sect. 6. & 7.

Probatur autem à Scoto & alijs, his argumentis. Primo, authoritate sacræ Scripturæ, Augustini, & Philosophi. Ex sacra Scriptura fauet illud ad Roman. 14. *Omne quod non est ex fide peccatum est*, hoc est, quod non agitur ex dictamine, & conscientia: supponitur ergo posse peccari contra dictamen intellectus. Augustinus autem super Psalm. 68. in illa verba. *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum*, inquit, *sunt tales qui iniquitatem suam nouerint, & in ea pertinacissimè perseuerant*; & super Psalm. 118. in illa verba. *Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas*, ait, *Sæpe quod agendum sit videmus, nec agimus, præuolat intellectus sequitur tardus, aut nullus affectus.* Aristot. verò in. 3. de anima capit. 9. text. 46. dicit. *præterea nonnunquam iubet ratio fugere aliquid, aut persequi, & homo non obtemperat, atque mouetur, sed agit cupiditate, vt in ipso fit incontinente*, sentit ergo posse voluntatem moueri contra rationis iudicium. Et 2. Ethicor. cap. 4. dicit. *Ad virtutes autem ipsum scire parum, aut nihil potest*: quæ sententia vera non esset, si voluntas non posset peccare nisi intellectu errante; si enim peccatum voluntatis pendet ab errore intellectus, multum potest ad

Rom. 14.

August.

Arist.

vir-

virtutem scientia & verum iudicium. Potest ad hi Parisiensis articulus, quem referunt Scotus & Cordub. *Stante scientia in vniuersali, & in particulari, non posse voluntatem velle oppositum, error.*

Art. Pari.

Secundò. Secundò argūtur à voluntatis libertate. Potentia enim libera est, quæ positis omnibus requisitis ad agendum potest agere, & non agere, agere hoc vel illud, si ergo voluntas libera est quocunque iudicio intellectus præcedente, & existente qualibet rationis apprehensione, poterit eligere oppositum; ergo poterit, præferente intellectu bonum rationis bono voluptatis, præferre ipsa bonum voluptatis bono rationis, atque adeò peccare non existente errore in intellectu.

Tertiò. Tertiò ab experientia, nam contingit peccare eum qui hic & nunc aduertit fornicationem esse peccatum mortale, & bonum inferius bonis spiritualibus, quorum iacturam incurrit: quod iudicium si quis habet nullum errorem habet. Hoc autem iudicium videtur esse in eo, qui peccat cum remorsu conscientiæ, & tristitia, & in eo qui peccat cum proposito pœnitendi, & in eo qui peccat desperando, & expresso culpæ, & pœnæ contemptu: in his enim omnibus est expressa notitia mali, & maioris mali, quàm sit bonum, quod peccando assequuntur. Et nisi hoc iudicium esset possibile, oporteret, eum qui peccat cum conscientia, & aduertentia malitiæ esse hæreticum, quia peccare non posset, nisi haberet hunc assensum; bonum temporale maius bonum est, quàm bonum virtutis, vel magis eligendum est, vel conuenientius, qui est contra fidem.

Quartò. Quarto, nam existente vero iudicio, & quacunque cognitione, voluntas potest suspendere actum, & peccare peccato omissionis, poterit ergo etiam velle oppositum, & peccare peccato cōmissionis: quia eadem videtur ratio. Et si peccatum omissionis potest esse sine defectu intellectus saltem, non est vniuersum verum in omni peccato interuenire hūc defectum. Posse autem voluntatem suspendere actum, probatur, quia, & si concedamus semper determinari ab intellecta, quantùm ad specificationem, sed nō determinatur ad exercitium, vt docet Sanctus Thomas quæst. 9 artic. 1. Potest ergo pro sua libertate suspendere exercitium actus.

Sed quàmuis hæc sententia satis apparenter probetur, & argumenta facta difficultate non careant; oppositum expresse Sanctus Thomas & Arist. & plures authores tradunt, quæ verior est, & magis Philosophica. Asserendum est igitur, nunquam esse peccatum in voluntate, quin in intellectu præcedat aliquis defectus ignorantiæ, in considerationis, vel erroris. Id docet Sanctus Thomas artic. 2. quæst. 77. & in hoc 2. 1. ic. ad 1. & q. 6 art. 8. & 1. part. quæst. 63. art. 11. ad 4. Thomistæ Caietan. Conrrad. & Medina ad art. 2. q. 77. Capreo. 2. dist. 39. quæst. vnica art. 3. ad 7. contra primam, conclusionem, & in 3. dist. 39 quæst. vnica art. 3. ad 1. Scoti contra primam conclusionem. Petrus de Soto in institutione sacerdo. tractat. de peccatorum discrimine lectione 2. & tractat. de ratione medendi peccatis lectione 2. & Præter Thomistas Alex. 2. part. q. 129. memb. 4. Durand. in 2. dist. 5. quæst. 2. & dist. 7. quæst. 1. & dist. 23. quæst. 1. Henrri. quodlib. 1. q. 17. & quodlib. 10. quæst 10. Adrianus quodlib. 4. quæst. cum argumentis. §. *Hoc premisso.* Valentia. 1. 2. disput. 6. quæst. 8. punct 1. & Belar. lib. 3. de gratia, & lib. arb. cap. 5. & alij.

Oppositū præfertur.
S. Thom.
Caiet.
Conrrad.
Medin.
Capr.
Petrus de Soto.
Alex.
Durand.
Henrric.
Adria.
Valentia.
Belarm.

Vt probetur adduci solet, ex sacra Scriptura illud Prouerb. 14. *Errant qui operantur malum.* Sed si bene expendatur hoc testimonium, non est efficax: nam potest, vt exponit Scotus, intelligi, nō de errore intellectus, sed de errore affectus: dicūtur enim errare, quatenus agūt, vel volunt aliquid, quod est deuium à verò fine: quomodo dicitur errare; qui rectam viam deserit, vel qui non bene in scopum dirigit sagittam: quam expositionem indicat etiam Lyra. Præterea illud *operari malum*, non est peccare quomodocunque, sed malum alicui inferre, vel alium lædere, vt explicat Glosa interlinea, & colligitur ex verbis subsequentibus. Totum enim prouerbium sic habet. *Errant qui operantur malum misericordia, & veritas præparant bona.* Hoc est, errant qui mala aliis inferunt putantes, se inde fœliciores fore, vel ditiores; cum potius misericordia, & veritas parent diuitias, & bonorum cumulum. Verùm hoc testimonio omisso, videtur non inefficaciter probari authoritate sacræ Scripturæ, quatenus peccatores vocat stultos, & insipientes, & peccare agere stultè, & peccatum stultitiam, & insipientiam, Genes.

Probatur primo Scriptura.
Expenditur locus Prou. 14.
Scotus.
Lyra.
Glossa.
Genes. 34.

5. Reg. 3. Iob. 5. Prou. 1. & 9. Eccles. 1. & 7. Ierem. 29. & alias sæpe.

nes. 31. 1. Regum. 13. Iob. 5. Prouerb. 1. & 9. Ecclesiast. 1. & 7. Ierem. 29. & alias sæpe.

Probatur secundo Arist.

Deinde Aristot. hanc sententiam expressit. 3. Ethico. cap. 1. dicens. *Omnis igitur prauus ignorat, ea quæ agere oportet, & à quibus est abstinendum, & ob huiusmodi errorem iniusti homines, malique omnino fiunt.* Et 7. Ethicor. cap. 2. & 3. refert sententiam Socratis dicentis, non posse esse peccatum existente scientia, & propterea virtutes omnes quasdam scientias esse: in qua sententia solùm notat abusum vocis, *scientia*, quæ propriè significat cognitionem vniuersalium, cum qua bene potest esse peccatum, dicit tamen, esse veram, quatenus nō potest esse peccatum sine aliqua ignorantia, vel errore circa particularia.

Qualis defectus intellectus præcedat.

Sed vt probetur ratione, oportet explicemus, quis nā sit error, vel defectus intellectus, qui interuenit in omni peccato. In quo authores huius sententiæ valde diuisi sunt, & variè loquuntur vt vix vnus cum alio consentiat. Aliqui enim non exprimunt qualitatem huius erroris, vel defectus, vt Alexand. Henrri. & Durand. Alij varios dicendi modos sequuntur.

Varia explicationes

Primus est, qui tribuitur Burid. in 7. Ethicor. quæst. 7. defectum intellectus debere esse ignorantiam malitiæ particulariter, vt qui in vniuersali scit fornicationē esse peccatum, nesciat hunc actum esse fornicationem Quod facilè reijcitur: nam experientia constat multos peccare cum scientia, & aduertentia actuali, qua non solum vniuersaliter, sed particulariter cognoscunt actum hunc prohibitum esse, & illicitum.

Primus. Burid.

Refellitur.

Secundò dicunt alij, in peccato non interuenire errorem, vel iudicium falsum; quia quodcunque tale contra fidem esset, cum non posset esse aliud quàm præferre bono morali, bonum temporale: dicunt tamen, semper interuenire aliquam inconsiderationem, non qua omnino non aduertatur malitia moralis, sed qua non aduertatur plenè, & efficaciter, cum bonum temporale intensè cognoscatur. Hunc modum dicendi qui dam tribuunt Petro à Soto loco citato, qui licet concedat hanc inconsiderationem interuenire in omni peccato, non tamen negat, sed expressè admittit interuenire etiam errorem aliquem. Mea autem sententia, aut concedendus est error

Secundò. Vaz. disp. 128. & alij.

Petrus à Soto.

Reijcitur.

expressus aut non oportet, vt concedatur inconsideratio. Nam vel necessariò voluntas determinatur ab intellectu, vel independenter ab eius iudicio potest se ipsam determinare, si primum, non tantùm interueniet inconsideratio peccantis, sed etiam error positiuus, quo determinatur voluntas ad electionem, præferens obiectum, quod minus eligibile est, ratio enim non determinat voluntatem nisi expresso iudicio, affirmans, hoc esse agendum; si autem id necessarium non est, neque erit necessaria inconsideratio; nam etiam si intellectus intensè, & intimè cogitet malitiam moralem, & efficacissimè iudicet, esse magis malam, quàm voluptas sit bona, nihilominus poterit voluntas contra hoc iudicium agere, & eligere bonum voluptatis, siquidem absoluta est à iudicio intellectus.

Tertiò.

Tertiò asserunt plures Thomistæ, errorem, qui subest in omni peccato, non esse iudicij, sed imperij, quod differt à iudicio, quia non dictat, quid oporteat agere, sed ordinat, vt fiat: quare non habet enuntiationem indicatiui, hoc est, vel non est faciendum, sed imperatiui, hoc fac, vel non facias: & eius veritas nō consistit in conformitate ad rem, siquidem nihil enuntiat asserendo, sed in conformitate ad appetitum rectum, quatenus imperat, quod conforme est intentioni finis. Hic modus dicendi est insufficiens, & parùm conformis doctrinæ Sancti Thomæ. Et omissa disputatione de natura, & necessitate actus imperij, de qua quæst. 17. actum est, falsò asseritur, in peccato requiri solum errorem imperij, & non iudicij; nam non sufficere errorem imperij, probatur euidenter. Imperium est actus posterior electione, & intentione, in quibus principaliter, & primò peccatum consistit, & non pertinet ad acceptationē obiecti, sed ad motionem potentiarum, & ad actuale exercitium, si ergo non est alius error in peccato, nisi error imperij, non in omni peccato erit error, non enim erit in electione ipsa, vel intentione, sed in sola executione. Præterea cum electio præcedat imperium, error non erit causa, & origo peccati, vt Aristotel. & alij affirmant, sed effectus eius.

Excluditur.

His ergo relictis, verum fundamentum huius sententiæ est, quia voluntas nihil potest velle, nisi determinetur à iudicio intellectus dictantis hoc, hic, & nunc

Vera explicatio, & fundamentum tertiæ sententiæ.

nunc esse volendum, vel absolutè; vel comparatione alterius boni, si plura bona occurrant. Ex hoc principio euidenter sequitur in omni peccato esse errorem, iudiciumque falsum, quo intellectus proponit, illud esse eligẽdum, quod minimè tale est. Porro voluntatem ab intellectu determinari in omni volitione, docet Sanctus Thomas quæst. 9. artic. 1. & 1. part. quæst. 83. art. 3. & de veritate quæst. 24. art. 7. & Aristot. 3. Ethico. cap. 2. & 3. vbi dicit, electionem adhærere cõsultationi, & illud per electionem assumi, quod per consultationem iudicatur eligendum &. 6. Ethico. cap. 1. dicit, electionem esse appetitum intellectiuum, vel intellectum appetitiuum &. 7. Ethicor. cap. 13. dicit, conclusionem consilij esse ipsam operationem, & quemadmodum in speculatiuis, concludente syllogismo speculatiuo, necessariò sequitur assensus; sic etiam in practicis, concludẽte syllogismo practico de agendis, infallibiliter sequi electionem. Probaturque ex ipsa natura volũtatis; nam proprium voluntatis obiectum est bonum propositum ab intellectu, ergo non potest voluntas velle, nisi intellectu dictãte, quid volendum sit; & si intellectus vnũ bonũ, uel vnam rationem boni proponat, non potest voluntas aliud velle, si autem occurrãt duo, vel duæ rationes boni, & mali, necesse est, vt voluntas eam accepter, quam intellectus præfert; quia sicut non est eligibile, quod nõ iudicatur bonum, sic non est eligibile comparatione alterius, quod iudicatur minus bonum: quatenus enim priuat bono meliori, malum est. De quo plura disputauimus quæstio. 13 disputat. 17. de actibus. Si ergo non potest eligi, nisi quod maius bonum apparet, necesse est, vt quando electio peccatum est, præcedat iudicium falsum, quo maius bonum minus iudicetur.

Assumptũ probatur. S. Thom. Arist.

Ratione.

Confir. Confirmari potest hæc sententia communi experientia: nam nullus vnquam experietur se aliquid eligere, quin iudicet, illud esse conuenientius, & quicunque interrogatur, quare hoc faciat, aut velit; respondebit, quia hoc videtur mihi conuenientius, & melius.

Solutio. Propter hanc experientiam respondent aliqui, sententiam nostram veram esse, vt in plurimũ, & frequentiùs, & oppositam tantùm intelligendam esse considerata natura volũtatis, cui possibile est ab hac regula deflectere. Sed

Refellitur. nulla ratio assignatur, propter, quã cum possibile sit, raro, & non frequenter accidat. Et argumenta contrariæ sententiæ non quomodocunque esse possibile, sed sæpe euenire contendunt. Alij dicunt semper esse iudicium intellectus conforme electioni volũtatis, non quidem præcedens ipsam, sed sequens: nam inclinata voluntate, statim intellectus iudicat, quod voluntas vult, esse bonum, & conueniẽns. Sed hoc gratis, & sine fundamẽto dicitur. Quorsum enim necessarium est hoc iudicium consequens? & quare, sicut potuit velle voluntas repugnante ratione, non poterit perseuerare volitio, absque vllã conformitate intellectus? Nec præterea satisfacit experiẽtiæ, quę ostendit, id solum esse volitum, quod priùs iudicatur volendum.

Alia solutio.

Reijcitur.

Præterea ex oppositа sententia sequitur, posse hominem esse prudentem & vitiosum, imprudentem & studiosum, quorum alterum Scotus non est ausus concedere, licet primum concedat, & tamen vna est vtriusque ratio & vtrumq; communi consensu doctorum censetur impossibile.

Confir.

Hinc patet, quis sit error, qui in omni peccato intercedit: est enim error iudicij in ordine ad electionem præferentis hìc, & nunc, bonum vtile, vel delectabile, bono honesto, & bonum temporale, bono rationis, & virtutis. Quod iudicium potest esse vel implicitum, & virtuale, præferens aliud bonum bono morali, quia propter ignorantiam culpabilem, nescitur moralitas actus, vel propter vehemẽtem passionem non aduertitur; vel potest esse explicitum, præcedente scientia & aduertentia moralitatis, quod ex quibus causis proueniat, articulis sequẽtibus constabit. Hic error est quem Aristot. & Sanct. Thom. frequenter appellant ignorantiam prauæ electionis.

Epilogus.

Ex quibus potest decidi dubium, quod Caietan. & alij mouent. An error communis omni peccato, sit prior quã omnis deordinatio voluntatis, vel posterior aliqua saltem voluntatis affectione. Caietan. enim & alij qui existimant errorem istum esse imperij, & non iudicij, dicunt semper præsupponere aliquem affectum volũtatis, à quo habet originem. Quod consequenter asserunt, nam actus imperij semper habet originem ex præcedente intentione, & electione voluntatis. Sed ostẽsum est hunc errorem non esse

Dubium.

Caietan.

Vera solutio. esse imperium. Ideò dicendum est aliquando posteriorem esse, & habere originem ab aliquo præcedenti affectu voluntatis deordinato, quod contingit quãdo peccatum est causa peccati: necessarium tamen est, vt aliquis error intellectus præcedat omnem affectum deordinatum voluntatis, cũ voluntas nihil possit velle, nisi præcedente actu intellectus, cui conformetur.

Diluuntur argumenta prima sententiæ. Primum. Ad primum verò argumentum, primæ sententiæ respondetur, authoritates sacræ Scripturæ, & August. solum probare, posse esse peccatum absque errore intellectus, circa malitiam moralem; sed non est hic error, quem semper interuenire dicimus, sed quo præferatur in electione minus bonum maiori. Eodem modo potest exponi articulus Parisiensis de scientia vniuersali & particulari bonitatis, vel malitiæ moralis, qua stante potest esse peccatum, & voluntas velle oppositum. Nec tamen magnæ authoritatis est articulus. Ad authoritatem verò Aristot. ex. 3. de anima respondetur, verba illa exponenda esse, his, quæ idem Aristot. 7. Ethicor. cap. 3. dicit de incontinente, qui peccat, non quidem agens contra omne rationis iudicium, & dictamen, sed contra iudicium vniuersale, vel cõtra iudicium, quod dicat, hoc esse malum morale, cum quo potest esse aliud iudicium eligendum esse propter alias causas. Ad testimonium verò ex 2. Ethicor. respondetur illam sententiam, *scire parum potest ad virtutẽ*, intelligendam esse de scientia practica vniuersali: potest enim contingere, vt quis sit peritissimus Philosophus moralis, & valde vitiosus.

Secundum. Ad secundum respondetur determinationem ab intellectu nihil obesse veræ libertati voluntatis, quia libertas formaliter quidem est in voluntate, sed radicaliter in intellectu; vterque enim concurrit ad actum liberum, vnus vt eliciẽs, alter verò vt dirigens. Et propterea S. *S. Thom.* Thom. 1. part. quæst. 83. & 24. de veritate semper dicit, liberum arbitrium esse voluntatem dependentem ab intellectu. *Eccles. 15.* Et Ecclesiast. 15. post illa *Deus fecit hominem liberum*, additur, *& reliquit eum in manu consilij sui.* Cum autem obijcitur, potentiam esse liberam, quæ positis omnibus requisitis potest non agere; respõdetur iudicium intellectus non esse propriè de prærequisitis, sed potius de comitantibus, non enim est potentia libera, voluntas sola, & vt omnino excludens intellectum, sed vt connotans ipsum, & ab ipso pendens. Si verò queratur, an illud iudicium intellectus sit liberum, vel necessarium, si enim est necessarium, & voluntas illud necessariò sequitur, nulla est libertas; & si est liberum, erit libertas formaliter in intellectu? Respõdetur, iudicium illud non esse liberum formaliter, esse tamen radicaliter: neque est necessarium, sed contingens, est enim de obiecto non necessariò, & propterea non necessarium. *Replica.* *Soluitur.*

Tertium. Ad tertium respondetur, quantumuis appareat hominem habere verum iudicium quando peccat, semper tamẽ esse defectum, & falsitatem in comparatione, & prælatione vnius boni ad alterũ, non qua bonum voluptatis, v. g. secundũ se, & absolutè præferatur, & iudicetur maius bono rationis; sed quo hîc, & nũc iudicetur magis proportionatũ electioni, quod iudicium omnibus illis peccatoribus, quos argumentum obijcit, & alijs, quibuscunque inest. Nec inde sequitur esse errorem contra fidem, nam fides nihil dictat de directione volũtatis in speciali, sed in communi: est enim fides cognitio practica, similis philosophiæ morali, quæ non versatur circa singularia, nec procedit practico modo, hoc enim est virtutis prudentiæ, quæ distincta est à fide. Hoc ergo iudicium bonum voluptatis absolutè est maius bonum, & eligibilius, quàm bonum virtutis contra fidem est, hoc verò, hîc, & nunc est mihi magis conueniens, & proportionatum bonum voluptatis, non fidei, sed prudentiæ opponitur.

Quartum. Ad quartum, quidam ex his qui opinãtur posse dari puram omissionem, dicunt, in peccato commissionis necessarium esse errorem, in peccato verò omissionis non esse. Sed sentẽtiam illam reiecimus: & licet esset vera, nulla differentia statuenda est inter peccatum commissionis, & omissionis. Nec enim potest voluntas actum suspendere, nisi præcedente iudicio, quo bonum appareat, non agere: & qui puram omissionem cõcedunt, nõ excludunt actum intellectus. Quod autem opponitur; voluntatem nõ moueri ab intellectu quoad exercitiũ, sed quoad specificationem, sectio. 2. disput. 22. explicuimus.

DISPVTATIO XXXV.

Quid sit peccare ignorantia, passione, & malitia:

DIstinctio peccatorum, quæ fiunt ignorantia, passione, & malitia, vulgaris est, & recepta Philosophis moralibus, & Theologis, de qua ex professo disputant Scholastici in. 2. distinctio. 43. Sanct. Thomas, & eius expositores in hac quæst. & duabus proximè præcedentibus. Almai. tracta. 9. moral. cap. 27. Adrianus quodlib. 4. Cordubalibro. 2. quæst. 8. Petrus à Soto in institutione sacerd. tractat. de ratione medendi peccatis lectione. 2. Colligitur autem ex sacra Scriptura, & ex Aristot: quamuis enim neque in sacra Scriptura, neque apud Aristot. inueniatur in forma diuisionis, inueniuntur tamen singula membra eius expressa. In sacra Scriptura de peccato ob ignorantiam, dicitur. 1. ad Thimo. 1. *Quia ignorans feci in incredulitate mea*, & in Leuitico sæpe reperitur peccatum ignorantiæ, aut propter ignorantiam. De peccato verò ex passione est illud Daniel. 13. *Concupiscentia subuertit cor tuum*, & Iacob. 1. *Concupiscentia cum conceperit, parit peccatum.* De peccato verò ex malitia. Iob. 34. *Quasi impios percussit eos in loco videntium, qui quasi de industria recesserunt à Deo*; & illud Prouerb. 2. *Qui lætantur cum malè fecerint, & exultant in rebus pessimis.* Aristo. verò de peccato ignorantiæ agit in. 3. Ethicor. cap. 1. de peccato passionis & malitiæ, non ita expressè. 7. tamen Ethicor. fere per totum assignat differentiam incontinentis, & intemperati, quòd incontinens repentino impulsu labitur, & non habitu, neque consuetudine, neque electione formali obiecti peccat, quod est peccatum ex passione: intemperatus autem peccat formali electione, & ex habitu, quod est peccatum ex malitia.

S. Thom. *Almain.* *Adrian.* *Corduba.* *Petrus à Soto.* *Statuitur diuisio.* *Prima Thimo primo.* *Leuitic.* *Daniel. 13* *Iacob. 1.* *Iob. 34.*

Sed in explicanda differentia formali horum peccatorum, dissentiunt authores. Primò ergo quidam dixerunt, peccatum ex malitia contingere quando eligitur malum morale quatenus tale est, vt si quis peccaret eligendo fornicationem propter rationem deformitatis quam habet. Tribuitur Ochamo referente Almai. vbi supra, & non reputat improbabile Scotus in. 2. dist. 45. quæst. 2. §. *si teneatur*, & Gab. ibi quæst. vnic. art. 1. nota bili. 1. Est tamen omnino improbabile, quia non potest eligi malum sub ratione mali. Almain. censet probabilem hunc modum dicendi, si ita explicetur, vt peccatum ex malitia sit si eligatur malum morale, vt tale est, ita, vt malitia ipsa moralis sit medium propter aliud volitum, non finis propter se ipsum desideratus. Sed licet possibile sit hac ratione malum appeti, non tamen sufficienter explicatur peccatum ex malitia, quia non est necessarium, vt omnis qui peccat ex malitia, hoc modo malitiam apetat, vt ex dicendis constabit. Et præterea si id esset necessarium rarò eueniret peccatũ ex malitia, quia rarissimum est, vt malitia formalis cõducat ad aliquem finem, & vtilitas peccati ex substantia actus, potius quàm ex malitia oritur.

Prima Explicatio. *Ocham.* *Scotus.* *Almai. Rejicitur.*

Secundò Scot. Gabr. & Almai. asserunt, peccatum ex malitia esse quando ex parte intellectus nullus error, neque ignorantia, neq; defectus interuenit; neque ex parte appetitus est aliqua passio incitans, & attrahens voluntatẽ; sed voluntas à se ipsa eligit malum. Hi loquuntur consequẽter ad eam sententiã, quam præcedenti disputatione impugnauimus, & ideò hæc explicatio admittenda non est.

Secunda.

Vera ergo differentia horum peccatorum est, quæ colligitur ex S. Thom. in his tribus quæstionibus, & præcipuè in hoc artitulo, quem sequuntur Adrianus, Corduba, & Petrus de Soto supra allegati. Peccatum ergo ex ignorantia propriè est quando ob ignorantiam vincibilem, iuris, vel facti, latet malitia moralis: peccatum verò ex passione est, quãdo propter impetum alicuius passionis, impeditur, vel perturbatur ratio, vt licet alias sciat actionẽ esse malam, parum aduertat, & consideret malitiã: peccatum ex malitia, quãdo in vniuersali scitur, & in particulari aduertitur malitia, iudicatur tamen conuenientius aliud bonũ, & magis eligendum. Hãc esse mentem S. Thomæ patet ex verbis solutionis ad secundum huius articuli. *Quandoque ignorantia excludit scientiam, qua aliquis absolutè scit, hoc quod agit esse malum, & tunc est peccatum ex ignorantia, quandoque verò excludit scientiam, qua sciat hîc, & nunc esse malum, & tunc est peccatum ex passione: quandoque verò excludit scientiam, qua sciat hoc malum non esse subsistinendum propter consecutionẽ illius boni, & tunc est peccatũ ex malitia.*

Vera explicatio. *S. Thom.*

Arist. Consonat Aristo.qui.7.Ethicor.cap.2.& 9.statuit discrimen inter ignorantem, & incontinentem,quòd ignorans nescit id quod agit esse malum, incontinens verò scit quidem, sed hîc & nunc non aduertit;vnde inquit in incontinẽte esse duas propositiones vniuersales contrarias fornicatio est patranda,quia est bonum delectabile, fornicatio non est patranda, quia est malum morale, sed propter impetum passionis posterioris vim nõ percipit,sicut ebrius,qui sententias Euripidis profert, quarum sensum non discernit: & ideò non subsumit sub secunda, sed sub prima, & concludit practicè prosecutionem fornicationis. De intemperato autem,qui peccat ex malitia,in eodem lib.cap.7.& 8.sæpe repetit,peccare ex electione,non ignorantem, neque impulsum â passione,& prosequi voluptates,non quia vincitur,sed quia sic eligit.

Aptè fit diuisio. Ex his sequitur conuenienter distingui hæc tria peccatorum genera,quia re ipsa differunt. Nomina verò sunt aptè imposita applicando his causis peccata, quæ propriè & adæquatè ab eis procedunt.Illud enim peccatum dicitur ex ignorantia,quod à sola ignorantia procedit,ex passione, & malitia, cuius ipsæ præcipuæ causæ sunt. Ignorantia verò de qua loquimur est habitualis, nam ignorantia actualis quæ dicitur inaduertentia,non efficit peccatum ex ignorantia: quia inaduertentia in omnibus peccatis interuenire potest, etiam in peccato ex malitia,quando peccatur ex consuetudine.

Est sufficiens. Sequitur secundò diuisionem esse sufficientem,comprehendit enim omne peccatum.Potest sumi sufficientia, primò ex parte potentiarum;quia tres sunt potentiæ â quibus peccatum potest habere primam originem, intellectus, voluntas, & appetitus. Secundò ex parte defectus intellectus, qui interuenit in omni peccato, qui potest esse, vel ignorantia habitualis,vel sola inconsideratio, vel imprudentia. Tertiò denique ex parte libertatis,& modi operandi: quia aut operatur quis cum plena libertate, & tunc est peccatum ex malitia, vel operatur cum aliquo defectu libertatis, qui non excusat omnino, & si defectus est scientiæ,peccatum est ex ignorantia, si distractio passionis, peccatum est ex passione.

Corollar. Ex dictis explicari potest, quomodo comparetur peccatum ex certa malitia ad peccatum in Spiritum sanctum. Cùm cidunt enim aliqua ex parte, sed non sibi adæquantur:nam peccatum in Spiritum sanctum pluribus modis committitur,vt constat ex Mag.in 2.distin.43. & Sanct.Thom.2.2.quæst.14.artic. 1.quorum vnus est peccatum ex malitia. Peccatum verò ex malitia, dicitur in Spiritum sanctum per apropriationem; nam quia Patri appropriatur virtus,Filio sapientia,& Spiritui sancto bonitas,peccatum quod est ex passione, vel infirmitate,dicitur esse in Patrem, & quod est ex ignorantia, in Filium, quod verò est ex malitia,in Spiritum sanctum,quod dicitur esse irremissibile, non quia omnino remitti non possit, sed quia difficillimè remittitur: qui enim sic peccat difficilè resipiscit,sed de his plura circa quæstionem. 14. 2. 2. *Mag. S.Thom.*

Obijciet aliquis, posse contingere vt sit defectus aduertentiæ actualis, quæ non oriatur ex passione appetitus, sed ex alia causa, puta studio, vel lectione, vel alia occupatione,non ergo omne peccatũ est ex ignorantia, vel ex passione, vel malitia. Respõdetur illud peccatum esse ex passione, quia nomine passionis significatur non sola passio appetitus sensitiui, sed quæcunque affectio quæ causa est inaduertentiæ.

ARTCVLVS II.

Vtrum quicunque peccat ex habitu, peccet ex certa malitia.

Infr. ar.3. & Rom. 1. lectio.8. AD secundum sic proceditur. Videtur quòd non omnis qui peccat ex habitu, peccet ex certa malitia. Peccatum enim quod est ex certa malitia videtur esse grauissimum: sed quandoque homo aliquod leue peccatum committit ex habitu,sicut cum dicit verbum otiosum: non ergo omne peccatum quod est ex habitu,est ex certa malitia.

Cap. 1. & 2.to.5. Secundò prætereâ.Actus ex habitu procedentes sunt similes actibus, ex quibus habitus generantur,vt dicitur in.2. Ethic. sed actus præcedentes habitũ vitiosum nó sunt ex certa malitia: ergo etiã peccata quæ sunt ex habitu,non sunt ex certa malitia.

Tertio

Tertiò prætereâ. In his quæ aliquis ex certa malitia committit gaudet postquàm commisit, secundùm illud Prouerb. 2. Qui lætantur cum malè fecerint & exultant in rebus pessimis: & hoc ideò, quia vnicuique est delectabile cũ cõsequitur id quod intendit, & qui operatur quod est ei quodammodo connaturale secundum habitum: sed illi qui peccant ex habitu, post peccatum commissum dolent: pœnitudine enim replentur praui, idest, habentes habitum vitiosum, vt dicitur in. 9. Ethic. ergo peccata quæ sunt ex habitu, non sunt ex certa malitia.

Cap. 4. declinãdo ad finem to. 5.

Sed contra. Peccatum ex certa malitia dicitur esse, quod est ex electione mali: sed vnicuique est eligibile id, ad quod inclinatur per proprium habitum, vt dicitur in. 6. Ethicor. de habitu virtuoso: ergo peccatum quod est ex habitu, est ex certa malitia.

Cap. 2. to. 5.

Respondeo dicendum, quòd non est idem peccare habẽtem habitum, & peccare ex habitu. Vti enim habitu non est necessarium, sed subiacet voluntati habentis: vnde & habitus diffinitur esse, quo quis vtitur cum voluerit: & ideò sicut potest contingere, quòd aliquis habens habitum vitiosum prorumpat in actum virtutis, eò quòd ratio non totaliter corrũpitur per malum habitum, sed aliquid eius integrum manet, ex quo prouenit quòd peccator aliqua operatur de genere bonorum: ita etiam potest contingere, quòd aliquis habens habitum vitiosum, interdum non ex habitu operetur, sed ex passione insurgente, vel etiam ex ignorantia. Sed quandocunque vtitur habitu vitioso, necesse est quod ex certa malitia peccet: quia vnicuique habenti habitum, est per se diligibile id, quod est ei conueniens secũdùm proprium habitum: quia sic fit ei quodammodo connaturale, secundùm quod consuetudo, & habitus vertitur in naturam. Hoc autem, quod est alicui conueniens secundùm habitum vitiosum, est id quod excludit bonum spirituale: ex quo sequitur quòd homo eligat malum spirituale, vt adipiscatur bonum, quod est ei secundùm habitũ conueniẽs; & hoc est ex certa malitia peccare. Vnde manifestũ est, quòd quicunque peccat ex habitu, peccat ex certa malitia.

Ad primum ergo dicẽdum, quòd peccata venialia non excludunt bonum spirituale, quod est gratia Dei, vel charitas: vnde non dicuntur mala simpliciter, sed secundùm quid: & propter hoc nec habitus ipsorum possunt dici simpliciter mali, sed solùm secundùm quid.

Ad secundum dicendum, quòd actus qui procedunt ex habitibus, sunt similes secundùm speciem actibus ex quibus habitus generantur: differunt tamen ab eis, sicut perfectum ab imperfecto: & talis est differentia peccati, quod committitur ex certa malitia, ad peccatum quod committitur ex aliqua passione.

Ad tertium dicendum, quòd ille qui peccat ex habitu, semper gaudet de hoc, quod ex habitu operatur, quandiu habitu vtitur: sed quia potest habitu non vti, sed per rationem quæ non est totaliter corrupta, aliquid aliud meditari, potest contingere, quod non vtens habitu, doleat de hoc quod per habitum comisit: plerunque tamen tales pœnitent de peccato, non quia eis peccatum secundùm se displiceat, sed propter aliquod incommodum, quod ex peccato incurrunt.

Repondet Sanctus Thomas, non esse necessarium, vt quicunque habens habitum peccet ex certa malitia, quia potest non vti habitu; si verò vtatur habitu peccat ex malitia. Hanc doctrinam accepit Sanctus Thomas ex Aristot. 7. Ethi-

cor. cap. 7. & 8. vbi dicit intemperatum qui est habens habitum prauum, eligere voluptates propter se ipsas, quod est peccare ex malitia.

Aduerte. In solutione ad secundum Sanctus Thomas, & Caietan. in commentario concedunt actibus, qui procedunt à passione, posse generare habitum, quoutens peccet ex malitia. Quia peccatum ex malitia, & ex passione solùm differunt accidentariè penes maiorem & minorē aduertentiam, & inclinationem ad obiectum: potest autem contingere, vt qui primò ex passione incipit operari, frequentatione actuum paulatim acquirat firmam inclinationem, & ad eum statum perueniat, vt obiectum ei propter se placeat. Cum verò dicitur habitum generari ex similibus actibus, intelligendum putant, de similitudine in essentialibus, non tamen in conditione accidētali. Sed existimo probabile esse, nō generari habitum actibus qui ob passionem fiūt: tū quia hi actus non sunt efficaces, cū oriantur ex perturbatione mentis, nec possūt esse diuturni, & multiplices, quales ad generationem habitus requiruntur: tum etiā, quia cū habitus respiciat obiectū, propter se ipsum, & hæc conditio sit habitui essentialis, non generatur nisi actibus qui in obiectū propter se ipsum ferantur: quare licet esse ex passione, vel ex malitia differentiæ accidentales peccati sint; sed inuoluunt differentiam essentialem in ordine ad habitum.

Aduer. In solutione tertij conciliat optime S. Thom. diuersa Arist. asserta de pœnitudine quam habent peccantes, nā. 7. Ethic. cor. cap. 7. & 8. dicit, intemperatos, & vitiosos non pœnitere. 9. autem Ethic. cap. 4. dicit, prauos multa pœnitentia repleri. Lege solutionem, & aduertè, etiam ex sententia Aristot. prauis non posse in esse veram lætitiam.

Obiectio. Contra conclusionem obijci potest, in appetitu sensitiuo esse habitus vitiosos, qui non videntur esse principium peccati ex malitia, sed ex passione; omnis enim actus appetitus passio est. Respōdetur, habitus vitiorum, qui in appetitu collocantur, pendere ab alijs existentibus in voluntate, à quibus appetitus mouetur, & ideò esse causam passionis, consequentis, & non antecedentis: peccatum autem ex passione est, quando passio est antecedens, non quando est consequens; cum enim est consequens, potest esse peccatum ex malitia, quia tunc passio non tam est causa peccati, quàm effectus.

ARTICVLVS III.

Vtrum ille, qui peccat ex certa malitia, peccet ex habitu.

AD tertium sic proceditur. *Su. ar. 2 & Rem. 1. le. 8.* Videtur quòd quicunque peccat ex certa malitia, peccet ex habitu. Dicit enim Philosoph. in. 5. Ethic. quòd non est cuiuslibet iniusta facere, qualiter iniustus facit, scilicet, ex electione, sed solùm habentis habitum: sed pēccare ex certa malitia, est peccare ex electione mali, vt dictum est: ergo peccare ex certa malitia non est nisi habentis habitum. *Li. 5. Ethi. c. 9. à med.* *Ar. 1. huius. q.*

Secundò præterea. Origenes dicit in. 1. Periarchon. quod non ad subitum quis euacuatur, aut deficit, sed paulatim per partes defluere necesse est: sed maximus defluxus esse videtur, vt aliquis ex certa malitia peccet: ergo non statim à principio, sed per multam consuetudinem, ex qua habitus generari potest, aliquis ad hoc deuenit, vt ex certa malitia peccet. *Cap. 3. cir. fin. tom. 4.*

Tertiò præterea. Quandocunque aliquis ex certa malitia peccat, oportet, quòd ipsa voluntas de se inclinetur ad malum, quod eligit: sed ex natura potentiæ, non inclinatur homo ad malum, sed magis ad bonum: ergo oportet vt eligat malum, quòd hoc sit ex aliquo superueniēti, quod est passio vel habitus: sed quando aliquis peccat ex passione, non peccat ex certa malitia, sed ex infirmitate, vt dictum est: ergo quandocunq; aliquis peccat ex certa malitia, oportet, quòd peccet ex habitu. *Quæst. præ. art. 3.*

Sed contra. Sicut se habet habitus bonus ad electionem boni, ita habitus malus ad electionē mali: sed quā

do

doque aliquis non habens habitum virtutis eligit id quod est bonum secundûm virtutem : ergo etiam quandoque aliquis non habens habitū vitiosum potest eligere malū, quod est ex certa malitia peccare.

Respondeo dicendum, quòd voluntas aliter se habet ad bonum, & aliter ad malum. Ex natura enim suæ potentiæ inclinatur ad bonum rationis, sicut ad proprium obiectum: vnde & omne peccatum dicitur esse contra naturam. Quòd ergo in aliquod malum voluntas eligendo inclinetur, oportet quòd aliunde contingat. Et quandoque quidem contingit ex defectu rationis, sicut cum aliquis ex ignorantia peccat. Quandoque autem ex impulsu appetitus sensitiui, sicut cum peccat ex passione: sed neutrum horum est ex certa malitia peccare, sed tunc solûm ex certa malitia aliquis peccat, quando ipsa voluntas ex se ipsa mouetur ad malum, quod potest contingere dupliciter. Vno quidē modo per hoc, quòd homo habet aliquam dispositionem corruptam inclinantem ad malum, ita quòd secundûm illam dispositionem sit homini quasi conueniens, & simile aliquod malum, & in hoc ratione conuenientiæ tendit voluntas quasi in bonum : quia vnumquodque secundûm se tendit in id, quod sibi est conueniens. Talis autem dispositio corrupta, vel est aliquis habitus acquisitus ex consuetudine, quæ vertitur in naturam, vel est aliqua ægritudinalis habitudo ex parte corporis, sicut aliquis habens quasdam naturales inclinationes ad aliqua peccata propter corruptionem naturæ in ipso. Alio modo contingit, quòd voluntas per se tendit in aliquod malum per remotionem alicuius prohibentis, puta, si aliquis prohibeat peccare, non quia peccatum ei secundûm se displiceat, sed propter spem vitæ æternæ, vel propter timorem gehennæ, remota spe per desperationem, vel timore per præsumptionem, sequitur quòd ex certa malitia quasi absque freno peccat. Sic igitur patet, quòd peccatum quod est ex certa malitia, semper præsupponit in homine aliquam inordinationem, quæ tamen non semper est habitus: vnde non est necessarium quod quicunque peccat ex certa malitia, peccet ex habitu.

Ad primum ergo dicendum, quòd operari qualiter iniustus operatur, non solum est operari iniusta ex certa malitia, sed etiam delectabiliter, & sine graui renisu rationis, quod non est nisi eius qui habet habitum.

Ad secundum dicendum, quòd nō statim ad hoc aliquis labitur, & ex certa malitia peccet: sed præsupponitur aliquid, quod tamen non semper est habitus, vt dictum est. *In corp. artic.*

Ad tertium dicendum, quòd illud propter quod voluntas inclinatur ad malum, non semper habitus est, vel passio, sed quiddam aliud, vt dictum est. *In corp. artic.*

Ad quartum dicendum, quòd non est similis ratio de electione boni, & electione mali: quia malum nunquam est sine bono naturæ, sed bonum potest esse sine malo culpæ perfectæ. *In corp. artic.*

DOcet Sanctus Thomas, in eo qui peccat ex malitia esse aliquam dispositionē, propter quam voluntas inclinatur ad peccatum; & intellectus iudicat illud esse conueniens. Hæc autem dispositio aliquando est habitus, aliquando est ipsa corporis complexio, quam Sanctus Thomas vocat ægritudinalem dispositionem, ratione cuius homines natura sua ad aliqua vitia propensi sunt; aliquando vero aliud peccatum præcedēs, quo remouetur impedimentum peccandi, vt desperatio, præsumptio, &c. *S. Thom.*

Dubitari potest, vtrum possit esse peccatum ex malitia nulla existente tali dispositione in eo qui peccat, qualem Sanctus Thomas adstruit. Cer- *Dubium.* *Solutur.*

tè existimo non esse necessariam ; nam in primo peccato Angelorũ, quod fuit ex malitia, nulla potest assignari talis dispositio, neque enim fuit peccatum præcedens, cum illud fuerit primum, neque habitus, neque naturæ dispositio. Eadem ratio est de peccato primi parentis, & idem aliquando contingere potest in peccatis aliorum hominum. Doctrina ergo hæc sancti Doctoris, nullus eligit malum nisi ratione alicuius prauæ dispositionis fiat conueniens, vera est regulariter, & vt in plurimum.

Aliud dubium. Disputat Caietan. quomodò possit esse peccatum ex malitia, quod habet originem ex praua corporis complexione, videtur enim potius esse ex passione: nã corporis complexio nunquam est causa electionis, nisi media immutatione appetitus, in quem proximè habet efficatiã. Præterea, quia in eo casu voluntas non eligit à se ipsa, sed inducta ab alio. *Soluitur.* Breuiter dicendum est, hoc peccatum posse ex malitia esse ; & ad primam obiectionem respõdetur, complexionem corporis posse esse causam electionis sine vehementi immutatione sensualitatis, quia voluntas est appetitus communis totius hominis quæ potest velle, quod iuxta corporis dispositionem conueniens est, vel immediatè, vel leui appetitus sensitiui motu inducta ; si autem aliqua passio appetitus interueniat quæ non sit vehemens, & turbet aduertentiam rationis, non est peccatum ex passione, sed ex malitia. Cum ergo dicitur peccatum ex malitia esse, quando voluntas à se eligit malum, intelligendum est, vt voluntas eligat à se quando non turbatur, vel impeditur scientia, vel aduertentia intellectus, nõ tamen oportet, vt nulla occasio, vel motiuum electionis præcedat in alia potentia.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum ille qui peccat ex certa malitia, grauiùs peccet, quàm qui ex passione.

Supp. q. 47 art. 2. cor. Et 2. 2. q. 73. art. 3. cor. Et 2. d. 7. q. 1. ar. 2.

AD quartum sic proceditur. Videtur quòd ille qui peccat ex certa malitia, nõ peccet grauiùs, quàm ille qui peccat ex passione. Ignorantia enim excusat peccatum, vel in toto, vel in parte: sed maior est ignorantia in eo qui peccat ex certa malitia, quàm in eo qui peccat ex passione : nam ille qui peccat ex certa malitia patitur ignorantiam principij quæ est maxima, vt Philosophus dicit in. 7. Ethic. habet enim malã existimationẽ de fine, qui est principium in operatiuis: ergo magis excusatur â peccato, qui peccat ex certa malitia, quàm ille qui peccat ex passione. *cor. fin. Et Mal. q. 3. art. 13. & quodlib. 2. ar. 15 cor.* *Ca. 8. 2 me dic. t. 5.*

Secundò præterea. Quãtò aliquis habet maius impellẽs ad peccandũ, tãtò minùs peccat, sicut patet de eo, qui maiori impetu passionis deijcitur in peccatum : sed ille qui peccat ex certa malitia, impellitur ab habitu, cuius est fortior impulsio, quàm passionis: ergo ille qui peccat ex habitu, minùs peccat, quàm ille qui peccat ex passione.

Tertiò præterea. Peccare ex certa malitia, est peccare ex electione mali : sed ille qui peccat ex passione etiam eligit malum : ergo nõ minùs peccat, quàm ille qui peccat ex certa malitia.

Sed contra est, quod peccatũ quod ex industria committitur, ex hoc ipso grauiorem pœnam meretur, secũdùm illud Iob. 34. Quasi impios percussit eos in loco videntium, qui quasi de industria recesserunt ab eo: sed pœna non augetur nisi propter grauitatem culpæ : ergo peccatum ex hoc aggrauatur, quòd est ex industria, seu certa malitia.

Respondeo dicendum, quòd peccatum quod est ex certa malitia, est grauius peccato, quod est ex passione triplici ratione. Primò quidem, quia cum peccatum principaliter in voluntate consistat, quantò motus peccati est magis proprius voluntati, tantò peccatum est grauius, cæteris paribus: cũ autẽ ex certa malitia peccatur, motus peccati est magis pro-

proprius voluntati, quæ ex se ipsa in malum mouetur, quàm quando ex passione peccatur, quasi ex quodam extrinseco impulsu ad peccandum: vnde peccatum ex hoc ipso quòd est ex malitia aggrauatur: & tantò magis, quantò fuerit vehementior malitia; ex eo verò, quòd est ex passione diminuitur tantò magis, quantò passio fuerit magis vehemens. Secundò, quia passio quæ inclinat voluntatem ad peccandum, citò transit; & sic homo citò redit ad bonum propositum pœnitens de peccato: sed habitus quo homo ex malitia peccat, est qualitas permanens: & ideò qui ex malitia peccat diuturniùs peccat: vnde Philosophus in. 7. Ethicor. cap. 8. to. 1. comparat intemperatum qui peccat ex malitia, infirmo qui continuè laborat: incontinentem autem qui peccat ex passione, ei qui laborat interpolatè. Tertiò, quia ille qui peccat ex certa malitia, est malè dispositus quantum ad ipsum finem, qui est principium in operabilibus, & sic eius defectus est periculosior, quàm eius qui ex passione peccat, cuius propositum tendit in bonum finem, licet hoc propositum interrumpatur ad horam propter passionem. Semper autem defectus principij est pessimus: vnde manifestum est, quòd grauius est peccatum quod est ex malitia, quàm quod est ex passione.

Ad primum ergo dicendum, quòd ignorantia electionis de qua obiectio procedit, neque excusat, neque diminuit peccatum, vt supra dictum est: vnde neque maior ignorantia talis facit esse minus peccatum. Quæst. 76. art. 4.

Ad secundum dicendum, quòd impulsio quæ est ex passione, est quasi ex exteriori defectu respectu voluntatis: sed per habitum inclinatur voluntas quasi ab interiori: vnde non est similis ratio.

Ad tertium dicendum, quòd aliud est peccare eligentem, & aliud peccare ex electione. Ille enim qui peccat ex passione, peccat quidem eligens, non tamen ex electione: quia electio non est in eo primum peccati principium, sed inducitur ex passione ad eligendum id, quod extra passionem existens non eligeret: sed ille qui peccat ex certa malitia, secundùm se eligit malum eo modo, quo dictum est; & ideò electio, quæ est in ipso, est principium peccati, & propter hoc dicitur ex electione peccare. Art. 1. & 2. huius q.

QVÆSTIO LXXIX.

De causis exterioribus peccati, in quatuor articulos diuisa.

DEinde considerandum est de causis exterioribus peccati. Et primò, ex parte Dei. Secundò, ex parte diaboli. Tertiò, ex parte hominis.

CIRCA PRIMVM QVÆRUNTUR QUATUOR.

PRimò, Vtrum Deus sit causa peccati. Secundò, Vtrum actus peccati sit à Deo. Tertiò, Vtrum Deus sit causa excæcationis, & obdurationis. Quartò, Vtrum hæc ordinentur ad salutem eorum qui excæcantur, vel obdurantur.

ARTICVLVS I.

Vtrum Deus sit causa peccati.

AD primum sic proceditur. Videtur quòd Deus sit causa peccati. Dicit enim Apostolus Romanorum. 1. de quibusdam. Tradidit eos Deus in reprobum sensum, vt Infr. q. 80. art. 1. cor. Et mal. q. 3. art. 1.

faciant ea quæ non conueniunt. Et
Est gl. Aug. in li. de natu. & gra. ca. 21. tom. 7. glos. ibidem dicit, quòd Deus operatur in cordibus hominum inclinando volũtates eorum in quodcunque voluerit, siue in bonum, siue in malum: sed facere quæ non conueniunt, & inclinari secundùm voluntatem ad malum, est peccatum: ergo Deus hominibus est causa peccati.

Secundò prętereâ. Sap. 14. dicitur, Creaturæ Dei in odium factæ sunt, & in tentationem animę hominum: sed tentatio solet dici prouocatio ad peccandum; cum ergo creaturæ non sint factæ nisi à Deo, vt in primo habitum est, videtur quôd Deus sit causa peccati, prouocans hominem ad peccandum.
Prima p. q. 44. art. 2.

Tertiò prætereâ. Quicquid est causa causæ, est causa effectus: sed Deus est causa liberi arbitrij, quod est causa peccati: ergo Deus est causa peccati.

Quartô prætereâ. Omne malum opponitur bono, sed non repugnat diuinæ bonitati, quòd ipse sit causa mali pœnæ: de isto enim malo dicitur Isaiæ. 45. quòd Deus est creans malum. Et Amos. 3. Si est malum in ciuitate, quod Deus non fecerit: ergo etiam diuinæ bonitati non repugnat, quòd Deus sit causa culpæ.

Sed contra. Sap. 11. dicitur, Nihil odisti eorum quæ fecisti; odit autem Deus peccatum, secundùm illud Sapient. 14. Odio est Deo impius, & impietas eius: ergo Deus nó est causa peccati.

Respondeo dicendum, quòd homo dupliciter est causa peccati, vel sui, vel alterius. Vno modo directê inclinando, scilicet, voluntatẽ suam, vel alterius ad peccandum: alio modo indirectè, dum scilicet non retrahit aliquos à peccato: vnde Ezech. 3. speculatori dicitur. Si non dixeris impio, Morte morieris, sanguinem eius de manu tua requiram. Deus autem non potest esse directê causa peccati, vel sui, vel alterius: quia omne peccatum est per recessum ab ordine, qui est in Deum, sicut in finem. Deus autem omnia inclinat, & conuertit in se ipsum, sicut in vltimum finem, sicut Dion. dicit. 2. cap. de diuin. nom. vnde impossibile est, quòd sit sibi, vel alijs causa discedendi ab ordine qui est in ipsum: vnde nõ potest directê esse causa peccati. Similiter etiam neque indirectê; contingit enim, quòd Deus aliquibus non præbet auxilium ad euitandum peccata, quod si præberet, non peccarent: sed hoc totum facit secundùm ordinem suæ sapientiæ, cum ipse sit sapientia, & iustitia; vnde non imputatur ei, quòd alius peccet sicut causæ peccati: sicut gubernator non dicitur causa submersionis nauis ex hoc, quòd non gubernat nauim, nisi quando subtrahit gubernationem, potens & debens gubernare. Et sic patet quod Deus nullo modo est causa peccati. *Ca. 1. decli. ad finem.* *D. 503.*

Ad primum ergo dicẽdum, quòd quantum ad verba Apostoli, ex ipso textu patet solutio. Si enim Deus trahit aliquos in reprobum sensum, iam ergo reprobum sensum habent ad faciendum ea, quæ non conueniunt. Dicitur ergo trahere eos in reprobum sensum, in quantùm non prohibet eos, quin suum sensum reprobũ sequãtur; sicut dicimur, exponere illos, quos non tuemur. Quod autem Augustinus dicit in lib. de gratia & lib. arb. vnde sumpta est glossa, quòd Deus inclinat voluntates hominum in bonum, & malum, sic intelligendum est, quòd in bonum quidem directè inclinat voluntatem: in malum autem inquantùm non prohibet, sicut dictum est: & tamen hoc etiam contingit ex merito præcedentis peccati. *Cap. 21. nõ procul à fine. c. 7.* *In cor. art.*

Ad secundum dicendum, quôd cũ dicitur, Creaturæ Dei factæ sunt in odium

odium & intentationem animæ hominum, hæc præpositio, In, non ponitur causaliter sed consecutiuè. Non enim Deus fecit creaturas ad malum hominum, sed hoc consecutum est propter insipientiam hominum: vnde subditur, Et in muscipulam pedibus insipientium, qui scilicet per suam insipientiam vtuntur creaturis ad aliud, quàm ad quod factæ sunt.

Ad tertium dicendum, quòd effectus causæ mediæ procedentes ab ea secundùm quòd subditur ordini causæ primæ, reducitur etiam in causam primam: sed si procedit â causa media, secundùm quod exit ordinẽ causæ primæ, non reducitur in causam primam: sicut si minister faciat aliquid contra mandatum Domini, hoc non reducitur in dominum sicut in causam. Et similiter peccatũ, quod liberũ arbitriũ committit contra præceptum Dei, non reducitur in Deum sicut in causam.

Ad quartum dicendum, quòd pœna opponitur bono eius qui punitur qui priuatur quocunque bono, sed culpa opponitur bono ordinis qui est in Deum, vnde directè opponitur bonitati diuinæ: & propter hoc non est similis ratio de culpa, & pœna.

CONclusio est Deus nõn est causa peccati, nec directè, nec indirectè, quia nec directè mouet ad peccatum, nec ex aliqua actione Dei peccatum prouenit.

Circa veritatem hanc nulla est difficultas inter catholicos, est tamen controuersia cum hæreticis: vsque ad hoc enim peruenit hæreticorum impudentia, vt Deum suorũ scelerum authorẽ facere, nõ erubuerint. De quare, quia antiqui, & neoterici scriptores multa scripserunt, pauca quædam attingam in explicationem catholicæ doctrinæ, & confutationem hæreticorum.

DISPVTATIO XXXVI.

Vtrum Deus sit causa peccati, quatenus peccatum est.

ERROR, asserentium Deũ esse causã peccati quatenus peccatum est, antiquissimus est, cuius primum authorem Symonem Magum facit Vincẽtius Lyrinensis in libro aduersus prophanas hæresum nouitates: tribuitur etiam Manichæis, Priscillianistis, Cerdonistis, Seleucianis, Marcionistis, & Albigensibus, qui omnes Manichæorũ sequaces fuerunt. Id constat ex Tertulliano libro de præscriptionibus hæreticorum, Irenæo libr. 1. aduersus hæreses cap. 29. Augustin. libr. de hæresibus ad Quodvultdeum; Leone primo, in epist. 93. ad Toribium, & Diuo Antonino quarta parte Theologalium titul. 2. §. 7. cap. 5. Sed fere omnes isti ita asserebant Deum peccatorum causam, & authorem, vt constituerunt duos Deos, alterum bonum, in quem referebant omnia bona, & alterum malum, qui esset principium malorum omnium. Turpius verò erraverunt hæretici alij, qui cum non agnoscerent nisi vnicum bonum Deum; nihilominus affirmarunt, eum esse primam peccatorum causam, id docuit olim Florinus, vt refert Eusebius Cæsariensis lib. 5. historiæ cap. 20. & nouissimè Libertini in Germania, & Lutherus, & Philippus Melãctonius, quàmuis ferantur retractasse sententiam, & idem colligitur ex doctrina Caluini, Zuinglij, & aliorum, vt optimè conuincit Belarm. libr. 2. de amissione gratiæ & statu peccati. cap. 2. quàmuis ipsi negauerint.

Erroris. Authore. *Symon Magus.* *Manichæi.* *Priscillia.* *Cerdoni.* *Seleucia.* *Marcio.* *Albigen.* *Ex Tertul.* *August.* *Ironæo.* *Leonẽ.* *Anton.* *Item Florinus.* *Libertini.* *Lutherani.* *Caluinist.* *Ex Euseb.* *Belarm.*

Fundamentum istius hæresis sunt quædam sacræ Scripturæ testimonia obscura. Aliquando enim dicitur, Deum suo consilio, & prædefinitione ab æterno decreuisse peccatum, Genes. 45. Ioseph. de peccato, quo venditus à fratribus fuerat, & relegatus in Ægyptum, dicit, *Non vestro consilio, sed Dei voluntate hûc missus sum*. Actorum 2. de Passione Christi. *Hũc definito cõsilio, & præscientia Dei traditum, per manus iniquorum affligentes, interemistis.* Actorum 4. *Conuenerunt in ista ciuitate aduersus puerum tuum Iesum Herodes, & Pilatus, cum gentibus, & populis Israël*

Fundamẽta. Ex Scrip. *Gen. 45.* *Act. 2.* *Act. 4.*

Israel facere, quæcunque manus tua, & consilium tuum decreuerunt fieri. Aliquando etiã scriptura significat, Deũ operari peccatũ; vel facere hominem peccatorem.

2.Reg.12. Operari peccatum. 2. Regum. 12. Peccata quę Absalon contra Patrem committit prędicit Deus se facturum. Ego inquit, *suscitabo aduersum te, malum de domo tua, & tollam uxores tuas, & dabo illas proximo tuo in oculis tuis, tu fecisti in occulto, ego autẽ faciam palam*, peccatorem vero, Prouerb. 16. *Omnia propter semetipsum operatus est Dñs, impium quoq; in diẽ malũ.*

Prouer.16

Exod.9. Rom.5. Exod. 9. & ad Rom. 5. de Pharaone dicitur, *In hoc ipsum excitaui te & posui te, vt ostendam in te virtutem meam*. Aliquando denique asserit, Deum mouere homines ad peccatum, vel præcipere peccatum. Mouere, 2. Reg. 24. *Addidit quoque iratus furor Domini contra Israel, commouitque Dauid in eis dicentem, vade numera populum, &c.* & Psalm. 104. *Conuertit cor eorum vt odirent populum eius*, & Psalm. 114. *Nondeclines cor meũ in verba malitiæ, &c.*: præcipere autem. 2. Reg. 16. *sinite vt maledicat, Dominus enim præcepit ei, vt maledicat Dauid.* & 3. Regum 2. spiritui malo, qui se obtulit ad decipiendum Achab, dixit Deus *Decipies, & prævalebis, vade, & fac*. Omitto alias locutiones, quibus Deus dicitur excæcare, & indurare, quoniam de his agit S. Thomas articul. 3. & 4.

2.Reg.24. Psal.104. Psal.114. 2.Reg.16. 3.Reg.2.

Ex Augustino. Similes loquendi formæ inueniuntur apud Augustinum. 9. confessionum cap. 8. narrat, matrem Monicam deterritam fuisse, conuitio cuiusdam ancillæ, à vitio ebrietatis, in quod puella labi cæperat, & ait. *Quid fecisti Deus meus, unde curasti, unde sanasti, nonne protulisti ex altera anima conuitium, &c.* & in Enchirid. c. 101. dicit, fieri posse vt Deus vellit bona voluntate, quod homo vult mala, & de natura & gratia cap. 20. & 21. Deum inclinare voluntates hominum, siue ad bonum, siue ad malum prout voluerit, & de correptione & gratia cap. 7. Iudã electum fuisse ad effundendum sanguinem Christi.

Argumentãtur præterea hæretici rationibus, sed potissimè ex duobus principijs, primum, Deum esse causam actus peccati secũdũ substantiã; secundũ, sæpe peccatũ esse pœnã peccati, ex vtroque enim videtur inferri, peccatũ vt peccatũ est, esse à Deo. Sed primũ expendemus articulo sequenti, secundũ autem infra quæst. 87. art. 2. vbi disputatur à S. Tho.

Veritas Catholica. Sed veritas catholica hunc errorem damnat, vt absurdam, & ingentem blasphemiam, & constãter docet, nulla ratione Deum esse peccati authorem, nec malitiam in ipsum referri posse. Probatur primò authoritatibus sacræ Scripturæ quæ tota hanc veritatem confirmat, in eo enim versatur, vt peccatũ exterminet & à Deo alienissimũ ostendat, sed præcipuè colligitur ex sequentibus assertis.

Probatur primò Scripturis.

Primum, Deus odio habet peccatum, cum quo non coheret vt sit causa ipsius, non enim id potest efficere, quod odit, cum sit causa libera, & summè bonus. Sapient. 14. *Similiter odio Deo sunt impius, & impietas eius*. Psalm. 62. *Odisti omnes qui operantur iniquitatem*. Abachuc. 1. *Mundi sunt oculi tui, ne videant malum, & ad iniquitatem respicere nõ potes*: respicere, intellige, scientia approbationis, quæ est causa rerum, non scientia speculatiua, qua Deus verè peccatum aspicit. Respondent hæretici, Deum vno modo odire peccatum, & alio modo velle, & operari; odit enim, secundùm voluntatem quandam exterius manifestatam per imperium, & prohibitionem; re vera autẽ vult illud voluntate quadam occultæ dispositionis, qua ipsum efficaciter fieri decernit. Sed hæc est friuola, & stulta euasio, ex qua inferuntur absurda manifesta. Nam si vtraque hæc voluntas in Deo est, sequitur contrarias voluntates in Deo esse: si autem aliqua earum non est vera, & formalis voluntas Dei, cum negari nequeat voluntatem dispositionis esse veram, & efficacem, sequitur voluntatem præcepti nihil aliud esse, quàm exteriorem quandam significationem, quã Deus non decipit, & nobis illudit, ostendens se odio habere, quod re vera non odit, sed diligit, & efficit. Præterea, sacra Scriptura planè negat Deum esse causam peccati. Genes. 1. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*. Sapient. 11. *Nihil odisti eorum quæ fecisti*, & iam constat Deum odio habere peccatũ. 1. Ioan. 3. *Qui non est iustus, non est ex Deo*. Ecclesiast. 15. *Deus nemini mandauit impiè agere ne dicas per Deum abest, ille me imp lanauit*, (hoc est decepit, vel implicuit peccato,) Iacob 1. *Deus neminem tentat, & ipse intentator malorum est*. Et denique sacra Scriptura docet peccatum esse à sola creatura. Oseæ. 13. *Perditio tua Israel ex tẽ*, & 1. Ioan. 3. *Qui facit peccatũ ex diabolo*

Sapientia 14. Psalm. 62. Abac. 1.

Fuga.

Friuola & stulta.

Genes. 1. Sapien. 11. 1. Ioan. 3. Ecc. es. 15. Iacob. 1. Oseæ. 13. 2. Ioan. 3.

bolo est, & infra *In hoc manifesti sunt filij Dei, & filij Diaboli.*

Secundò. Definitione Eccles. Cõc. Arausic.

Eadem veritas definita est in Concilio Arausicano cap.23.illis verbis. *Aliquos esse prædestinatos ad malum diuina potestate nos non credimus, & si est qui ita credat, in eum cum omni detestatione Anathema dicimus*. Idem decretum habetur in Concilio Valentino capit. 3. & in Trident.sessione 6.canone.6. *Si quis dixerit, mala opera, ita vt bona, Deum operari, non tantùm permissiuè, sed propriè, & per se, ita vt non sit minùs opus Dei proditio Iudæ, quàm vocatio Pauli, anathema sit*. Patrum authoritates superfluum esset adducere cum passim occurrant. Legantur quos retuli sectione 3.disputa.25.ad probandum, peccatum non esse entitatem positiuam; & August.lib.83.qq.quæst.34.& 21.lib.3.de liber.arbit.in Enchiridio. & alijs libris contra Manichæos tomo.6. præsertim libro de natura boni. Patribus licet adiungere Arist. & Platonem vt Philosophorum etiam testimonio reprobetur error. Aristo.enim licet non expressè, insinuat tamen hanc veritatem 10.Ethicor. cap. 8. dicens, solos bonos, & sapientes Deo esse amicos. Plato autẽ in secundo dialogo de Republica, ait, *Malorum causam esse Deum cum bonus sit, refellendum est omnino, nec permittendum quenquam hoc dicere in sua ciuitate, nec quẽquam audire, si bonis legibus ciuitas instrui debet*.

Valentin. Trident.

Tertiò ex Patribus.

Arist. Plato.

Probatur præterea efficacibus rationibus. Prima sit, qua vtitur sanctus Thomas hoc loco & 1. parte quæstione 19.artic.7.quia peccatum intrinsecè, & natura sua auertit à Deo, & est offensa illius, & nulla ratione in ipsum tãquam in finem referri potest, implicat ergo etiam de potentia Dei absoluta, vt possit illud velle, & esse causa eius; nam omnia Deus vult, & operatur propter seipsum; *Omnia, enim, propter semetipsum operatus est Dominus* Prouerb. 16. Secunda ratio sumitur ab his, quæ Deus tam seuerè decreuit in pœnam peccati, nam iniquum esset, si Deus eius esset causa in hominibus, propter quod ipsos tam acerbè punit. Quam rationem expressit Paulus ad Roma.3. *Nunquid iniquus est Deus qui infert iram?* id est, peccatum, quod est iræ obiectum; *absit, alioquin quomodo iudicabit Deus hunc mundum*. Tertia ratio, quia Deo ipse peccare non potest, ergo nec est causa peccati; est enim peccare, liberè cooperari ad peccatum alterius, nec magis id Deo licet, quàm alteri agenti; cum potius actiones perfectiores, & magis ordinatas sibi ipsi debeat, & à sua rectitudine deficere non possit. Ex quibus infero Deum non solum non esse causam peccati per se, sed nec etiam per accidens: causa enim licet sit per accidens aliquo modo influit, quod minimè concedendũ est Deo in peccatum, qua tale est.

Quarò rationibus, Prima.

Prob.16. Secunda.

Tertia.

Sed aduertendum est, qua certitudine asseritur Deum non esse peccati causam, eadem esse affirmandum Deum permittere peccatum: nullum enim peccatum fit nisi Deo permittente, nam omne peccatum Deus præscit futurum esse, & potest, si velit, impedire, cum ergo non impedit, permittit; Hæc est certa catholicorum doctrina ex August. in Enchirid.cap.11.& 96.& alijs Patribus, cuius maior explicatio, & rationes propter quas, Deus prudenter tot peccata permittit, ex disputatione de prouidentia petendæ sunt. Ex hac tamen assertione non sequitur, Deum esse causam peccati, vel illi imputari, nam quod quis non impedit, imputatur, quando tenetur, nõ verò si non tenetur, etiam si possit.

Aduert.

August.

Ad omnes illas authoritates sacræ Scripturæ, & Augustin. & ad alias similes, respondendum est vnã, & eadem solutione; illis locutionibus non significari positiuam causalitatem Dei, sed permissiuam tantùm; licet voce positiua significetur. Cum ergo dicitur, Deum operari peccatum; vel mouere ad ipsum, idem, est ac permittere: cum autem dicitur, Deum decernere, & definire peccatum, significatur decretum permissionis peccati, vel alicuius effectus prouenientis occasionaliter ex peccato. Ita explicat August. 3.de Trinitate cap. 2. cum ait; *Modus quo traditus est homo in Diaboli potestatem non ita intelligendus, quasi hoc Deus fecerit, aut fieri iusserit, sed quòd tantum permiserit*. Et Damas.4. de fide Orthodoxa cap.20.dicens. *Moris est diuinæ Scripturæ permissionem Dei, vocare eius actionem*. Est autem hæc expositio conuenientissima; primò, quia vt Augustin. 3.de doctrina Christiana docet, quam docunque verba sacra Scripturæ continent absurditatem si in sensu proprio intelligãtur, vel repugnãt alijs eius sentẽtijs, accipienda sunt in sensu improprio. Secundo quia non est nouum significari permissionem, ac si esset positiua actio

Explicantur testimonia pro hæreticis inserta.

August.

Damas.

nam

Iob. 2. nam Iob 2. Deus dicit se afflixisse Iob, cum tamen nihil aliud egerit, quàm permittere Sathanæ, vt ipsum affligeret: & libellus repudij, qui filijs Israel per legem Mosayçã concedebatur, cum esset permissio, vt explicatur Matth. 19. appellatur præceptum Marc. 10. In qua loquendi forma sacra Scriptura sequitur vulgarem hominũ vsum, solemus enim permissiones exprimere vocibus positiuæ causalitatis, & dicimus facere, quod non impedimus. Addo, in plerisque ex illis testimonijs causalitatem positiuã non tam ad peccatum, quàm ad aliquem effectum, ex eius permissione prouenientẽ, referendam esse: nã in venditione Iosephi, passione Christi, punitione Dauidis, & alijs non peccatum malè agentium, sed effectum bonum inde prouenientem disposuit, & definiuit. Licet enim Deus non sit causa peccati, neque illud velit, sæpissimè tamen est causa alicuius effectus quem intendit, & ad quẽ consequendum vtitur permissione peccati; decreuit enim, & intendit passionẽ Christi quatenus passio fuit, & quatenus ex parte Christi meritoria, & satisfactoria fuit, & in hunc finem permisit actiones impias Iudæorum & Gentiliũ qui crucifixerunt ipsum. Quod aduertunt Gregor. Nyssen. 8. lib. philos. cap. 9 dicens aliquando actionem esse malam, passionem verò bonam, & passionem esse effectum diuinæ prouidentię, non autem actionem. Et Leo primus in serm. 17. de passione Christi, *multum* (inquiẽs) *diuersum est, multumque contrarium id, quod in malignitate Iudæorum est præcognitum, & quod in passione Christi est dispositum, neque inde processit voluntas interficiendi, vnde voluntas moriẽdi, nec ab vno spiritu fuit atrocitas sceleris, & tollerantia Redemptoris.*

Nec licet arguere, Deus intendit effectus qui ex peccato proueniunt, ergo intẽdit, & efficit peccatũ ipsum: est enim inefficax illatio: quia nec effectus oriũtur ex peccato per se & adæquatè, sed occasionaliter, nec vt eueniãt eo modo quo ex peccato pendent, necesse est, vt Deus velit, & efficiat peccatum, quia satis est, vt velit permissionẽ: quod enim præuidet per alios futurum infallibiliter eueniet, nihil Deo agente, eo solùm quod non impediat. V. g. præordinauit Deus redemptionem generis humani per passionem Christi, quæ non potuit esse sine peccato crucifigentium ipsum; nec tamen fuit necessarium, vt disponeret, & operaretur peccatum, quia vidit Iudæos sibi relictos, & non impeditos id acturos fore, & ideò permissionem esse sufficientem.

Nyssen.

Leo.

Obiectio.

ARTICVLVS II.

Vtrum actus peccati sit à Deo.

AD secundum sic proceditur. Videtur quòd actus peccati non sit à Deo. Dicit enim Augustin. in libr. de perfectione iustitiæ, quod actus peccati non est res aliqua. Omne autem quod est a Deo, est res aliqua: ergo actus peccati non est à Deo.

Inf. q. 80. ar. 1. co. Et 1. d. 40. q. 4. ar. 2. & d. 42. q. 2. a. 1. Et. 2. d. 37. q. 2. & d. 44 q. 1. a. 1. Et. 3. con. ca. 162. Et mal. q. 3. ar tic. 2. & Rom. 11. lecte. 5. Non longe à princ. li. est in respõ ſt. ratioci. 4. tom 5. Capit. 4. in par. 4. illiꝰ non longe a prin. Art. præcà Quæſt. 18. ar. 2. & 3. Ar. 1. huius. quæſt.

Secundò prætereà. Homo non dicitur esse causa peccati, nisi quia homo est causa actus peccati: nullus enim intendens ad malum operatur vt Dion. dicit 4. c. de diuin. nomin. sed Deus non est causa peccati, vt dictum est: ergo Deus non est causa actus peccati.

Tertiò prætereà. Aliqui actus secundùm suam speciem sunt mali, & peccata vt ex supra dictis patet: sed quicquid est causa alicuius, est causa eius quod cõuenit ei secundũ suam speciẽ; si ergo Deus esset causa actus peccati, sequeretur quòd esset causa peccati: sed hoc non est verum, vt ostensum est, ergo Deus non est causa actus peccati.

Sed contra. Actus peccati est quidam motus libt. arbitr. sed voluntas Dei est causa omnium motionum, vt Augustin. dicit. 3. de Trinitat. ergo voluntas Dei est causa actus peccati.

Lib. 3. c. 4. & c. 9. in fin. tom. 3.

Respondeo dicẽdum, quòd actus peccati, & est ens, & est actus, & ex vtroque habet quod sit à Deo. Omne enim ens quocunque modo sit, oportet quód deriberur á primo ente,

er te, vt patet per Dion. 5. c. de diui. nomin. Omnis autem actio causatur ab aliquo existente in actu: quia nihil agit, nisi secundùm quod est actu: omne autem ens actu reducitur in primum actum scilicet Deum, sicut in causam, quæ est per suam essentiam actus: vnde relinquitur, quod Deus sit causa omnis actionis, inquãtùm est actio. Sed peccatum nominat ens, & actionem cum quodam defectu; defectus autem ille est causa creata, scilicet, liberum arbitrium in quantùm deficit ab ordine primi agentis, scilicet, Dei. Vnde defectus iste non reducitur in Deum sicut in causam, sed in liber. arbitr. sicut defectus claudicationis reducitur in tibiam curuam sicut in causam, nó autem in virtutem motiuam; à qua tamen causatur quicquid est motionis in claudicatione: & secundùm hoc Deus est causa actus peccati, nó tamen causa peccati, quia non est causa huius, quòd actus sit cum defectu.

cap. 5. vsque ad medium.

Ad primum ergo dicẽdum, quòd August. nominat ibi rem, id quod est simpliciter, scilicet substantiam: sic enim actus peccati non est res.

Ad secundum dicendum, quòd in hominem sicut in causam reducitur non solum actus, sed etiam ipse defectus: quia scilicet nó subditur ei, cui debet subdi, licet hoc ipse non intendat principaliter, & ideò homo est causa peccati: sed Deus sic est causa actus, quòd nullo modo est causa defectus concomitantis actum, & ideò non est causa peccati.

Ad tertium dicendum, quòd sicut dictum est supra. Actus & habitus non recipiunt speciem ex ipsa priuatione in qua consistit ratio mali, sed ex aliquo obiecto cui cõiungitur talis priuatio: & sic ipse defectus, qui dicitur non esse à Deo, pertinet ad speciem actus consequenter, & non quasi differentia specifica.

Quæst. 72. art. 1.

DVo quæ in resolutione huius articuli sanctus Thomas affirmat, Deum scilicet, ad actum peccati concurrere, sicut ad cæteras actiones, & motus; & tamen inde non sequi esse causa peccati formaliter, & in quantum peccatum est oportet latiùs explicare.

DISPVTATIO XXXVII.

Vtrum Deus concurrat ad actum peccati.

CVM in peccato sint duo; substantia actus, quæ materiale dicitur, & malitia quæ est formale, & esse causam malitiæ Deo repugnet, videndum est, an actum ipsum efficiat. Quæstio ista iam ab antiquo difficilis est, & inter Theologos controuertitur, eam primò attigit Magister in 2. distin. 37. & insolutam reliquit: deinde partem negantem, vt probabilem asseruerunt Altiliodorensis lib. 2. summæ tract. 27. cap. 3. & Greg. in 2. dist. 37. quæstione 1. & constanter defendit Durand. in 2. dist. 1. quæst. 5. & dist. 37. quæst. 2. & Aureol, vt refert Gregor. vbi supra. Sed Durandus sententiã hanc tuetur, quia vniuersè existimat Deum non concurrere ad actiones causarum secundarum, & earum effectus immediato, & actuali concursu, sed causas secundas solas operari, & actiones earum ideò solũ referri in Deum, quia eas produxit & tribuit eis virtutem operãdi & eas cõseruat, quam doctrinam tradit in 2. dist. 1. & ex ea distin. 37. infert, Deum non concurrere immediatè ad actum peccati. Ceterum in præsenti non est animus, assertionem fundamentalem Durandi ex professo discutere, sed quod propriũ est huius loci, an Deus concurrat immediatè, & sit causa actus peccati.

Sentent. negans. Altisiod. Gregor. Durand. Aureol. Fundamẽtum Durandi radicale.

Sententia ergo Durandi probari potest primò quibusdam testimonijs Augustin. qui 2. lib. de liber. arbit. capit. vltimo, inquirit, *quoniam mouetur voluntas ab incommutabili bono ad commutabile, vnde est iste motus?* & respondet, *non ergo erit motus iste à Deo, motus ergo ille auersio: is vide quò pertineat, Ad Deũ nõ pertinere minimè dubites.* Et de spiritu. & litera cap. 31. *Nunquam legimus non est voluntas*

Probatur hæc sententia. August.

luntas nisi à Deo, & propterea scriptum non est, quia verum non est, alioquin author peccati esset Deus, si non est voluntas nisi ab ipso. Et 12. confessionum cap. 11. *Omnes naturæ, & substantiæ, quæ non sunt quod tu es, & quæ sunt, à te sunt, & illud tantum à te non est, quod non est, motusque voluntatis à te qui es, ad id quod minus est.* Et in lib. de perfectione iustitiæ ratiotina. 4. quærit, an peccatum sit res, vel actus, & concludit, non esse rem, quia esset à Deo, sed esse actũ, quasi propterea quòd est actus; non sit necessarium esse à Deo. In omnibus his testimonijs August. non solum peccatũ sed actum, motum & voluntatem peccati, negat referri in diuinam actionem. Ratione etiam arguitur, quia videtur, necessario consequi, si Deus efficit actum peccati quantum ad eius substantiam, sit etiam causa malitiæ, & peccatum, vt peccatum est, ipsi imputetur.

Contraria sententia certa. S. Thom. Bonau. Ricard. Scotus. Gabr. Anselm.

Contraria tñ sententia certa est inter Theologos, & expressa à S. Thoma in hoc articulo, & locis in margine notatis. Bonauent. in 2. dist. 37, artc. 1. quæst. 1. Ricard. ibi art. 2. quæstione 1. Scoto ibidem quæst. vnica. §. *contra istam*, Gabr. quæstione 1. & est manifesta doctrina Anselmi in libro de casu diaboli, c. 20. & de cõcordia prædestinationis & lib. arb. cap. 2. vbi distinguit inter actum peccati, & malitiã, actusq; Deũ esse causam asserit, non malitiæ. Verba sunt. *Facit Deus omnia quæ iusta & iniusta voluntate fiunt, in bonis quidem facit, & quod sunt, & quod bona sunt, in malis autem facit tantùm quod sunt, non autem quod mala sunt.*

Probatur autem ista sententia generali dogmate ab omnibus recepto Deum esse causam vniuersalem omnium actuũ & motuum, ita vt nihil omnino possit operari creatura, nisi ipso actualiter, & immediatè cõcurrente. Ex hoc principio euidenter sequitur, Deum concurrere ad actum peccati quantum ad substantiam, cum sit verus actus, & habeat suam entitatẽ. Principium autem illud latè probare, contra Durand. ad aliam disputationem spectat, sententia tamen Durandi id negantis censetur erronea. Et necessitas diuini concursus ad omnem actionem breuiter ostendi potest. Primò, quia fides docet Deum esse causam omnium, non tantùm quia in principio prima entia produxit, sed etiam quia nunc omnia producit, iuxta illud

Ioan. 1.

Ioan. primo. *Omnia per ipsum facta sunt, &* Ioan. 5. *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor*, non potest autem ominum esse causa, nisi ad omnes actiones, & motus concurrat, tum quia actiones & motus suam entitatem habẽt, & entia quædam sunt, tum etiam quia non esset causa effectuum, nisi concurreret ad eorum productionem. Speciale autem de actionibus, & motibus est illud Actuum 13. *In ipso viuimus, mouemur, & sumus*, & Isai 66. *Omnia opera nostra operatus es in nobis.* Ratio præterea qua sanctus Thomas vtitur in corpore huius articuli optima est, quia iuxta doctrinam Arist. 12. Metaph. & Dionysij. 5. cap. de diuinis nominibus, omne ens participatum reducitur ad primum ens per essentiam, & ab ipso habet actualem dependentiam, & ex consequenti, omne agens ad primũ agens; quia actiones quędam entia sunt. Præterea, cum operatio dependeat ab esse (vnumquodque enim operatur in quantum est) quod est ita dependens in esse à primo ente, vt nec per instans possit absque eius actuali influxu conseruari, erit dependens in operatione. Et confirmatur, quoniam nisi influxus Dei esset necessarius, sequeretur Deum nò posse impedire actionem alicuius creaturę, nisi vel destruendo ipsam, vel auferẽdo virtutem operandi, vel apponendo aliquod contrariũ, vel extrinsecũ impedimentum, quod est planè falsum & absurdum; omnes enim fatentur, sola subtractione concursus posse Deum quamcunque actionem creaturarum impedire.

Act. 13. *Isai. 66.*

Quæ fuerit sententia Augustini.

Quod autem attinet ad sententiã August. nonnulli contendunt eum docuisse actum peccati quantum ad substantiam à Deo esse, & vt id probent, adducunt duo eius testimonia, in quibus asserit Deum esse causam omnium actionũ, & motuum. Primum ex tertio de ciuita. cap. 4. *Voluntas Dei est prima & summa causa omnium specierum, & motuum.* Secundum 8. super Genes. ad literam cap. 20. & sequentibus, vbi dicit, Deum, cum sit immutabilis, & æternus mouere creaturã corporalẽ per tempus, & locũ, spiritualẽ verò per tẽpus tantum. Sed hæc testimonia parũ vrgent, nã in priori satis explicat August. volũtatẽ diuinã esse causam omniũ motuũ, & actionũ, nõ tamen positiuã, sed positiuã, aut permissiuam, quia subdit, *Nihil enim visibiliter fit, quod in illa inuisibili aula supremi imperatoris non iubeatur, aut permittatur.*

In

In posteriori loco eodem modo explicat, quod dicit, mouere Deum creaturam per locum, & tempus; nam cap. 22. inquit. *Mouet per locum, & tempus sibi subditam creaturam, naturas creans bonitate; & voluntates ordinans potestate, vt nulla sit in naturis, quæ non habeat ab ipso quod sit, nulla bona voluntas, cui nõ præsit, nulla autẽ mala, qua non benevti possit.* Eodem modo intelligendus est 22. de Ciuitate Dei. c. 24. vbi dicit, si Deus subtrahat efficacẽ potentiam suam, non posse creaturas progredi in suis motibus, non enim credendum est aliud hoc loco, quàm præcedentibus docuisse. Neque etiam vrget quod epistola 146. quæst. 2 affirmat, omnes naturas quæcunque producuntur habere esse à Deo, quodque sæpe repetit in suis libris quicquid est, habere esse à Deo. nam versatis in doctrina Augustini compertum est, eum nomine naturæ, & nomine eius, quod est, intelligere ens completum, & ad minus quod habet esse permanens, vt distinguitur contra motum & actionem: id patet ex loco allegato. 8. lib. super Genes. & ex primo retractationem c. 13. vbi tractans locum Pauli. *Quæ sunt a Deo ordinata sunt*, ait, *hoc dictum est de naturis & substantijs, de quibus disputabatur, non de moribus, & actionibus bonis, vel malis.* Existimo ergo nullum esse locũ apud Augustin. quo conuinci possit Deum esse causam actus peccati; & nihilominus censeo Augustinum non esse contrarium verę sententię quam defendimus, quãquam eam non explicuerit. Nec dubito si distinctè interrogaretur, an Deus esset causa actus peccati, non quantum ad malitiam, sed quantum ad id, quo habet entitatis, responsurum esse affirmando quia hoc sequitur ex principijs ex quibus ipse deducit omnem naturam, & substantiam esse à Deo. Quando ergo in testimonijs pro prima sententia inductis videtur dicere oppositum, dupliciter explicari potest, primò, quando excludit motum, & actum peccati à diuina causalitate, locutio est formalis, de actu quatenus est infectus malitia. Cum enim peccatum sit nomen concretum habens pro materiali actum, & pro formali malitiam: idem est actus malus, ac peccatũ, & ideò sicut negamus peccatũ esse adeò sic actum malum: & simpliciter, & absolutè non est concedendum, Deum esse causam actus mali, vel actus peccati, sed cum conditione diminuente, & cum addito, esse causam illius quantum ad substantiam. Augustin. ergo qui loquitur de motu auersionis, vel de actu malo, meritò dicit non esse à Deo.

Rom. 13.

August. nõ expressit nostram sententiã, sed nec illam negat.

Explicatur Aug. primô.

Secundò responderi potest Augustin. nõ negare Deum esse causam actus peccati, sed esse authorem, vel negat esse à Deo, quæ verba propriè significant, Deum non ita cõcurrere ad actum peccati, vt sit prima causa eius, præmouens voluntatem ad ipsum, quod verum est. Aliud enim est Deum cooperari voluntati ad suum actum, aliud vero determinare voluntatem, & præmouere ad illũ; & hoc propriè est esse â Deo, & habere Deum primum authorem. Ratio obiecta petit sequentes disputationes.

Secundô.

DISPVTATIO XXXVIII.

Vtrum Deus sit causa actus peccati, prædeterminando voluntatem ad ipsum.

Stat° quæstionis.

PRIVS quæstionis decisio valde necessaria est, vt bene intelligatur, quare non imputetur Deo malitia peccati, licet efficiat actum, quoad substantiam. Punctus verò controuersiæ constabit, si aduertamus, dupliciter intelligi posse concursum Dei ad actum peccati; primò, vt Deus ab æterno voluerit, & decreuerit voluntatem habere hũc actũ, antequam, nostro modo intelligẽdi, præuideret determinationem eius, & in tempore mouerit efficaciter voluntatem ad ipsum, priùs natura quàm se ipsam determinauerit: & hoc est Deum prædeterminasse actum, & voluntatem: alio modo, vt voluntas operetur, non à Deo determinata, sed à se ipsa: & Deus concurrat, quasi sequens determinationem eius ex lege generali, qua statuit, præbere creaturæ auxilium necessarium ad operandum, iuxta exigentiam propriæ determinationis, & proprię causalitatis. Est ergo quæstio, quo ex his modis concurrat Deus, & sit causa actus peccati, an primò determinet ipse voluntatem, an verò determinetur ab ipsa?

Duobus modis vniri possunt causa prima & secunda.

Non est alius modus intelligibilis.

Notanter autem dico, his duobus modis posse intelligi diuinum concursum, quoniam non potest intelligi alio modo causam primam, & causam secundam

vniri

vniri ad aliquam operationem. Scio aliquos affirmare ita cõiungi has causas vt nulla determinet aliam, neque priùs influat vlla prioritate: quod docet Molina in concord. ad articul. 13. quæstionis 14. disputat. 37. Sed id prorsus intelligi non potest: nam manifestè infertur per accidens, & non per se coniungi. Duæ enim causæ, non possunt vniri ad vnius effectus productionem nisi vna determinet & applicet aliam vel vtraque applicetur à tertia: nam si non est à quo per se coniungantur casualis, & per accidens erit concursus. Cũ ergo non sit tertia causa, quæ posit Deum, & creaturam coniũgere, necessariò dicẽdum est, vel Deũ determinare voluntatem, & applicare illam, vel aliquo modo determinari, & applicari ab ipsa. Et cõfirmatur, nã istę causæ subordinatæ sunt in agẽdo, ergo oportet vt habeant adinuicem aliquam connexionem, & dependentiam.

Molina.

Reijcitur.

Aduerte.

Præterea aduertendum est, non esse necessarium seorsum disputare de prædestinatione, quę facta est à voluntate diuina ab ęterno, quæ propriè dicitur prędefinitio, & de prædeterminatione motionis efficacis in tempore; quoniã vna & eadem quæstio est. Si enim Deus præmouet in tempore voluntatem nostram ad actum materialem peccati, ab ęterno decreuit, hunc actum ante præuisionẽ determinationis nostræ, quia quicquid Deus facit in tempore decreuit ab æterno, èconuerso si ab æterno decreuit hoc fieri ante præuisionẽ nostræ determinationis, necesse etiam est vt in tẽpore præueniat voluntatem aliqua motione efficaci, qua infalibiliter impleatur decretũ. Expresse ergo disputabimus de prędeterminatione efficacis motionis, ex qua quid de prædefinitione dicendum sit, palam erit.

Prima sententia.

Prima sententia asserit Deum prædeterminare motione efficaci voluntatem creatam ad actum materialem peccati. In allegandis authoribus pro hac, & pro opposita sentẽtia, etiã est contẽtio: quicunq; enim aliquam ex his defendit, conatur authores adducere in eius patrocinium, præsertim antiquos, vt melioré causã tueri videatur: & si in hoc nobis immorandũ esset, prolixa foret, & molesta disputatio. Mihi videtur negari non posse aliquos ex antiquis Thomistis hanc sententiam docuisse, qui sunt Capreolus in secundo distin. 37. quæstione vnica, articulo tertio, in solutionen. 2. argumenti contra secundã conclus. nec alibi quod viderim dixit opposítum, Ferrarien. tertio contra gent. capite. 71. §. *aduerte exista, &c.* vbi eam satis indicat. Prætereà non potest non tribui Scoto, duo enim asserit ex quibus euidenter infertur. Primum, nullam causam secundam agere nisi priùs motam à Deo: affirmãs enim si prima causa ageret ex necessitate naturæ necessario tolli à rebus contingentiam argumentatur sic. Causa quæ mota mouet, si necessariò mouetur necessario mouet, sed causa secunda non agit, nisi mota a prima, ergo si necessariò mouetur, necessario agit. Hoc argumentũ non habet vim nisi prima causa moueat secundam, prædeterminando. Id verò tradit Scotus in 1. dist. 2. quæst. 2. & distin. 8. quæst. 2. & distin. 39. quæstionibus quinque §. *contra istam.* Alterum quod docet est, Deum nõ cognoscere futura contingentia, nisi in efficaci determinatione suæ voluntatis, quæ est prima causa omnium effectum contingentium, quod tradit in 1. distinctione 39. §. *viso de contingentia*, & in 2. distin. 37. quæstione vnica § *contra istam* vbi ex hoc principio concludit necessario dicendum esse Deum efficere omnem motum causæ secundæ, & ex consequenti etiam actum materialem peccati, non est autem verũ Deum hoc modo cognoscere futura contingentia, nisi decretum, & voluntas Dei, prædeterminet, & prædefiniat omnem actum; nã fiet aliquis actus non prædefinitus, sed in quo voluntas Dei præsupponat, & præuideat determinationem causæ secundæ, oportet assignare aliud principium, in quo Deus cognoscat certo, & infalibiliter illam determinationem voluntatis creatæ, nec potest cognoscere in suo decreto, cum ipsum præcedat. Verum est tamen Scotum in distin. 37. §. *ad solutionem*, satis apertè indicare oppositã sententiam, prout in sequenci quæstione referemus, sed eius conciliationẽ suis discipulis relinquamus.

Ferrar.

Scotus.

Veri eius authores.

Capreo.

Videtur prætereà idem docere sanctus Thomas in 2. distin. 37. quæstione vnica artic. 2. & quæstione tertia de malo, articulo secundo vbi ait, *omnis motus causarum secundarum deriuatur, & causatur à primo motore, Deus autem est primum mouens omnium motuum spiritualium & corporalium, & actus peccati est*

S. Thom.

primum

primum mouẽs omnium motuum spiritualium, & corporalium; & actus peccati est quidam motus ergo, &c. In quibus verbis ponderandum est, illud *derivatur*: detiuari enim proprie significat procedere ab aliquo vt à primo principio, & prima radice, quod est procedere ab ipso præmouente, & prædeterminante. Probatur autem primò, quodam principio inter Thomistas receptissimo, & à sancto Thoma, vt appareat, sæpiùs asserto, Deus mouet, & applicat omnem causam secundam ad omnem eius actionem, & nulla causa secunda potest agere, nisi à Deo moueatur, & applicetur ad agendum. Hæc sunt verba S. Tho. 1.p.q.105.art.5.in corpore. & ad 3. & alijs locis. Perpende etiam quod dicit. 1.2.q.109.art.1. *Omnes motus tam corporales, quàm spirituales reducuntur in primum mouens simpliciter, quod est Deus, & ideò quantumcunque natura aliqua ponatur perfecta, non potest ad suum actum procedere, nisi moueatur à Deo, quæ motio est secundum rationem diuinæ prouidentiæ:* & art.9.eiusd. quæst. *Homo in gratia existens indiget auxilio vt moueatur à Deo ad rectè operandum, & hoc propter duo. Primò ratione generali, propter hoc, quod supra dictũ est, nulla res creata potest in quencunque actum exire nisi virtute diuinæ motionis, &c.*

Probatur hæc sententia primò ex ratione causæ primæ, quæ est Deus: nam ideò Deus est causa prima, quia primò influit in effectũ, & quia causã secundã mouet, & applicat ad agẽdũ, actuali enim cõcursu non esset causa prima, nisi moueret, & applicaret secundam: nam si secunda priùs ageret prima esset. Secundò, quia, vt modo dicebamus, vt causa prima & secunda non vniãtur per accidens, necessarium est, vt vna determinet, & applicet alteram ad agendum: sed non potest causa secunda determinare, vel applicare primam, nec appareret modus huius determinationis ergo determinatur, & applicatur ab ipsa. Tertiò, si voluntas ad actum peccati se ipsam determinat cum determinatio eius sit per actualem operationem, nam in omni instanti ante actualem operationẽ voluntas est indifferens, sequitur voluntatem priùs operari, quàm Deus concurrat, non ergo necessariùs est diuinus concursus.

Hæc tamen sententia, licet tanta veritatis apparentia, & authorum assueratione fulcita, nunquam mihi probari potuit, nec vnquam concedam, Deum prædefinire actum peccati aut ad eum præmouere voluntatem, aut aliter ad illum concurrere, quàm determinatum à voluntate creata. *Secũda sententia vera.*

Hæc est sententia Bonau. in 2.d.37.q.1.art.2. Greg. ibidẽ q.vnica art.1. Gab. ibidem ar.1. insinuat Almai. tract.1. Moral. c.1. dicet Driedo. lib. de redẽptione & captiuitate generis humani tract.5.c.4. & Cartagena in lib. de prædestina. discursu 4. dubio vltimo §. *vt prædeterminetur*. Nec desunt qui priorem assertionem impiam & blasphemam, & errorem censent; sed consultiùs est abstinere à censuris circa opiniones grauissimorum doctorum, & quæ diu ab Ecclesia toleratæ sunt, maximè quia neque in sacra Scriptura neque in Ecclesiæ difinitionibus aliquid est expressum, quod eam damnet, sed argumentis scholasticis agendum est. *Bonau. Greg. Gab. Almai. Driedo. Cartage. Molina. In concor. ar.13. disp. 37.*

Probatur autem primò, Deum non prædeterminare voluntatem ad actum peccati, ex Concilio Tridentino sessione 6. canon. 6. illis verbis, *si quis dixerit mala opera, ita vt bona, Deum operari, proprie & per se & non permissiuẽ tantùm, &c.* Ex quibus sumo argumentum, nam Concilium his verbis constituit differentiam inter causalitatẽ Dei, & causalitatẽ hominis, vt peccatum, quod homo propriè, & perse operatur Deus non efficiat per se, & propriè, sed permissiuè tantùm, sed homo non est causa propriè & per se malitiæ, sed omnino per accidens, vt expressè dixit sanctus Thomas, quæst.72.art.2. iuxta illam Dionys. sententiam 4.c. de diuinis nominibus, *nemo respiciens ad malum operatur*, solumque propriè & per se efficit actum substratum ergo idem actus non propriè & per se est à Deo, secus non esset differentia inter causalitatem hominis, & Dei, esset autem causa propriè, & per se si à se ipso & proprio motiuo prædeterminaret materiale peccati. *Probatur primò. Trid.*

Secundò probatur ex Augustin. omnibus illis testimonijs, quæ adduximus præcedenti disputatione, vt probaretur, Deũ non esse causam actus peccati, quia vt ibi expendimus, non meliùs explicari possunt, quàm asserendo hunc actum non esse à Deo vt à primo authore. Præterea tamẽ lib.83.quæstionũ.q.3. dicit, nulla ratione cõcedendũ esse, Deo authore fieri, hominẽ deteriorẽ; quod probat illo syllogismo, nullo sapiente authore fit homo detererior, sed Deus est summè sapiẽs, ergo nullus fit eo authore deterior. Ex his verbis, & discursu videtur colligi, Deum non prædeterminare actum peccati, quia nulla ratione negari potest eum esse authorẽ, vt homo deterior sit, qui illum efficaciter mouet ad actum, à quo est inseparabilis malitia, nec *Secundò. Augustin.*

homo sapiens moueret efficaciter voluntatem alterius ad hunc actum, ne faceret eum deteriorem. Omitto alias sanctorũ authoritates, quas inutiliter aliqui cõgerunt, quia nihil inuenitur in alijs Patribus, tam vrgẽs quàm in doctrina Aug. etsi enim frequẽter dicant, Deum non efficere actiones malas homicidia, incæstus, & similes; sed hęc verba peccatum formaliter significant, idem enim est actus malus, & peccatum, homicidium autem & incęstus sunt peccatorum species. Quare his, & similibus locutionibus nihil amplius significatur, quam Deũ non esse causam peccati, vt peccatum est.

Tertio. Tertiò probatur, quia si opposita sentẽtia esset vera sequeretur, Deum magis tentare, & efficatius inducere ad peccatũ, quàm appetitum sensitiuum, quod falsum est, & salua pietate concedi non potest, est enim contra illud Iacob. 1 *Deus neminem tentat, sed vnusquisque tẽtatur à concupiscentia sua, &c.* Illatio patet, quia appetitus sensitiuus non tentat, neque inducit ad peccatum, nisi mouendo ad materiale peccati, nõ enim attingunt appetitus sensitiuus, & cognitio sensus, malitiã ipsam, sed obiectũ delectabile, quod pertinet ad materiale peccati; si ergo Deus ad hoc ipsum efficaciter inclinat, & præmouet volũtatẽ, & multo efficatiùs quàm appetitus sensitiuus, si quidem huic resisti potest, illi verò minimè; sequitur, fortiùs Deũ tẽtare, & inducere ad peccatũ. Idem argumetũ fieri potest probando, Deum efficatiùs inducere ad peccatũ, quàm alium hominem, & quam diabolũ, nam re vera, rarò, vel nunquam contingit vt diabolus, vel alius homo, inducant ad malitiam formalem, sed ad obiecta, in quibus est aliqua ratio vtilis, vel delectabilis, & tamen hoc modo vere tentat, quod Deo omnino negandum est. In idẽ reddit, si arguamus quartò. Concedi non potest Deũ

Quarto. vt causam moralem mouere ad materiale peccati v. g. suadendo vt appetatur pulchritudo mulieris, ergo nec concedendum est, inducere efficaciter tanquam causam physicam ad hæc ipsa obiecta, siquidem multò maior est actiuitas causæ physicæ, quàm moralis; præsertim causæ primæ, cuius efficatia inuitabilis est, & infallibilis.

Quinto. Quintò, quia hæc prædeterminatio videtur derogare diuinæ bonitati: nam sequitur, Deũ esse primã causam vt sit in vniuerso tãta multitudo malorum actuum. Neq; enim id inconueniens non est, etiã si Deus nõ sit causa malitiæ: quia satis absurdũ est, vt sit prima causa, & inuctor eius, à quo est

Dionys. inseparabilis malitia. Et quidẽ Dionys. 4. c. de diu. nom. & Theologi frequẽter, obijciẽtibus, quare Deus non impedit tantam multitudinem peccatorum? respondent, quia ad suauem prouidentiam spectat non auferre lib. arbitrio suum motum, & determinationem, cui magis connaturale est in malum deflectere. Hęc autẽ solutio nullius momenti est, si necessariò liberum arbitrium determinatur à Deo. Præterea, quis credat, me nihil disponente, de blasphemia, nec de odio Dei, à Deo procedere, vt voluntas mea inclinetur ad ipsa? Sextò probatur. Si Deus prædeterminat materiale, sequitur esse veram & propriã causã peccati, quod argumentũ prosequar *Sexto.* sequenti disputatione. Omitto aliam probationem, quòd stante prædeterminatione, non possit consistere libertas, & indifferentia, quæ requitur ad actum peccati; quoniam apud me hoc argumentum non est efficax; existimo enim prædeterminationem hanc non auferre libertatem vt sectione. 6. disp. 20. & 21. ostendam.

Ex dictis infero, prædeterminationem Dei non esse necessariam in omnes actus, *Coroll.* neque oriri à natura causæ primæ & secundę, neque à dependentia causę secundæ à prima, cum enim in actibus peccati non debeat admitti, manifestè infertur, non esse ex natura rei necessariam. Aduertendum est etiam, assertionem nostram vera esse de quocunque genere prædeterminationis: existimo enim inconueniens, vt Deus incipiat actũ peccati siue prioritate tẽporis, seu naturæ, seu imprimẽdo aliquid in volũtate, quod sit act⁹ primus, siue educẽdo actionẽ ipsam, & quomodocunq; aliter hæc prædeterminatio, & prioritas explicetur; & propterea nõ discutio singulos modos explicandi prędeterminationẽ. *Aduert.*

Supereſt satisfacere argumentis in contrarium. Et quia opposita sententia præcipuè nititur authoritati S. Thom. constanter assero, nihil minus S. Doctorem docuisse, nec ei aliquo modo fauere, vel vnquam prædeterminationem peccati indicasse, imo potiùs expressè negat. Nam articulo præcedẽti in corpore dicit, Deũ nõ esse causam peccati directè inclinando ad ipsũ, eo modo quo homo se ipsum, vel alterũ inclinat: cõstat autẽ hominem non inclinare se ipsũ, neq; alterũ ad formale peccati directe, sed ad materiale dũtaxat. Quæstione 9. art. 6. cũ tertium argumentũ obiecisset, si Deus moueret voluntatẽ, numquam voluntas moueretur ad malũ, quia Deus non potest mouere ad malũ solutio est, *Respondetur, quòd Deus mouet voluntatẽ tãquã vniuersalis*

Satisfit argumentis prioris opinionis.

Quæ vereſit S. Tho. sententia.

Negat prædeterminationem ad malum.

uersalis motor ad vniuersale eius obiectum, quod est bonum; & sine hac vniuersali motione non potest voluntas aliquid velle, sed homo per rationem determinat se ad hoc, & illud bonum particulare quod est verum, vel apparens bonum. Quamuis Deus aliquando moueat aliquos ad aliquid volendum determinatè. In his verbis aperte docet, determinationē volūtatis ad apparens bonū non esse à Deo, & generaliter nō esse necessarium, vt voluntas determinetur à Deo ad particularia obiecta, sed posse se ipsam determinare, quamuis possibile sit, & aliquando cōtingat, vt ad aliquod obiectum determinetur à Deo: quæ verba in ea quæstione iam expendimus. Similia habet quæst. 80. art. 1. ad 3. *Ad tertium, inquit, dicendum, quòd Deus est vniuersale principium omnis interioris motus humani; sed quòd determinetur ad malū consilium voluntas humana, hoc directè quidem est ex voluntate humana, & à diabolo per modum suadentis.* Lōgè ergo abest à doctrina D. Thom. prædeterminationem volūtatis ad omnem actum Deo tribuere. Quod vero apud ipsum sæpe legimus, Deum mouere, & applicare voluntatē ad omnem actionem, non significat prædeterminationem, si quidem his locis cōcedit motionē, & negat determinationē.

Explicatur motio quam S. Thom. adstruit.

Vt autem explicemus, quid significet hæc motio, vel applicatio aduertendum est: concursum Dei cum causa secūda dupliciter explicari ab authoribus. *Observa. 1.* Quidam dicunt, non esse influxum in causam, sed influxum in effectum simul cum causa; alij vero dicunt: esse influxū in causam, & non solum in effectum. Mihi verò omnino asserendum videtur, Deum non tantū in effectum, sed in causas ipsas, vt agant, & in actiones, influere. *Influit Deus non tantum in effectū, sed etiam in actiones.* Hoc est cōmuniter receptū à Theologis, & cōformiùs sacræ Scripturæ, & Patribus, quod alio loco explicandū, & cōfirmandū est. Nunc supponamus Deum nō tātùm efficere, vt effectus sit, sed etiā vt causa agat, & efluxum actionis à causa non minus pendere à Dei causalitate, quàm effectū ipsum. Aduertendū est secundò, Deū non influere in causā imprimēdo illi aliquid, quod sit actus primus. *Observa. 2.* Probatur, quia virtus causæ est sufficiēs in actu primò, superfluè ergo multiplicaretur alia virtus eiusdē rationis. Deinde, si asseratur imprimi principium aliquod, quod actus primus sit, dabitur processus in infinitū: nā ipsa causa ideò indiget Dei auxilio, quia creata est: ergo & principiū illud quia virtus creata est, indigebit alio auxilio, & illud alio vsque in infinitum. Præterea non video quomodo posset consistere libertas, si voluntas determinetur à Deo impressione alicuius qualitatis per modum actus primi, quia si ante operationē ipsa volūtas est determinata ad vnū, non manet indifferēs, & ex cōsequēti nec libera. Quod ergo Deus cōferat causæ, est actio, vel operatio ipsa in actu secūdo, quæ nō prosluit a causa secūda, nisi virtute diuinæ actionis & causalitatis, & ille est concursus Dei generalis quo indigent omnes causæ ad operandum. Quia vero terminus huius diuinæ causalitatis est actus, & operatio creaturæ, iure optimo dicitur creatura moueri à Deo ad omnem actionem, & operationem, & dicitur applicari ad agendum; quia sicut creatura ipsa se applicat, nō aliter, quàmquia operationē ipsā elicit, sic applicatur à Deo, non aliter quàm quia causa est, vt creatura operetur, cū ergo S. Tho. dicit, creaturam moueri & applicari: non aliud significare voluit, quā Deum esse causam actionis.

Concursus generalis Dei, non cōfert principium in actu. 1. sed operationē ipsam.

Sed vt percipiatur, motionem hanc non semper esse cum prædeterminatione, & posse Deū aliquo modo determinari à causa secūda, aduertendum est vlteriùs, Deum & causam secūdam ita cōcurrere ad effectum, & actionem, vt nullum instans sit tēporis, vel naturæ, in quo prius Deus, quam causa secunda influat, vel ecōuerso: hi enim causa secūda in aliquo instāti primò influeret, operaretur sine Deo: & si Deus in simili instāti prius operaretur totus effectus intelligeretur à Deo productus, & non haberet quod produceret causa secunda. Sed nihilominus verum est, inter has causas esse posse aliquam prioritatem, qua verificetur, illum effectū vel actionē prius incipere ab vna quàm ab alia; nō quidē prioritate instātis in quo, sed à quo, quæ est prioritas dependētiæ, in quātū vna, facit vt altera cōcurrat, & eam determinet ad agēdū. Potest autē hęc prioritas cōuenire Deo, qui efficiēter mouet & determinat causa secundam ad operandum, & potest conuenire causæ secundæ, quæ in genere causæ materialis determinat Deum, vt concurrat, & influat ad illum effectum, vel actionem. Quod facile intelligitur, si consideremus, influxū Dei paratum esse omnibus causis, & agētibus, quando ergo causa aliqua determinatur ad operandū, vtitur hoc influxu,

Observa. 3. Concursus generalis non est necessario motio cū prædetermina tione.

& applicat illum ad suam actionẽ, quod est determinare illũ in genere causæ materialis. Quæ prioritates inter causas simul concurrentes ad eũdem effectũ, possunt exẽplis declarari. Determinatio causæ secundæ a prima, exemplo instrumenti: nam artifex & instrumẽtum omnino simul agunt, vt in nullo instanti temporis, vel naturæ possit intelligi priùs operans artifex, quàm malleus, vel malleus, quàm artifex; & tamen quia malleus pẽdet ab artifice, & ab ipso mouetur in genere causæ efficientis ad operandum, artifex dicitur prioritate âquo priùs attingere effectũ. Determinatio verò primæ à secunda exẽplo solis: nã sol, & homo generant hominẽ in eodẽ instanti tẽporis & naturę, & tamen quia influxus solis cõmunis est, & indifferens ad varios effectus, non determinatur ad generationem hominis nisi ab homine generante, qui recipit hunc influxum, & applicat eum ad generationẽ, quæ determinatio est per modum causæ materialis: eadem ergo ratione philosophamur in concursu Dei cum causa secunda, vt licet omnino concurrant simul, nec sit aliquod instans, in quo vna causa sine altera operetur, possit tamen esse aliquando prioritas à quo ex parte Dei, si ipse in genere causæ efficientis determinet causam secundã: & possit esse ex parte causæ secũdæ, si in genere causæ materialis determinet, & applicet influxum Dei ad particularem effectum, quòd euenit in actu peccati.

Negamus ergo, motionem Dei qua dicitur mouere causam secundã ad agendũ, esse prædeterminationem, neque id ex ratione causæ primæ, & secundæ infertur: nam Deus est causa prima prioritate dignitatis, & prioritate vniuersalitatis, non tamen prioritate actualis cõcursus, neque hoc est necessariũ, neque probatur aliquo sufficienti argumento, nec est inconueniens vt causa secunda determinet primã in genere causę materialis, dũmodo non determinet in genere causæ efficientis, vel conferendo virtutem. Non est etiam inconueniẽs vt sit aliqua dependentia causæ primę à secũda, quo ad applicationẽ ad effectum; hæc enim dependentia non est indigentiæ aut insufficiẽtię, neq; est depẽdentia simpliciter, sed secũdũ quid: simpliciter enim causa secunda depẽdet â prima, à qua habet virtutem operandi, & conseruationẽ eius, & cuius actuali influxu indiget, cũ è contra Deus nihil accipiat ab ipsa, & possit sine illa operari: & ideò solùm determinatur, quia communis Dei causalitas applicatur ad particularem effectũ.

Denique, vt Deus sequatur determinationem voluntatis, non est necessariũ, vt priùs voluntas operetur, satis est vt ab ea intelligatur operationẽ incipere, eo modo, quo intelligitur incipere homo in generatione hominis, & solis influxũ secùm trahere, & applicare ad ipsam. Et hinc patet solutio omniũ argumentorũ quibus nostra sententia impugnabatur.

DISPVTATIO XXXIX.

An cohæreat, Deum esse causam actus peccati, & non malitiæ?

Ratio dubitandi.

HOc dubiũ emergit ex dictis, quia vix intelligi potest, quomodo Deus positiuo cõcursu, & influxu reali cõcurrat ad actum, cui annexa est malitia, & tamen non sit causa malitiæ, quæ actum consequitur. Fit enim vulgare argumentũ. Quod est causa causæ, est causa effectus; si ergo Deus est causa actus, & malitia actum consequitur, necessariò erit causa malitiæ; maior est vera, tam in effectibus positiuis, quia quod est causa essentiæ est causa passionũ, quàm in negatiuis, qui enim est causa hominis, est causa negationũ earum rerũ quæ homo nõ est. Videtur prętereà Deũ esse causã malitiæ, nõ quomodocũque, sed sufficiẽter vt illi imputetur ad culpam. Est enim Deus causa libera huius actus, & ei qui liberè aliquid efficit imputatur quidquid per se effectum consequitur. Nec satisfacit, si dicas, malitiam non per se, sed per accidens consequi; nam quamuis malitia non possit habere causã per se, ideſt, quæ positiuè eã producat, potest tamẽ habere causam per se, ideſt, quã necessariò, & infallibiliter consequatur: & hoc sufficit vt imputetur: propterea enim, imputatur creaturæ: nec enim creatura aliter malitiæ est causa, quã producẽdo actũ. Neq; etiã sufficit, si dicamus Deũ non esse principalẽ causã huius actus, sed cooperari creaturæ; nã qui cooperatur alteri ad malam actionem causa est illius. Alia argumenta fieri solent, sed omnia procedũt ex eodem principio, & eãdem difficultatem inculcant.

Diuisi sunt authores in varios dicendi modos, & qui eundẽ sequuntur ideò diuersimodè explicant, vt aliam solutionem

nē sequi videantur: est enim res difficilis. Primò ergo vitāda est quorundā Nominaliū sententia, qui licet in re catholicè sentiāt, admittunt quendam modum loquēdi, qui à catholicis admitti nō debet. Dicunt enim hāc propositionē concedēdā esse, Deus facit peccatū, quā de rigore sermonis affirmant esse verā, & nihil aliud significare, quàm Deū facere actū peccato substratū, & licet cōcedant hanc propositionē Deus facit peccatum, negant hanc, Deus peccat; concedunt etiā hanc, Deus facit iniustum, sed non hanc Deus facit iniustè, neq; hanc, Deus est iniustus. Probāt, priores concedēdas esse, hoc syllogismo expositorio, Deus facit actum furti, actus ille est peccatum, ergo Deus facit peccatū. Hoc modo loquitur Gab. in 2. d. 37. q. vnic. art. 3. & tribuitur Ocham in 1. dist. 41. q. vnica. Est tamen cauendus hic mòdus loquendi, nam de rigore sermonis est hæreticus, & contrarius Patribus. & Cōcilijs, quæ vbiq; abominantùr propositiones istas, Deus facit peccatū, facit actum malum, est causa peccati. Peccatum enim formaliter, & non materialiter supponit in his enūtiationib⁹. Nec syllogismus ille aliquā vim habet, quia committitur fallatia accidentis, vel variatur suppositio à materiali, ad formale.

Prima sententia Nominal.

Gabr. Ocham. Refellitur.

Alij, licet nō admittant propositionē hanc, Deus facit peccatū, admittunt hāc peccatū facit Deus; dicunt enim regulā esse dialecticorū, vt concretū tenens se ex parte subiecti supponat pro materiali, ex parte verò prædicati pro formali, quā differentiam agnoscunt sophistæ in ter has enunciationes, Papā vidi, vidi Papam. Hæc assertio tribuitur Maior. in 2. d. 42. q. vnic. Sed hic etiā modus loquēdi reijciēdus est: nihil enim differt inter illā propositionē, peccatū facit Deus, & illam, Deus facit peccatū, sed est vera trāspositio verborū, & non mutatio suppositionis: & quidquid sit de regula logica quā fateor admitti à S. Th. 3. p. q. 16. ar. 7. ad 4. nō est ad rē: nā terminus, *peccatum*, non est in vna illarū propositionū subiectū, & in altera prædicatum, sed in vtraque est pars prædicati: quia illæ propositiones æquiualent huic, Deus est faciēs peccatū, in qua prædicatū directum est terminus, *faciens*, & terminus, *peccatum* est pars prædicati.

Secunda.

Maior. Reijcitur.

His ergo omissis vna solutio ad propositam difficultatē, est Bona. in 2. d. 37. art. 2. q. 2. quam probabilē censet Gabr. vbi supra, & alij, qui dicunt malitiā, concomitari per se actū, etiam in eo sensu, vt, per se, idē sit, ac infallibiliter, & necessariò; & propterea quāuis Deus sit causa actus, non est causa malitiæ: quia quicquid est causa causæ tantùm est causa effectus, quando per se consequitur causē. Id probant, quia nullus est actus cui nō coniungatur per accidens malitia, & sit separabilis à substātia eius, nā quicūque actus, si fiat à dormiēte, est idem secundùm substantiā cum eo, qui fit à vigilante, & prout fit à dormiēte non habet malitiam: & similes actus possēt fieri à bellua his, qui in homine peccata sunt, & tamen in bellua non habent malitiam.

Gabr.

Quinta.

Tertia. Bonau.

Hæc solutio est insufficiens; nā immerito negāt esse plures actus, à quorū substātia est ita inseparabilis malitia, vt nulla ratione possit abesse; tales sunt odiū Dei, blasphemia, mendatiū, & similes, & generaliter omnes qui iure naturæ sunt prohibiti, & si fiunt sine libertate, incertū est, an sint idē secundū substantiā, & an sint mali, licet nō imputabiles de quo egimus sectione 2. disp. 42. Veruntamē vt minimū non sunt simpliciter idem: nā deest cōditio quædā plurimum conferens ad moralitatē, quæ est libertas. Et confirmatur, quia si hæc solutio esset sufficiens, sequeretur voluntatē creatā non esse causam peccati; nā nō aliter est causa malitiæ, quàm efficiendo actū, si ergo malitia per accidens illum cōsequitur, non imputabitur voluntati. Adde præterea nō solos hos actus, qui ex natura rei sunt mali, per se habere malitiā consequētē, sed in vniuersùm omnes actus malos, prout hìc & nunc fiunt, ita vt licet absolutè, & ex natura rei possit ab eis malitia separari, tamē prout cū his circūstātijs fiūt, inseparabilis est, & hoc sufficit vt quādo act⁹ fit per se, id est, necessariò, habeat malitiā annexā, quia in moralibus, cū iudiciū sit de singularibus, illud censetur per se, quod in singulari, & suppositis circunstantijs per se euenit.

Cōfatur

Secunda solutio est, quā etiam probat Gab. & tribuit Ocham, propterea Deū non esse causam malitiæ, licet sit causa actus, quia Deus non tenetur apponere rectitudinē actioni, sicut tenetur voluntas humana. Deū verò nō teneri probāt, quia Deus nulla omnino lege constringitur, nulli enim est subditus. Hæc solutio tribuitur etiā Sco. in 2. d. 37. q. vnica, sed immerito, quia nec eam insinuat. Sed falsa est, nec enim excusatur Deus à malitia

Quarta. Gabr. Ocham.

licia actus peccati, cuius est causa, quia sit absolutus à lege, & obligatione rectæ operationis; quamuis enim Deus non teneatur lege alicuius superioris, quem non habet, nec obligetur lege propriè dicta; est tamen regula diuinorum actuũ à qua non potest volũtas Dei deflectere, sua ipsius bonitas, & sapientia, fidelis enim est, & se ipsum negare non potest. Propter quam regulam est bonitas moralis in actibus diuinis, & repugnãt Deo actiones inordinatæ.

Quinta.

Tertia solutio est, asserentium, malitiã non imputari Deo, etiã si sit causa actionis, quia ad actionẽ cõcurrit vt causa physica, & non vt causa moralis, peccatũ verò, vt peccatum est, exigit nõ solam causam physicam, sed moralem, quia causa, & effectus proportionem habent, peccatũ ergo quod est effectus moralis, non in causam Physicã, sed moralẽ reducendum est. Hęc solutio placuit Cano lib. 2 de locis c. 4. ad 8. argumẽtum, & Andreę Vegæ lib. 2. ad Conc. Trid. c. 15. & Soto lib. 1. de natura & gratia c. 18. ad finem, & aliquibus viris doctis ex recẽtioribus. Et si ab his authoribus inquiras, quid nomine causæ moralis intelligant? Respondent Canus Vega, & Sotus causam moralem esse, quæ consulit, aut pręcipit vel alio simili modo inducens, non Physicè influens. Neoterici addunt, causam moralem esse, quæ est causa moralitatis quæ est in actu, hoc est, libertatis, cuius (inquiunt) Deus non potest esse causa: quia libertas est modus quidam, & conditio consequens actum, quatenus à voluntate creata procedit cum indifferẽtia, quem modum non potest habere ab alia causa, quàm à voluntate ipsa.

Canus. Vega. Sotus.

Vaz. disp 129. cap. 7

Obserua.

Hæc solutio tã insufficiens est, quàm præcedentes, & nõ video quare viris doctis placere potuerit. Vt meliùs contra ipsam disputemus supponendum est, ex cõmuni Philosophorum & Theologorum doctrina, causam appellari moralẽ dupliciter, vno modo, vt distinguitur cõtra causam naturalem, idest, necessariã, & hæc est causa libera; alio modo vt distinguitur contra physicam, qua ratione moralis est quæ mouet proponẽdo obiectũ intellectui, vel motiua quibus volũtas inclinetur ad operationem: quare acceptio illa, vt causa moralis sit, quæ est causa libertatis, noua est, nec apud aliquẽ authorem in vsu. Aduertendum est etiã hos modos causæ moralis nullam connexionem inter se habere: potest enim cõtingere, vt sit causa moralis primo modo, & nõ secundo, & è conuerso. Nã voluntas proprij actus est causa moralis, id est, non necessaria, & tamen physicè influit, & appetitus sẽsitiuus est causa moralis actus voluntatis, quia non physice influit, & tamen est causa in se necessaria, & non libera.

Nota.

His præmissis probatur insufficientia solutionis. Primò, falsò assumũt, Deũ nõ esse causam moralem; est enim causa moralis, idest, libera, quæ verè & propriè causa moralis dicitur, & vt effectus moralis imputetur, sufficit vt causa hoc modo sit moralis. Deinde absurdum est, si dicant requiri, vt causa peccati nõ solùm sit moralis libera, sed moralis, vt distinguitur contra physicã: quia volũtas est causa physica sui actus, & tamẽ verè illi imputatur, quia primo modo est moralis. Et confir. quia si causę morali, id est, cõsulenti, &c. imputatur peccatũ nõ ideò quia moralis est, sed quia causa est absolutè, consulit, nãque consulit, peccat quia est causa peccati, ergò à fortiori ei qui est causa physica, quia minùs peccat qui consulit, quam ille qui actum elicit, vel qui physice cooperãtur, quia causa hæc moralis minor causa est, ergo tota ratio propter quã causæ morali imputatur peccatũ, est quia est causa absolutè, quæ si physica esset, magis imputaretur.

Impugnatur quinta sententia.

Quod verò additur, effectũ moralem nõ imputari nisi causæ morali, idest, causæ libertatis, facile impugnari potest, primò, nã qui exteriùs inducit consulẽdo, vel præcipiẽdo, causa peccati est, & tamẽ nõ est causa libertatis, quam isti authores dicunt non posse ab alio, quàm à volũtatè ipsa apponi. Secundò, si vt aliquis sit causa peccati, requiritur vt sit causa libertatis, & hæc non est à Deo; sequitur, Deum non esse causam actus boni, quia nõ est magis causa libertatis actꝰ boni quàm mali. Respõdetur, non esse in cõueniẽs vt consulens non sit causa libertatis, nec Deus eam apponat actui bono, quia vtraq; causa moralis est, nã consulens causa moralis est, & Deus actũ bonum etiam consulit, vel præcipit, atque adeò est causa moralis. Sed hoc nihil aliud est, quam verbis ludere, diuertẽdo ab vna acceptione causę moralis ad aliã. Et vt omne diuerticulum occludatur in quiro, vel vt actus moralis imputetur, necessum est, vt procedat à causa morali omnibus illis tribus moralitatis modis, & hoc est falsũ, quia in nullã causã peccati

Fugit.

Occluditur.

omnes

omnes conueniunt, vel sufficit vnus, & sicut ipsi dicunt sufficere secundum, vel tertium, ego dicam sufficere primum, quo causa libera dicitur causa moralis, cum ille sit omnium proprijssimus. Ad hæc, Deus est causa libertatis actus liberi, siue enim hæc sit relatio realis, siue rationis, est tamen relatio consequês actũ, eo ipso quo procedit à voluntate, quæ sequitur propositionẽ obiecti indifferentis, vt verò actus ita procedat, & tale iudiciũ sit in intellectu, non est sine diuina causalitate, atque adeò relatio illa etiã cõsequitur actũ, prout est à Deo.

Sexta. S. Thomas. Caieta. Conrad. Medin. Ferrari. Capreo. Valentia.

Quarta solutio est, quã vbique tradit S. Thom. in hoc art. & 3. cont. gent. c. 71. & 162. & in 1. dist. 40. q. 4. art. 1. & in 2. dist. 37. q. 2. art. 2. & quæst. 3. de malo art. 2. quem sequuntur omnes Thomistę, Caiet. & Cõrr. & Med. in his articulis, Ferrari. 3. cõt. gen. c. 71. Capr. in 2. dist. 35. q. vnica. art. 3. ad 6. Greg. contra primã cõclusionẽ, & dist. 37. quæst. vnica. art. 3. ad 1. Aurco. contra secundã conclusionẽ, & ex Iunioribus Valẽtia. 1. 2. disp. 6. quæst. 9. puncto 1. Asserunt hi authores propterea peccatum non esse à Deo, quia formaliter est defectus, & defectus non habet causam agentem, sed deficientẽ. Est ergo à voluntate creata, quæ deficit in sua actione, non apponens rectitudinẽ, quam apponere tenebatur. Deus ergo licet concurrit ad totum id, quod est entitatis in actu, & quod requirit causalitatem, ad malitiam non concurrit, quia nõ est effectus sed defectus. Declarat exẽplo claudicationis, in claudicatione enim est cõsiderare & ambulationẽ, & idquod est defectus, licet ergo hæc actio tribuatur Deo, & concurrat ad ipsam secundũ totum idquod actio est, sed defectus non tribuitur Deo, sed tibiæ claudicanti, propter defectum enim in illo principio proximo est defectus in actione, & nõ propter influxum Dei.

Obiectionis contra hanc sententiam.

Hæc solutio licet antiquorum, & sancti Thomæ approbatione magnæ authoritatis sit, non placet Iunioribus, & multis argumentis eam impugnant, reducuntur tamen ad duo capita. Primũ est, defectum istum in quo consistit moralis malitia non oriri ex defectu præexistente in causa proxima, & voluntate creata, vt enim solutio haberet locum, operteret, vt in voluntate operante intelligeremus aliquem defectum in actu primo, & quatenus principium operationis est, ex quo oritur defectus actionis, hoc enim probat exemplum de tibia claudicante, in qua est defectus ante ambulationẽ ex quo redũdat defectꝰ ambulationis: hoc autẽ nõ potest aptari causæ peccati: nã voluntas, aut non habet, aut non est necesse vt habeat aliquẽ defectum in actu primo, vt peccet, sed existens perfectissima in actu primo, qualis fuit in Adamo, potest prorumpere in actum peccati. Si dicant, defectum causæ non esse in actu primo, sed in actu secũdo, quia causa non apponit aliquid actioni, quod apponere tenebatur, & hoc modo esse causam deficientem; hoc etiam impugnatur. Quia defectus actionis est in illa vt quid consequens substãtiam eius, eo modo quo introductionem caloris consequitur ex natura rei priuatio frigiditatis, non propter aliquem defectum causæ quæ calorem introducit, sed propter naturalẽ cõnexionem, qua formã caloris consequitur: & eodẽ modo priuatio rectitudinis, in qua consistit malitia actus, non est propter defectum existentem in voluntate in actu primo, sed propter cõuersionem actus ad obiectum, quam necessariò sequitur priuatio & defectus, qui est malitia. Alterum caput argumentorũ cõtra hanc solutionẽ est, quia non sufficit reducere defectũ actionis in defectum secundæ causæ, licet id gratis concedatur; vt peccatum nõ imputetur Deo: quoniam qui vtitur principio deficiente, non excusatur à defectu actionis, si liberè vtiur, si enim in claudicatione esset peccatũ, qui liberè vteretur tibia claudicante etiam alinea nõ esset immunis à peccato, & si in malè scribendo esset peccatum, qui vteretur calamo defectuoso non excusaretur, quamuis totus defectus proueniret à defectu calami.

Secunda.

Sibene explicetur, non est abscienda.

Nihilominus hæc solutio non est contemnenda; nam præter authoritatem S. Thom. qui toties ea vtitur, est desumpta ex August. 12. de ciuit. Dei, cap. 7. vbi inquit: *Neme quærat causam efficientem malæ voluntatis, non enim est efficiens, sed deficiens, sicut nec ibi est effectio, sed defectio*, eodem modo loquitur cap. 9. & idem indicat in libro de perfectione iustitiæ, ratiocinatione 4. vbi vtitur exemplo tibię claudicantis, quo vtitur S. Thom. Est enim hæc solutio vera, & sufficiens, si tamen bene explicetur, & reducatur ad sequentem, quàm sufficientẽ, & facilẽ ad

euacuandam propositam difficultatem, existimo.

Dicendum est igitur veram causam propter quã etsi Deus concurrat ad actũ peccati, non est causa malitiæ, esse, quia licet malitia perse & infallibiliter consequatur actũ, vel ex natura rei, vel saltẽ hîc, & nunc; nõ tamẽ consequitur ipsum prout est à Deo, & quatenus procedit à diuina causalitate: ratio autem propter quam defectus nõ consequitur actũ prout est à Deo, potest sumi ex his quæ præcedenti disputatione definita sunt. Diximus enim Deum non concurrere ad actum peccati prædeterminãdo volũtatẽ ad ipsum, sed potiùs determinatũ à volũtate, Deus enim nõ intendit hunc actum, neque à se ipso vult illum, sed potiùs quantum est de se nolet illum, sed propter pactum generale tribuendi rebus influxum necessarium ad suas operationes, concurrit ad operationem hanc, quia ad eam se determinat causa secunda, quod potius est non subtrahere, quàm conferre auxilium. Deus enim à principio statuit concurrere cum creaturis, & non deesse creaturæ ad suos motus, & quantùm est ex se voluit, vt semper conuersus esset ad operationes bonas, sed propter suauem dispositionem remisit libero arbitrio, vt determinaret, & applicaret influxum hunc ad quascunque vellet. Voluntati ergo imputatur specialis determinatio, â causalitate enim diuina non est nisi secundùm rationem generalẽ entis & actionis, quæ de se indifferens est ad effectus particulares. Quia igitur actus peccati, & determinatio ad particularem speciem, quam consequitur malitia, est â volũtate, ideò malitia non consequitur actum peccati vt à Deo, sed vt â voluntate creata, & Deo nullo modo imputatur. Idem contingit in multis alijs subsidijs quæ ad operandum præbet Deus, quibus homo malè vtitur, deducens ad actiones prauas. Est enim Deus author liberi arbitrij, & peccatum est à libero arbitrio, nec tñ imputatur Deo, quia non est à libero arbitrio, prout à Deo factũ est: Deus enim liberũ arbitrium eo fine cõdidit, vt operaretur bonum, & ideò tribuit illi indifferentiam, vt bonum laudabile esset; determinatio verò ad malum ab ipso libero arbitrio est. Idem potest dici de luce, de ipsa vita, de potentijs animæ & corporis, & de alijs quorũ abusus homini proprius est, nec in Deum refunditur etiam si eorum author sit. Nec tenetur Deus subtrahere cõcursum, etiã si homo eo abutatur, quia quemadmodũ quando homo vult malè vti alijs Dei donis ad peccatum, non tenetur Deus ea subtrahere, sic etiam nec tenetur subtrahere concursum generalem. Hanc solutionem indicat Bona. in 2. dist. 37. art. 2. q. 1. ad 3. & eam sequitur Gab. vbi supra, & Sco. in 2. dist. 37. §. *propter igitur* & §. *ad solutionem istorum*: neque est aliena à S. Thom. quia vt disput. præcedenti vidimus, determinationem ad actum malum ipsi libero arbitrio tribuit, & Deo solã motionem generalem. Ad hanc solutionem reduci potest præcedens de causa deficienti, quæ non ita accipienda est, quasi in voluntate peccante præcedat aliquis defectus in actu primo, sed quia in actu secũdo deficit eligendo obiectum, ad quod necessariò sequitur malitia, quare nõ est insistendum exẽplo tibiæ claudicantis. Concedendum est ergo cum 4. solut. peccatũ quia tale est non habere causam efficientem, sed deficientem, sed addendum est, hunc defectum, ideò non imputari Deo, quia consequitur actum non vt à Deo est, sed vt à volũtate: Deus enim nõ vtitur causa deficiẽte, eam applicans, sed ab ea determinatus, cum ea concurrit.

Bonan. Gabr. Scotus. S. Thom.

Coroll.

Ex dictis infero, eos authores, qui asserunt prædeterminationem diuinam ad materiale peccati, non posse fugere, quin Deus sit causa peccati: nã solutio de causa deficiẽti, si admittatur prædeterminatio, non potest esse sufficiens, vt probat secundum argumentum proximè contra eam obiectũ. Secundò infero eos, qui affirmant, peccatum cõsistere in aliquo positiuo reali formaliter, non posse vitare, quin Deus sit causa peccati: nam omnis entitatis positiuæ realis Deus est causa. Quare cauẽdum est à modo loquẽdi Caiet. in his articulis, qui cõcedit, peccatũ, secũdùm speciẽ suã moralem, esse à Deo: cũ enim ipse dicat, malitiã moralẽ in hac specie formaliter cõsistere, & priuationẽ esse veluti passionẽ consequentem, facit Deũ authorẽ peccati: & sequitur has propositiones absolutè concedi posse, Deus est causa homicidij, adulterij, &c. quia significãt species morales peccatorũ, quas propositiones Patres negant, & nulla ratione concedi possunt. Qui verò dicũt positiuum, in quo formalis peccati ratio consistit, esse relationem rationis nõ vr-

Aliud.

gentur

gentur hoc argumento, & possent tueri, Deo non imputari peccatum, si nostra solutione vtantur.

satis fit argumentis in principio propositis.

Ex his patet solutio ad argumentum pro ratione dubitãdi: quãdo enim arguitur, quod est causa causæ, est causa effectꝰ respondetur, propositionem esse veram, quando aliquid sequitur ex ea ita, prout à causa causæ depẽdet, aliàs, non est necesse, vt quod est causa causæ, sit causa cõsequentis. Eodem modo respondetur ad alias consequentias. Quando vero instatur, non tantùm ei qui principaliter agit, sed etiam qui cooperando concurrit, etiam si sequatur determinationẽ alterius, peccatum imputari: respondetur, assumptum non esse vniuersaliter verum: nam contingere potest etiam hominibus, vt aliquis cooperetur actioni alterius liberè, & voluntariè, & tamen non sit particeps malitiæ, neque causa illius: quod contingit, quando id præstat, quod non est per se ordinatum ad actũ malũ, sed indifferens, & à voluntate malè vtentis applicatur ad malũ. V. g. si quis vendat agnum, vel alias merces infideli, quibus infidelis malè vsurus est ad idolatriam, vendit tamen non intentione abutẽdi, sed alio fine, & res indifferẽtes sunt, & non per se ordinatæ ad actum malum, nulla ratione particeps est peccati, etiam si præuiderit, eum cui vendit peccaturũ esse, imputaretur tamen illi, si ædificaret templum idolo, quia hæc actio non est indifferens ex natura rei, sed determinata ad illum effectum. Hoc ergo contingit in causalitate peccati, nam Deus non confert auxilium ea intentione, vt eliciatur actus peccati, sed ad conseruandam suauem rerum dispositionem, & auxilium generale de se indifferens est, à voluntate tamen causæ creatæ applicatur ad actum malum.

ARTICVLVS III.

Virum Deus sit causa excæcationis & indurationis.

1. q. 23. ar. 3. Et 2. 2. q. 15. ar. 1. Et 1. d. 40. q. 4. art. 2. Et 3. cõt. cap. 162.

AD tertium sic proceditur. Videtur quòd Deus non sit causa excæcationis, & indurationis. Dicit enim Augu. in lib. 83. quæst. quòd Deus non est causa eius, quòd homo sit deterior: sed per excæcationem & obdurationem fit homo deterior: ergo Deus non est causa excæcationis, & obdurationis.

Et veri. q. 24. ar. 10. co. & Ioã. 12. lect. 6. Et Rom. 1. lect. 7. & cap. 9. lect. 3. Et 1. Corinth. 4. Quæst. 3. in medio com. 4.

Secundò præterea Fulgentius dicit, quòd Deus non est vltor illius rei, cuius est actor: sed Deus est vltor cordis obdurati, secundùm illud Eccles. 3. Cor durum malè habebit in nouissimo: ergo Deus non est causa obdurationis.

Tertiò præterea. Idem effectus nõ attribuitur causis contrarijs: sed causa excæcationis dicitur esse malitia hominis, secundùm illud Sap. 2. Excæcauit enim eos malitia eorum, & etiam diabolus, secundùm illud. 2. ad Corinth. 4. Deus huius sæculi excæcauit mentes infidelium; quæ quidẽ causæ videntur esse contrariæ Deo: ergo Deus non est causa excæcationis, & obdurationis.

Sed contra est, quod dicitur Isai. 6. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua. Et Roman. 9. dicitur. Cuius vult miseretur, & quem vult indurat.

Respondeo dicendum, quòd excæcatio, & obduratio, duo importãt: quorum vnum est motus animi humani inhærentis malo, & auersi à diuino lumine: & quantum ad hoc Deus non est causa excæcationis: & obdurationis, sicut non est causa peccati. Aliud autem est subtractio gratiæ, ex qua sequitur, quòd mens diuinitus non illuminetur ad rectè videndum, & cor hominis non emolliatur ad rectè viuendum; & quantùm ad hoc Deus est causa excæcationis & obdurationis. Est autem considerandum, quòd Deus est causa vniuersalis illuminationis animarum, secundùm illud Ioan. 1. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: sicut sol est vniuersalis causa illuminationis corporum, aliter tamen, & aliter. Nam sol agit illuminando per necessitatẽ

naturæ: Deus autem agit voluntariè per ordinem suæ sapientiæ. Sol autem licet quantùm est de se omnia corpora illuminet, si quod tamen impedimentum inueniat in aliquo corpore, relinquit illud tenebrosum: sicut patet de domo, cuius fenestræ sunt clausæ: sed tamen illius obscurationis nullo modo causa est sol: nõ enim suo iuditio agit, vt lumen interius nõ immittat: sed causa eius est solum ille qui claudit fenestram. Deus autem proprio iuditio lumen gratiæ non immittit illis in quibus obstaculum inuenit: vnde causa subtractionis gratiæ est, non solùm ille qui ponit obstaculum gratiæ, sed etiã Deus qui suo iudicio gratiam non opponit: & per hũc modũ Deus est causa excæcationis, aggrauationis auriũ, & obdurationis cordis; quæ quidem distinguuntur secundùm effectus gratiæ, quæ perficit intellectum dono sapientiæ, & affectum emollit igne charitatis. Et quia ad cognitionẽ intellectus maximè deseruiunt duo sensus, scilicet, visus, & auditus, quorum vnus deseruit inuentioni, scilicet, visus, alius disciplinæ, scilicet, auditus; ideò quantùm ad visum ponitur excæcatio: quantùm ad auditum, aurium aggrauatio: quantùm ad effectum, obduratio.

Ad primum ergo dicendum, quòd cum excæcatio, & induratio ex parte subtractionis gratiæ sint quædam pœnæ, ex hac parte eis homo non fit deterior, sed detetior factus per culpã hæc incurrit, sicut & cæteras pœnas.

Ad secundum dicendum, quòd obiectio illa procedit de obdurationc, secundùm quòd est culpa.

Ad tertium dicendum, quòd malitia est causa excæcationis meritoria, sicut culpa est causa pœnæ: & hoc etiam modo diabolus excæcare dicitur, in quantum inducit ad culpam.

Conclusio est, excæcatio, & induratio, quatenus sunt motus animi inhærentis malo, non sunt à Deo, quatenus verò excæcatio, & induratio sunt subtractio diuini luminis, & auxilij, quo homo illuminatur, & emollitur, à Deo sunt.

DISPVTATIO XL.

Quid sit excæcatio, & an à Deo sit?

PRO Maiori huius doctrinæ explicatione quædam breuiter tractanda sunt de excæcatione, & indurationc. Primò supponendũ est, Sacram Scripturã frequenter meminisse excæcationis, & indurationis: his autem nominibus significari indispositionem quãdam hominis, qua difficultatem magnam patitur circa bonum, & promptitudinem ad malum. Non enim quicunque peccatores excæcati, aggrauati, & indurati dicuntur, sed speciatim quidã, qui non mouentur ad bonum, nec deterrentur à malo, efficacibus motiuis, qualia sunt flagella Dei, miracula, euidentes persuasiones, & similia. *Quid sit excæcatio.* *Bernard.* De quibus Bernardus lib. 1. de consideratione ad Eugenium: *Cor*, inquit, *durum nec se ipsum exhorrescit, quia nec se ipsum sentit, non mouetur precibus, minis non cedit, flagellis magis indurat.* Excæcationis verò, & aggrauationis, atque indurationis nomina, non diuersa, sed vnũ, & idẽ diuerso modo explicant: excæcatio, & aggrauatio prauã dispositionem intellectus, induratio voluntatis. Excæcationis metaphora sumitur ab oculis, & aggrauationis ab auribꝰ, vtriusque enim sensus vocabula ad intellectum transferuntur; visus, quia cognoscere est quoddam videre; auditus, quia quæ ad salutem pertinẽt, maximè concipiuntur auditu per verbum Christi. Indurationem autem dicitur de voluntate, ad similitudinem corporũ, quæ si dura sunt, difficilè cedunt diuisioni, & impressiones ægrè recipiunt. Est ergo cæcus, & obtusis auribus, qui difficilè percipit veritatem, & ab errore dimouetur, quod Paulus ad Rom. 1. vocauit, *Rom. 1.* tradditum esse in reprobũ sensum: durus vero corde is cuius affectus nimis resistit inducẽtibus ad bonum.

De hac indispositione duo dicuntur in Sacra Scriptura, quæ obscura sunt. Primum, eam esse à Deo, qui excæcat, & indurat *An sit à Deo.*

durat, ac aggrauat. Isai. 6. *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua.* Ioan. 12. *Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorũ.* Ad Rom. 9. *Quem vult indurat.* Et Exod. 7. 8. & 9. *Ego indurabo cor Pharaonis.* Secundum, propter hanc indispositionem homines non posse bene agere, neque à peccato resipiscere. Ioan. 12. *Propterea nõ poterant credere, quia dixit Isai. Excecauit oculos eorum, &c.* vtrumque autem difficultatem habet. Primum, quia apparet, Deum esse causam peccati. Secundum, quia nullus homo, dum viuit, excluſus est à pœnitentia, & iustitia.

Isai. 6. *Ioan. 12.* *Roman. 9.* *Exod. 7. 8. & 9.* *An reddat impossibilem (non nam actionem.* *Ioan. 12.*

In priori pũcto prima expõsitio, locorũ, in quibus Deus dicitur excæcare, est Origen. lib. 3. Periarchon cap. 1. quem sequitur Hieronimus epist. ad Hediuiam. quæstio. 10. Deum non aliter excæcare, quam quia præstat id, quod à Deo ordinatur in bonum peccatoris, sed ipse sua prauitate vertit in perniciem: quem admodum enim calor solis alia liquefacit, alia vero indurat propter dispositionem materiæ, sic Deus quædam efficit, quæ bona sunt, & in bonum hominis cõducere possunt, vt patienter expectare peccatorem, miracula ostendere, &c. quibus aliqui indurãtur, & excæcantur, alij emolliuntur, & illuminantur pro diuersitate hominum. Hanc expositionem reijcit Augustinus lib. 5. contra Iulian. cap. 3. & 4. quia excęcatio, & induratio pœnæ sũt, à Deo illatæ, & effectus diuinæ iustitiæ, nõ dona misericordiæ, vt patet ad Rom. 1. *Quia non probauerunt Deum habere in notitia, ideò tradidit eos Deus in reprobum sensum.* Et ex ipsis testimonijs prælegatis constat, hos effectus non ordinari in bonum excæcati, & indurati: nam Isai. 6. & Ioann. 12. additur: *Ne forte conuertantur, & sanem eos:* at verò iuxta Origen. expositionem, excæcatio, & induratio, prout à Deo, potiùs sunt in bonum excæcati, nec habẽt rationem pœnæ. Arguit preterea Augustinus si excæcatio, & induratio nõ significarent aliud ex parte Dei, quam benignam expectationem, vel aliquod beneficium, quo possent homines si vellent, bene vti, possent rogare Deum, vt excæcaret, & induraret, quod tamen nulla ratione concedendum est.

In prima diff. prima sententia. *Origen.* *Hieron.* *Eam reijcit Aug.* *Roman. 1.*

Vera ergo expositio est, vt intelligantur hæ locutiones, sicut aliæ eiusdẽ generis, quas explicuimus disput. 36. vt excæcatio non sit Dei actio efficientis, & intendentis peccatum, sed pura permissio, & subtractio auxilij. Ita interpretatur Augustinus epist. 105. *Non*, inquit, *indurat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam*: & tractat. 53 in Ioann. & lib. 1. ad Symplicia. quæst. 2. & 5. contra Iulian. cap. 3. Ita etiam exponit Chrysostomus homil. 3. in Epistol. ad Roman. Damascenus lib. 4. fidei ortho. cap. 20. Greg. lib. 25. moralium cap. 13. & Isidor. lib. 2. sententiarum cap. 9. quos Sanct. Thomas in hoc artic. imitatur. Ratio autem propter quam sacra Scriptura nominibus significantibus positiuam causalitatem, significat actionis negationem, & subtractionem auxilij, assignauimus disp. illa.

Vera sententia. *August.* *Chrysost.* *Damasc.* *Greg.* *Isidor.* *S. Thom.*

Id tamen aduertẽdum est, excæcationem, & indurationem nõ esse à solo Deo, semper enim eius causa est ex parte hominis, aliquod peccatũ, quod multiplex est. Primô enim indurat cõsuetudo peccandi, iuxta illud Prouer. 18. *Impius cum in profundum peccatorum venerit, contemnit.* Et Sapient. 2. *Excæcauit enim illos malitia eorum.* Malitia enim frequenter est peccatum ex habitu, & ex cõsuetudine. Secundò, ambitio. Ioann. 5. *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem quæritis* Tertio, auaritia, Marc. 5. *Audiebant hæc Pharisei, qui erant auari, & irridebant eũ.* Quartò, vt Doctores asserũt, cæcitas, & hebetudo mentis effectus sunt luxuriæ. Sed quãuis ab his causis cæcitas proueniat, tribuitur Deo, quia non esset, nisi Deus permitteret, & subtraheret auxiliũ, quo homo illuminaretur, & emollireture, & propterea à nunc Deo, nunc ipsi homini, nunc diabolo inducenti ad peccatum, hic effectus adscribitur.

Prou. 18. *Sapient. 2.* *Ioann. 5.* *Marc. 5.*

In secundo puncto, qua ratione excæcati non possint bene operari; Augustinus in libro expositionis quarundam propositionum ex epistola ad Romanos propositione sexagesima secunda, videtur sentire, excæcatos, quãdiu sunt in ea dispositione, nullomodo posse bene agere, & ideò nõ peccare; solumq; esse in culpa, quia voluntariè duritiam contraxerũt. Dum enim Aug. loquitur de Pharaone, dicit: *Non ergo hoc illi imputatur, quod tunc non obtemperauit, quando quidem obdurato corde obtemperare non poterat; sed quia dignum se præbuit, vt obduraretur.* Sed hæc sententia non est vera: nam indurati, & excæcati absq; dubio peccãt, quãdo malè agunt: quod patet ex sacra Scriptura, Pharao enim, etiã si induratus esset, sæpe reprehenditur a Moyse. Exod. 7. & sequenti-

In secunda assert. cul tat e sente. August. *Refellitur*

quentibus, cò quòd non dimitteret pò-
pulum, & admonetur, vt dimittat, quod
esset superfluum, si induratio abstulisset
potentiam obtemperandi: & Paulus ad
Roma. 1. Roman. 1. cum dixisset, traditos esse in
reprobum sensum, subdit: *Vt faciant ea,*
quæ non conueniunt, vt contumelijs afficiant
corpora sua: & numerat plura genera pec-
catorum, quę obdurati commisserũt. Ec
Eccles. 3. clesiast. 3. *Cor durum malè habebit in nouis-*
Roman. 2. *simo*. Et ad Roman. 2. *Secundùm duritiam*
tuam thesaurizas tibi iram. Quapropter ip
August. se August. 5. contra Iulian. cap. 3. docet,
& probat duritiam esse pœnam peccati,
quatenus propter peccata deserẽte Deo,
& subtrahente auxilium, contrahũtur,
& esse peccatum, & esse causam pecca-
ti. Quòdverò dicit esse peccatum, verum
est, non quatenus est habitualis dispositio, sed quando interuenit aliqua actio,
qua homo se durum, vel cęcum exhibet.
Cum igitur indurati, & excæcati pec-
cent, manifestum est, eos habere faculta
tem, & sufficiens principium ad bene o-
Vera expli perandum. Quando ergo in sacra Scrip-
catio. tura negatur, eos posse bene agere, non
significatur omnimoda impossibilitas,
sed difficultas magna. Sæpe enim in sa-
cris literis per hyperbolem difficilia, im
possibilia dicuntur.

Quod auxi Sed oritur noua difficultas, quale sit il
lium sub- lud auxilium, quod Deus subtrahit excę
trahitur catis, & induratis, cuius defectu excæ-
excæcatis, cati, & indurati fiunt, est ne auxilium ef-
tertia dif- ficax, vel sufficiens? non videtur esse
ficul. auxilium efficax, quod cuicumque pec-
canti subtrahitur; & tamen non omnes
peccatores excæcati sunt, nec videtur es
se auxilium sufficiens, quia si hoc deesset, nõ solum difficilis, sed penitus im-
possibilis esset illis bona operatio: est e-
nim auxilium sufficiens requisitum, non
solùm vt facilè, sed vt omnino possit ho
mo supernaturalia efficere. Respõdetur,
auxilium cuius subtractione Deus indu
rat, & excæcat, non esse auxilium effi-
cax, vt argumentum probat, sed de gene
re auxilij sufficientis. Est tamen in hoc
genere quoddam auxilium commune,
quod omnibus conceditur, & quod ne-
cessarium est simpliciter, & hoc non sub
trahitur excæcatis, & induratis, aliàs nõ
peccarẽt: & est aliud auxilium speciale,
quod requiritur ad superandum difficul
tatem, quam excæcatio, & induratio in-
ducũt, & hoc auxilium subtrahit Deus.
Id verò potissimè intelligendum est de
auxilio interno, nam externa auxilia, vt
sunt miracula, exhortationes, comminationes, flagella, sæpe excęcatis, & indura
tis abundãter conferũtur, & ideò dicuntur excæcato, quia his non mouentur.

Sed aduersus hanc doctrinam fieri so-
lent tres obiectiones. Prima, quia in illis
testimonijs significatur, Deum intẽdere
ruinam istorum, dicitur enim Isai. 6. *Exce*
ca cor populi huius, vt videntes non videãt,
& audientes non audiant, ne fortè conuertã
tur, &c. non ergo solũ excæcatio sit per-
missione. Respondetur, illam particulã,
vt, non significare causam finalem, sed
consecutionem effectus, sicut ad Roma.
5. dicitur: *Lex subintrauit, vt abundaret de*
lictum, particula, *vt*, non significat causa-
litatem finalem, sed ordinem euentus,
quod cap. 7. explicat, docens, peccatum
intrasse propter legem occasionaliter,
dumtaxat hominum: *occasione*, inquit, *ac-*
cepta peccatum per mandatum, operatum est
omnem concupiscentiam.

Secunda ex verbis Augusti. 5. contra
Iulian. cap. 3. *Quid est quod dicis? cum des-*
derijs suis traditi dicuntur, relicti per diui-
nam potentiam, intelligendi sunt; non per po-
tentiam in peccata compulsi? Quasi non vtrũ-
que posuerit Apostolus, patientiam, & potẽ
tiam. Quibus verbis videtur Augustinus
indicare, non solam permissionem, sed
positiuam Dei actionem interuenire. Res
pondetur his verbis August. tantùm in-
tendere refellere expositionem illam,
Origę. quam Iulianus sequebatur, quod
toto cap. & sequenti prosequitur: nomi-
ne ergo potentiæ non intelligit virtutẽ
exequentem, sed iustitiam punientẽ, vt
asserat, non solũ tollerasse Deũ indura-
tos, sed iusto iudicio indurationẽ permi
sisse. Id ex cõtextu patebit. Illud autem
verbum, in peccata impulsi, non est Au
gustini, sed Iuliani.

Tertia obiectio ad Roman. 9. dicitur.
Quem vult indurat, & cuius vult misere-
tur. Ergo induratio non semper suppo-
nit causam ex parte hominis, nec est effe
ctus diuinæ iustitiæ; sicut enim miseri-
cordia tribuitur voluntati Dei, & libero
beneplacito, sic induratio. Respõdetur,
hæc verba quatenus significant sola vo-
luntate Dei indurari homines, & emolli
ri, intelligenda esse comparatiuè, hoc
est, vt quamuis quicunque indurãtur sua
culpa indurentur, sed quod iste potius
induretur, quàm ille ex his qui iustè me-
rebantur indurationem, est â sola diuina
volun-

Obiectio-
nes.
Prima.
Isai. 6.
Soluitur.
Roma. 5.
Secunda.
Soluitur.
Tertia.

voluntate,nam cùm ille, ſicut iſte dignus eſſet indurari, Deus occulto iudicio huic confert indurationis pœnam,& nõ illi Vel poteſt exponi ſic,indurat,ideſt, induratum relinquit, vt comparatio ſit inter duos iam induratos,quibus iuſtè in pœnam peccati induratio permiſſa eſt, & vnus miſericorditer emollitur, alter induratus relinquitur.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum excæcatio & obduratio ſemper ordinentur ad ſalutem eius,qui excæcatur,& obduratur.

AD quartum ſic proceditur. Videtur quòd excæcatio & obduratio ſemper ordinentur ad ſalutem eius,qui excæcatur,& obduratur. Dicit enim Auguſt.in Ench. quòd Deus cum ſit ſummè bonus,nullo modo permitteret fieri aliquod malum,niſi poſſet ex quolibet malo elicere bonũ: multò igitur magis ordinat ad bonum illud malum,cuius ipſe eſt cauſa : ſed excæcationis & obdurationis Deus eſt cauſa,vt dictum eſt:ergo hæc ordinantur ad ſalutem eius,qui excæcatur,& obduratur.

Cap.11.circa prin.to.3.

Arg.prac

Secundò prætereà.Sapient.1.dicitur,quòd Deus nõ delectatur in perditione impiorum: videretur autem in perditione eorum delectari,ſi eorum excæcationem in bonum eorũ non conuerteret;ſicut medicus videretur delectari afflictione infirmi, ſi medicinam amaram, quam infirmo propinat,ad eius ſanitatem non ordinaret:ergo Deus excæcationem conuertit in bonum excæcatorum.

Tertiò prætereà.Deus non eſt perſonarum acceptor,vt dicitur Actor. 10.Sed quorundam excæcationem ordinat ad eorum ſalutem,ſicut quorundam Iudæorũ,qui excæcati ſunt vt Chriſto non crederent,& nõ credẽtes occiderent,& poſt modũ cõpuncti conuerterentur,ſicut de quibuſdam legitur Actor.2. vt patet per Auguſtin.in lib.de quæſtio. Euangelij : ergo Deus omnium excæcationem conuertit in eorum ſalutem.

Lib. 3. ex Matth.ca. 14.in med. tom.4.

Sed contra.Non ſunt facienda mala,vt veniant bona,vt dicitur Roma. 3.Sed excæcatio eſt malum : ergo Deus non excæcat aliquos propter eorum bonum.

Reſpondeo dicendum, quòd excæcatio eſt quoddam præambolum ad peccatum. Peccatum autem ad duo ordinatur,ad vnum quidem per ſe,ſcilicet ad damnationem:ad aliud autem ex diuina miſericordia , vel prouidentia,ſcilicet ad ſanationem, inquantùm Deus permittit aliquos cadere in peccatum, vt peccatum ſuum agnoſcentes, humilientur & conuertantur, ſicut Auguſt. dicit in libro de natura & gratia: vnde & excæcatio ex ſui natura ordinatur ad damnationem eius qui excæcatur, propter quod ponitur etiam reprobationis effectus:ſed ex diuina miſericordia excæcatio ad tempus, ordinatur medicinaliter ad ſalutem eorũ qui excæcantur, ſed hæc miſericordia non omnibus impenditur excæcatis, ſed prædeſtinatis ſolũ, quibus omnia cooperantur in bonum,ſicut dicitur Roma.8. Vnde quantùm ad quoſdam excæcatio ordinatur ad ſanationem, quantùm autem ad alios ad damnationem, vt Auguſtin. dicit in.3.de quæſtionibus Euangelij.

Ex ca. 22. 23.& 18. tom.7.

Ex Matth. cap.ſeq.q. 14.to.4.

Ad primum ergo dicendum,quòd omnia mala,quæ Deus facit, vel permittit fieri,ordinantur in aliquod bonum , non tamen ſemper in bonum eius in quo eſt malum : ſed quandoque ad bonum alterius,vel etiam totius vniuerſi,ſicut culpam Tyrannorum ordinat in bonum Martyrũ,& pœnam damnatorum ordinat in gloriam iuſtitiæ ſuæ.

Ad ſecundum dicendum , quòd non delectatur in perditione hominum

num quantum ad ipsam perditionē, sed ratione suæ iustitiæ, vel propter bonum quod inde prouenit.

Ad tertium dicendum, quod hoc quod Deus aliquorum excæcationē ordinat in eorum salutem, misericordiæ est, quòd autem excæcatio aliorum ordinetur ad eorum damnationem, iustitiæ est: quod autem misericordiam quibusdam impendit, & nō omnibus, non facit personarum acceptionem in Deo, sicut in primo dictum est. *Prima p. q. 23. art. 5. ad tertiū.*

Ad quartum dicendum, quòd mala culpæ non sunt facienda, vt veniāt bona: sed mala pœnæ sunt inferenda propter bonum.

Prima conclusio. Secunda.

DVas conclusiones possumus colligere ex hoc articulo. Prima, excæcatio, & induratio, non semper ordinantur in bonum excæcati, vt contingit reprobis. Secunda, excæcatio & induratio aliquando ordinātur in bonum hominis, vt contingit prædestinatis, quatenus inde cautiores, & humiliores resurgūt. Primam conclusionem explicuimus præcedenti articulo; secunda verò pertinet ad disputationem de prædestinatione, vbi agitatur, vtrum permissiones peccatorum sint prædestinationis effectus. Hæc verò conclusio, non aduersatur illi assertioni, indurationē esse semper pœnam, & nociuam peccatori, quia proximè semper est nociua, remote, & occasionaliter potest cedere in bonum, quatenus, qui post excæcationem sanatur aduertens foueam, in quam sua culpa inciderat, cautior, & humilior fit.

Circa quæstionem istam, disputant aliqui, vtrum potentia peccandi sit à Deo quod Magister & Scolast. tractāt in. 2. distinct. vltima, & breuiter discutere, non erit inutile.

DISPVTATIO XLII.

Vtrum potentia peccandi sit à Deo.

TAnc quæstionem non attigit S. Thomas in. 1.2. Nescio an consultò omiserit, existimans parū referre: an obliuione prætermiserit. Ab ipso tamen, & ab omnibus Scholasticis disputatur in. 2. distinct. 44. circa quam tres sententias inuenio. Prima absolutè negat potentiam peccandi esse à Deo: quam sine auctoris nomine refert Magister in illa distinctione: neq; aliquē legi, quem pro ea referre possim. Probari videtur, quia Deus non potest esse author peccati: ergo neque potest dare potentiam peccandi: nam qui dat potentiam peccandi, videtur fauere, & adiuuare ad peccandum. Et confirmari potest, quia potentia per se respicit suum obiectum, & per se in ipsum inclinat; ergo potentia peccandi per se respicit peccatum, & per se inclinat in illud: est autem absurdum si dicamus Deum aliquid efficere in nobis, quod per se in peccatum ordinetur, & in peccatum inclinet: talis enim inclinatio inordinata est, & ab authore naturæ esse non potest. *Prima sententia.* *Probatur.*

Secunda sententia in alio extremo absolutè concedit, potentiam peccandi esse à Deo. Hanc defendit Magister distinctione allegata. Probat verò quibusdam authoritatibus Sacræ scripturæ, & Sanctorum. Ex Sacra scriptura adducit illud ad Roman. 13. *Non est potestas nisi à Deo.* Et illud Ioan 19. *Non haberes in me potestatem nisi datum esset tibi desuper.* Est autem sermo de potestate, quam habebat Pilatus occidendi Christum. Et illud Iob. 1. *Mitte manum tuam,* (id est da potestatem:) hoc enim diabolus dixit, cum peteret facultatem nocendi beato Iob. Et illūd Prouerb. 8. *Per me reges regnant, & Tyranni per me terram tenent.* Et illud Iob. 33. *Qui regnare facit hypocritam propter peccata populi.* Et Oseæ. 13. *Dedi eis reges in ira mea.* Ex Patribus verò adducit Augustinum super Psalm. 88. illis verbis. *Malitia hominum cupiditatem nocendi per se habet: potestatem autem sine illo* (id est sine Deo) *non habet.* Et Gregorium dicentem. *Tumoris, elationem potestatis ordo in crimine est. Potentiam Deus tribuit, elationem vero potentiæ malitia nostræ mentis inuenit.* Hæ authoritates si rectè expendantur parum probant: nam locus Roman. 13. & verba Augustini, & Gregorij, procedunt de potentia, quæ propriè, & in rigore potentia peccandi non est: loquuntur enim de ea potentia, quam habent principes, & reges, quæ sæpe abutuntur, & nocent his, quibus prodesse deberant: sed hæc non est vera potentia peccandi, quia instituta est ad bonum iux- *Secunda.* *Magist.* *Probatur.* *Roman. 13.* *Ioannes. 19.* *Iob. 1.* *Prouer. 8.* *Iob. 33.* *Oseæ. 13.* *August.* *Gregor.* *Hæ authoritates. Ineficaces sunt.*

Rom. 13. iuxta illud ad Roman. 13. *Minister enim Dei est in bonum vindex ira Dei in eos, qui malè faciunt:* si quid verò mali ab ea prouenit, non ex ipsa, sed ex abusu eius, & ex malitia hominis oritur. Quare non est cur potentia peccandi absolutè dicatur. Testimonium verò Prouerb. 8. & Iob. 33. & Oseæ. 13. Quatenus significant, prauos reges à Deo præfici; intelligēda sunt permissiuè solùm. Nam Deus regem iniquum, & qui potestate malè vtitur, eo fine, & intentione, vt noceat populo, nō instituit, sed eius electionem permittit, aut post electionem permittit abusum potestatis. Et quod Magister allegat ex Prouerb. 8. *Per me Tyranni tenent terram*, non potui inuenire in aliquo textu, vel lectione. Si fortè tamen inueniatur, non est insistendum, vt Magister insistit, verbo, *Tyranni*, quasi significet reges prauos, & qui potestate abutuntur: nam Tyrannus aliquando sumitur in bonam partem, & significat quencumque regem, & principem, qui superiorem nō habet, & absoluto dominio præest, iuxta, illud Maronis. *Pars mihi pacis erit, dextram tetigisse Tyranni.* Testimonia denique Ioan. 19. & Iob. 1. de sola permissione, qua Deus peccatum permittit, & non impedit, intelligenda sunt. Permissio autem, qua Deus non impedit peccatum, impropriè dicitur potentia peccandi. Sed potest sententia Magistri probari. Quia vera potentia peccādi est liberum arbitrium, quod à sua libertate habet peccare posse: liberum autem arbitriū, tam secundùm efficatiam agendi, quàm secundùm indifferentiam, & libertatem eligendi, à Deo est. Sententiam Magistri sequuntur Durandus ibi quæst. 1. Gabriel quæst. vnica & alij.

Eneid. 7.

Probatur. Secunda sententia.

Durand. Gabr.

Tertia sententia.

Tertia sententia respondet quæstioni, distinguens materiale, & formale peccati; & dicit, potentiā ad materiale peccati à Deo esse: potentiam verò ad formale non esse à Deo, sed competere creaturæ à se ipsa. Primum probant; quia materiale peccati est ens reale, & positiuū, & procedit à causa reali: ergo potentia à qua procedit, à Deo est. Secundum verò probant, quia formale peccati est nihil, & non habet causam efficientem, sed deficientem; atque adeò procedit à libero arbitrio, solùm quatenus est potentia, quæ deficere potest: posse autem deficere, non est aliquid, sed nihil; & ideò non est à Deo; sed creaturæ competit ex se: sicut ex se est nihil. Hanc tradunt Sanct. Thomas in illa distinctione quæst. 1. art. 1. Bonauentura art. 1. quæst. 2. Ricardus art. 1. quæst. 2. Scotus quæst. vnica.

S. Thom. B. nau. Ricardus. Scotus.

In hac varietate opinionum assero primò. Hæc propositio, potentia peccādi est à Deo, non potest absolutè negari, quia potest habere verum sensum, & vt statim ostendam magis est vera, quàm falsa. Assero secundo. Nulla est differentia inter potentiam ad materiale peccati, & ad formale, sed eodem modo vtraque est, vel non est à Deo. Assero tertio. Hæc propositio, potentia peccandi est à Deo, potest habere verum, & falsum sensum, magis tamen vera est, & absolutè videtur concedenda. Hæc omnia vt probemus, & explicemus, aduertendum est, nullam esse potentiam peccandi, quæ per se respiciat peccatum, vt proprium obiectum, nec per se in ipsum inclinet, vt ostendi disputatione. 3. & 4. Nam peccatum est præter intentionem naturæ & nulla natura in ipsum ordinatur, sed peccatum prouenit ab aliqua potentia, (hoc est à libero arbitrio,) propter eius defectibilitatem, & quia potest declinare ab eo ad quod per se institutū est. Est enim potentia peccandi sicut contingentia rerum naturalium, quæ non est potentia per se ordinata, & instituta ad non esse, sed defectus potentiæ ad conseruandum proprium esse, & ad resistēdum corrumpentibus. Cum ergo dicitur, potentia peccandi est à Deo; si sensus esset, à Deo est aliqua potentia per se instituta ad peccandum, & quæ respiciat peccatum, vt proprium obiectum, falsa esset propositio: si autem sensus sit, potentia, qua peccatur, & aqua prouenit peccatum, & quæ potest peccare, est à Deo, vera est. Hæc enim potentia est liberum arbitriū cum imperfectione, & imbecillitate, cū qua à Deo factum est: & nihil est quod vrgeat, vt propositio hæc priorem sensum faciat. Ideò licet concedi non possit, potentia ad peccandum est à Deo, quia magis reddit primū sensum, & significat, à Deo esse potentiam institutam ad peccandum, concedi tamen potest absolutè, potentia peccandi est à Deo, quia magis reddit secundum sensum, & solùm significat, eam potentiam, qua peccatur, & qua peccare possumus, esse à Deo.

Prima conclusio.

Secūda cōclusio.

Tertia conclusio.

Probantur & explicātur.

Porrò, vt concedatur hæc propositio, non

Nō est dif-

ferentia inter potentiã ad formale, vel ad materiale peccati.

non oportet distinguere materiale, aut formale peccati, nam potentia ad vtrunque eodem modo est, & non est à Deo, quia vt ostendi disputatione. 4. liberum arbitrium, sicut non respicit per se formale peccati, ita etiam, nec materiale, nõ enim est à Deo institutũ, vt eligeret materiale peccati, sed vt sequeretur bonum rationis. Et quemadmodum defectus liberi arbitrij est, vt declinet ad formale peccati, sic etiam, vt eligat materiale: nam eligere materiale peccati, est appetere bonum apparens, quod propter defectum rationis, & voluntatis eligitur. Quod verò authores tertiæ sententiæ dicunt liberum arbitrium non esse defectibile à Deo, sed à se ipso, non satis intelligo. Nam defectibilitas liberi arbitrij est à Deo, tum quia hanc potentiam talem fecit, vt deficere posset in electione, tũ etiam quia speciali prouidentia voluit, vt liberum arbitrium hominis, & Angeli defectibile esset: quia id expediebat ad bonum vniuersi, vt in eo essent omnes gradus entium, & modi operationum: quod de contingentia rerum docet Sanctus Thomas. 1. part. quæst. 14. artic. 13. & quæst. 19. articul. 8. Expediebat etiam naturæ humanæ, & Angelicæ ad augmentum meriti. Præterea vt disput. 39. dixi malitia peccati, quæ est defectus, & priuatio, non prouenit ex aliquo defectu præexistente in causa, sed consequitur materiale peccati. Et non aliter producitur, quàm quia materiale eligitur à libero arbitrio: et ideò non aliter est à Deo potentia ad materiale, quàm ad formale peccati. Ex quibus facilè solui possunt argumenta quibus prima, & tertia sententia innituntur.

S. Thom.

QVÆSTIO LXXX.

De causa peccati ex parte diaboli, in quatuor articulos diuisa.

DEinde considerandum est de causa peccati ex parte diaboli.

ET CIRCA HOC QVÆruntur quatuor.

PRimò, Vtrum diabolus sit directè causa peccati. Secundò, Vtrum diabolus inducat ad peccandum, interiùs persuadendo. Tertiò, Vtrum possit necessitatem peccandi inducere. Quartò, Vtrum omnia peccata ex diaboli suggestione proueniant.

ARTICVLVS I.

Vtrum diabolus sit homini directè causa peccandi.

AD primum sic proceditur. Videtur quòd diabolus sit homini directè causa peccandi. Peccatũ enim directè in effectu consistit: sed Augustin. dicit. 4. de Trinitat. quòd diabolus suæ societati malignos affectus inspirat: et Beda super Acto. dicit, quòd diabolus animam in affectum malitiæ trahit: & Isidor. dicit in lib. de summo bono, quòd diabolus corda hominum occultis cupiditatibus replet: ergo diabolus directè est causa peccati.

Sup. q. 75. a. 2. Et. 3. q. 8. art. 7. Et mal. q. 3. ar. 3. & 4. Et quodl. 3. ar. 8. cor. Aug. 4. de Tri. c. 12. circ. princ. to. 3. Ca. 5. acto. circa prin. illusto. 2. Ex li. 1. c. 5. & li. 2. c. 14.

Secundò præterea. Hieron. dicit, quòd sicut Deus est perfector boni, ita diabolus est perfector mali: sed Deus est directè causa bonorum nostrorum: ergo diabolus est directè causa peccatorum nostrorum.

Lib. 2. contra Iouin. non longe a princ. to. 3.

Tertiò præterea. Philoso. dicit in quodam capitul. Ethicæ Eudemicæ, quòd oportet esse quoddam principium extrinsecum humani consilij: consilium autem humanum non solùm est de bonis, sed etiam de malis: ergo sicut Deus mouet ad consilium bonum, & per hoc directè est causa boni: ita diabolus mouet hominem ad consilium malum, & per hoc sequitur quòd diabolus directè sit causa peccati.

Li. 7. mor. Eudemiorum. c. 18.

Sed contra est, quòd Augustin. probat in. 1. &. 3. de lib. arb. quòd nulla alia

Li. 1. ca. 2. circ. princ.

tom. 1. & lib. 3. c. 18 alia re fit mens hominis serua libidinis, nisi propria voluntate: sed homo non fit seruus libidinis, nisi per peccatum: ergo causa peccati non potest esse diabolus, sed sola propria voluntas.

Respondeo dicendum, quòd peccatum actus quidam est, vnde hoc modo potest esse aliquid directè causa peccati, per quem modum aliquis directè est causa alicuius actus: quod quidem non contingit nisi per hoc, quod proprium principiũ D. 1006. illius actus mouet ad agendum. Proprium autem principium actus peccati est voluntas, quia omne peccatum est voluntarium: vnde nihil potest directè esse causa peccati, nisi quod potest mouere voluntatem ad agendum. Voluntas autem, sicut Quæstio. 8. art. 3. 4. 5. & 6. supra dictum est, à duobus moueri potest. Vno modo ab obiecto, sicut dicitur, quòd appetibile apprehensum mouet appetitum. Alio modo ab eo, quod interiùs inclinat voluntatem ad volendum: hoc autem non est nisi vel ipsa voluntas, vel Deus, Quæst. 9. artic. 3. 4. 5. & 6. vt supra ostensum est. Deus autem non potest esse causa peccati, vt dictum est. Relinquitur ergo quòd ex Quæst. 79. art. 1. hac parte sola voluntas hominis sit directè causa peccati eius. Ex parte autem obiecti potest intelligi, quòd aliquid moueat voluntatem triplici ter. Vno modo, ipsum obiectũ propositum, sicut dicimus, quòd cibus excitat desiderium hominis ad comedendum. Alio modo, ille qui proponit, vel offert huiusmodi obiectum. Tertio modo, ille qui persuadet obiectum propositum habere rationem boni, quia & hic aliqualiter proponit proprium obiectum voluntati, quod est rationis bonum verum, vel apparens. Primo igitur modo res sensibilis exteriùs apparentes mouent voluntatem hominis ad peccandum: secundo autem & tertio mudo vel diabolus, vel etiam homo potest incitare ad peccandum, vel offerendo aliquid appetibile sensui, vel persuadendo rationi. Sed nullo istorum trium modorum potest aliquid esse directa causa peccati: quia voluntas non ex necessitate mouetur ab aliquo obiecto, nisi ab vltimo fine, vt supra dictum est: vnde non est sufficiens causa peccati neque res exteriùs oblata, neque ille qui eam proponit, neque ille qui persuadet: vnde sequitur, quòd diabolus non sit causa peccati directè, vel sufficienter, sed solum per modum persuadentis vel proponentis appetibile. Quæst. 10. artic. 2. & 1. p. q. 106 art. 2. & q. 105. ar. 4.

Ad primum ergo dicẽdum, quòd omnes illæ authoritates, & si quæ similes inueniantur, sunt referendæ ad hoc, quòd diabolus suggerendo, vel aliqua appetibilia proponendo inducit ad affectum peccati.

Ad secundum dicendum, quòd similitudo illa est attendenda quantùm ad hoc, quòd diabolus quodam modo est causa bonorum nostrorum, non tamen attenditur quantùm admodum causandi: nam Deus causat bona interiùs mouendo voluntatem, quod diabolo conuenire non potest.

Ad tertium dicendum, quòd Deus est vniuersale principium omnis interioris motus humani: sed quòd determinetur ad malum consilium voluntas humana, hoc directè quidem est ex voluntate humana, & à diabolo per modum persuadentis, vel appetibilia proponentis.

OMnia peccata hominum ita esse à diabolo, vt illi tantùm imputanda sint, asseruerunt Armenij, Albanenses, & Albigenses, vt testantur Castro lib. 12. contra hæreses, verbo *Peccatum* hæresi. 3. & Sandærus, lib. 7. de visibil. monarchia, hæc autem hæresis facilè reijcitur, nec oportet in eius confutatione immorari. *Hæresis Armenã &c.* *Castro.* *Sanderus.*

ARTICVLVS II.

Vtrum diabolus possit inducere ad peccandum.

Mal. q. 3. artic. 4. & q. 16. arti. 11. & quod lib. 3. arti. 8. corp.

AD secundum sic procedi-tur. Videtur quòd diabolus non possit inducere ad peccandum interiùs instigando. Interiores enim motus animæ sunt quædam opera vitæ: sed nullũ opus vitæ potest esse nisi â principio intrinseco, nec etiam opus animæ vegetabilis, quod est infimum inter opera vitæ: ergo diabolus secundùm interiores motus non potest hominem instigare ad malum.

Secundò præterea. Omnes interiores motus secundùm ordinem naturæ â sensibus exterioribus oriũtur: sed præter ordinem naturæ aliquid operari, est solius Dei, vt in primo dictum est: ergo diabolus non potest in interioribus motibus hominis aliquid operari, nisi secũdùm ea, quæ in exterioribus sensibus apparent.

1. p. q. 110 art. 4.

Tertiò præterea. Interiores actus animæ sunt intelligere, & imaginari: sed quantùm ad neutrum horum potest diabolus aliquid operari, quia, vt in primo habitum est diabolus non imprimit in intellectum humanum: in phantasiam etiam videtur quòd imprimere non possit, quia formæ imaginatæ tanquàm magis spirituales sunt dignio res quàm formæ, quæ sunt in materia sensibili, quas tamen diabolus imprimere non potest, vt patet ex his, quæ in primo habita sunt: ergo diabolus non potest secundùm interiores motus inducere hominem ad peccatum.

1. p. q. 110 art. 2.

Sed contra est, quia secundùm hoc nunquam tentaret hominem, nisi visibiliter apparendo: quod patet esse falsum.

Respondeo dicendum quòd interior pars animæ est intellectiua & sensitiua. Intellectiua autem continet intellectum & voluntatem, & de voluntate quidem iam dictum est, quomodo ad eam diabolus se habet. Intellectus autem per se quidẽ mouetur ab aliquo illuminante ipsum ad cognitionem veritatis, quod diabolus circa hominem non intendit, sed magis obtenebrat rationem eius ad consentiendum peccato, quæ quidem obtenebratio prouenit ex phantasia & appetitu sensitiuo; vnde tota interior operatio diaboli esse videtur circa phantasiam, & appetitum sensitiuum, quorum vtrunque commouendo potest inducere ad peccatum. Potest enim operari ad hoc, quòd imaginationi aliquæ formæ imaginariæ præsententur: potest etiam facere, quòd appetitus sensitiuus concitetur ad aliquam passionem. Dictum est, enim in. 1. lib. quod natura corporalis spirituali naturaliter obedit ad motum localem: vnde & diabolus omnia causare potest, quæ â motu locali corporum inferiorum prouenire possunt, nisi virtute diuina reprimatur. Quòd autem aliquæ formæ repræsententur imaginationi, sequitur quandoq; ad motũ localem. Dicit enim Philosophus in lib. de somno & vigilia, quòd cum animal dormierit, descendente plurimo sanguine ad principium sensitiuum, simul descendunt motus, siue impressiones relictæ ex sensibilium motionibus, quæ in sensibilibus speciebus conseruantur, & mouent principium apprehensiuum, ita quòd apparent, ac si tunc principium sensitiuum à rebus ipsis exterioribus immutaretur: vnde talis motus localis spirituum, vel humorum, procurari potest â dæmonibus, siue dormiant, siue vigilent homines: & sic sequitur, quòd homo aliqua imaginetur. Similiter etiam

Art. præcedent.

1. p. q. 110 art. 3.

Capite. 3. paulo ante medio tom. 2.

etiam appetitus sensitiuus concitatur ad aliquas passiones secundùm quendam determinatum motum cordis & spirituum: vnde ad hoc etiam diabolus potest cooperari. Et ex hoc quòd passiones aliquæ concitantur in appetitu sensitiuo, sequitur quòd & motum, siue intentionem sensibilem prædicto modo reductam ad principium apprehensiuum magis homo percipiat: quia vt Philosop. in eodem libro dicit, Amantes modica similitudine in apprehensionem rei amatæ mouentur. Contingit etiam ex hoc, quòd passio est concitata, vt id quod proponitur imaginationi, iudicetur prosequendum: quia ei qui à passione detinetur videtur esse bonum id, adquod per passionem inclinatur. Et per hunc modum interiùs diabolus inducit ad peccandum.

Capit. 2. à med. to. 2.

Ad primum ergo dicendum, quòd opera vitæ semper etsi sint ab aliquo principio intrinseco, tamen ad ea potest cooperari aliquod exterius agens: sicut etiam ad opera animæ vegetabilis operatur calor exterior, vt faciliùs digeratur cibus.

Ad secundum dicendum, quòd huiusmodi apparitio formarũ imaginabilium non est omnino præter ordinem naturæ, nec est per solum imperium, sed per motum localem, vt dictum est. Vnde patet responsio ad tertium; quia formæ illæ sunt â sensibus acceptæ primordialiter.

In corp. artic.

ARTICVLVS III.

Vtrum diabolus possit necessitatem inferre ad peccandum.

Mal. q. 3. artic. 3. ad 9. & ar. 4. corp. & q. 16. ar. 11. ad 10. & art. 12. ad 10.

AD tertium sic proceditur. Videtur quòd diabolus possit necessitatem inferre ad peccandum. Potestas enim maior potest necessitatem inferre minori: sed de diabolo dicitur Iob. 14. Non est potestas super terram, quæ ei valeat comparari: ergo potest hominis terreno necessitatem inferre ad peccandum.

Secundò prætereà. Ratio hominis non potest moueri nisi secundùm ea, quæ exteriùs sensibus proponuntur & imaginationi repræsentantur: quia omnis nostra cogitatio ortum habet à sensu, & non est intelligere sine phantasmate, vt dicitur in lib. de anima: sed diabolus potest mouere imaginationem hominis, vt dictum est, & etiam exteriores sensus: dicit enim Augustinus in lib. 83. q. quod serpit hoc malum, scilicet, quod est â diabolo per omnes aditus sensibiles, dat se figuris, accommodat se coloribus, adhæret sonis, infundit se saporibus: ergo potest rationem hominis ex necessitate inclinare ad peccandum.

Art. præcedent. Quæst. 12. circa prin. tom. 4.

Tertiò prætereà. Secundùm Augustinum nõ nullum peccatum est, cum caro concupiscit aduersus spiritum: sed concupiscentiam carnis diabolus potest causare, sicut & cæteras passiones, eo modo quo supra dictũ est: ergo ex necessitate potest inducere ad peccandum.

Lib. 19. de ciuita. Dei cap. 4. ante med. illius tom. 5.

Art. præcedent.

Sed contra est, quòd dicitur 1. Petri. vlt. Aduersarius vester diabolus tãquam leo rugiens, circuit quærẽs quem deuoret, cui resistite fortes in fide. Frustra autem talis admonitio daretur, si homo ei ex necessitate succumberet: non ergo potest hominẽ necessitatẽ inducere ad peccandũ.

Respondeo dicendum, quòd diabolus propria virtute, nisi refrænetur à Deo, potest aliquem inducere ex necessitate ad faciendum aliquem actum, qui de suo genere peccatum est: non autem potest inducere necessitatem peccandi, quod patet ex hoc, quòd homo motiuo ad peccandum non resistit nisi, per rationem, cuius vsum totaliter impedire potest mouendo imaginationem & appetitum sensitiuum, sicut in arreptitijs patet: sed tunc ratione

sic ligata, quicquid homo agat, non imputatur ei ad peccatum, sed si ratio non sit totaliter ligata, ex ea parte qua est libera, potest resistere peccato, sicut supra dictum est. Vnde manifestum est, quòd diabolus nullo modo potest necessitatem inducere ad peccandum.

Quæst. 77. art. 7.

Ad primum ergo dicendum, quòd non quælibet potestas maior homine, potest mouere voluntatem hominis, sed solus Deus, vt supra habitum est.

Quæst. 9. art. 6.

Ad secundum dicendum, quòd illud quod est apprehensum per sensum, vel imaginationem, non ex necessitate mouet voluntatem, si homo habeat vsum rationis, nec semper huiusmodi apprehensio ligat rationem.

D. 445.

Ad tertium dicendum, quòd concupiscentia carnis contra spiritum, quando ratio ei actualiter resistit, non est peccatum, sed materia exercendæ virtutis. Quòd autem ratio ei non resistit, non est in potestate diaboli: & ideò non potest inducere necessitatem peccati.

LEgantur quæ disputata sunt quæstio 9. & 10. & quæ S. Thom. docuit 1. p. q. 111. vbi explicat quomodo homo possit immutari à creatura spirituali.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum omnia peccata hominum sint ex suggestione diaboli.

Prima p. q. 63. art. 2. corp. Et q. 114. ar. 3. Et. 3. q. 8. art 7. ad 2. Et mal. q. 3. art. 5. Capit. 4 p. 4 parum à princip. Hoc habet formaliter Anſel. li.



D quartum sic proceditur. Videtur quòd omnia peccata hominum sint ex suggestione diaboli. Dicit enim Dionys. 4. c. de diu. nom. quòd multitudo dæmonum causa est omnium malorum, & sibi, & alijs.

Secundò prætereà. Quicunque peccat mortaliter, efficitur seruus diaboli, secũdùm illud Ioan. 8. Qui facit peccatum, seruus est peccati: sed ei aliquis in seruitutem addicitur, à quo est superatus, vt dicitur 2. Pet. 2. ergo quicunque facit peccatum superatus est à diabolo.

2. cur Deus homo cap. 21. circa med. Gre. etiam lib. 9. mor. cap. 36. habetur ad sensum & li. 4. cap 9. Capit. 82. hic liber est inter opera. Augusto. mo. 3.

Tertiò prętereà. Greg. dicit peccatum diaboli est irreparabile, quia ceciderit nullo suggerente, si igitur aliqui homines peccarent per lib. arb. nullo suggerente, eorum peccatum esset irremediabile, quod patet esse falsum: ergo omnia peccata humana à diabolo suggeruntur.

Sed contra est, quòd dicitur in lib. de Ecclesiast. dogmatibus, non omnes cogitationes nostræ malæ à diabolo excitantur, sed aliquoties ex nostri arbitrij motu emergunt.

Respondeo dicendum, quòd occasionaliter quidem & indirectè diabolus est causa omnium peccatorum nostrorum, inquantum induxit primum hominem ad peccandum, ex cuius peccato in tantùm vitiata est humana natura, vt omnes ad peccandum procliues simus: sicut diceretur esse causa combustionis lignorum, qui ligna siccaret, ex quo sequeretur, quòd facilè incenderentur. Directè autem non est causa omnium peccatorum humanorum, ita quòd singula peccata persuadeat. Quod Origines probat ex hoc, quia etiam si diabolus non esset, homines haberent appetitum ciborum & venereorum, & similium: qui posset esse inordinatus, nisi ratione ordinaretur, quod subiacet libero arbitrio.

Lib. 3. periar. ca. 2.

Ad primum ergo dicèdum, quòd multitudo dæmonum est causa omnium malorum nostrorum, secundùm primam originem, vt dictum est.

In corpor. art.

Ad secundum dicendum, quòd non solùm fit seruus alicuius, qui ab eo superatur, sed etiam qui ei voluntatiè se subijcit: & hoc modo fit seruus diaboli, qui motu proprio peccat.

Ad tertiũ dicendũ, quòd peccatũ dia-

diabolifuit irremediabile, quia nec aliquo ſuggerente peccauit, nec habuit aliquam pronitatem ad peccandum ex præcedenti ſuggeſtione cauſatam, quod de nullo hominis peccato dici poteſt.

Concluſio. S. Thom.

HAnc eandem quæſtionem diſputauit Sanct. Thom. 1. part. quæſt. 114. art. 3 vbi ad verbum eodem modo loquitur, & concluſio eius eſt certa. Quæ eſt reſolutio Origin. 3 lib. Periarchon. cap. 2. & Authoris lib. de Eccleſiaſt. dogmatib. inter opera Auguſt. quos S. Thom. allegat, & etiam Nazianz. lib. ſententiarum, quas carmine ſcripſit, ſentent. 52. Facilè conſtat; nam in nobis eſt appetitus ſenſitiuus, poſt peccatum originale deprauatus, qui poteſt ad peccatum mouere: imò externa obiecta, & occaſiones, etiam diabolo non ſuggerente, ſufficiunt inducere ad peccatum. Aliquos verò Patres, qui oppoſitum aſſere re videntur, vt Dionyſ. 4 cap. de diuin. nomin. Auguſt. ſermon 68. ad fratres in eremo. eundem Originem hom. 15. in lib. Ioſue, & Damaſc. lib. 2. fidei ortho. cap. 4. interpretatur Sanct. Thom. vt omnia peccata dicant prouenire ex ſuggeſtione diaboli indirectè, quatenus ex eius ſuggeſtione proceſſit primum Adami peccatum: quod fuit radix & origo cæterorũ. Poſſunt etiam exponi, vt aſſerant id quod regulariter, & frequenter euenit, quamuis non in vniuerſum & ſemper.

Origen. Auguſt. Nazianz. Dionyſ. Auguſt. Origen. Damaſc.

QVÆSTIO LXXXI.

De cauſa peccati ex parte hominis, in quatuor articulos diuiſa.

DEinde cõſiderandum eſt, de cauſa peccati ex parte hominis. Cum autem homo ſit cauſa peccati alteri homini exteriùs ſuggerendo, ſicut & diabolus habet quendam ſpecialem modum cauſandi peccatum in alterum per originem: vnde de peccato originali dicendum eſt. Et circa hoc tria conſideranda occurrunt. Primo, de eius traductione. Secundò, de eius eſſentia. Tertiò, de eius ſubiecto.

ET CIRCA PRIMVM quæruntur quinque.

PRimò, Vtrum primum peccatum hominis deriuetur per originem in poſteros. Secundò, Vtrum omnia alia peccata primi parentis, vel etiam aliorum parentum, per originem in poſteros deriuentur. Tertiò, Vtrum peccatum originale deriuetur ad omnes, qui ex Adam, per viam ſeminis generantur. Quartò, Vtrum deriuaretur ad illos, qui miraculoſè ex aliqua parte humani corporis formarentur. Quintò, Vtrum ſi fœmina peccaſſet, viro non peccante, traduceretur originale peccatum.

Introductio ad doctrinam de peccato originali.

DOctrinam de peccato originali inſerit Sanct. Thomas hoc loco, quia cum diſputatio de peccatis ſuſcepta ſuo ordine exigeret, vt ageretur de cauſa peccati ex parte hominis, & homo homini dupliciter poſsit eſſe cauſa peccati, vno modo inducendo ipſum ad peccatum actuale: alio modo transferendo peccatum per originem, in primo nulla erat difficultas, eadem enim ratio eſt de cauſalitate hominis, & diaboli, de qua in præcedenti quæſtione actum eſt, & ideò Sanct. Thomas ex profeſſo agit de ſecundo. Eſt autem hæc doctrina Theologis admodum neceſſaria, quia verſatur circa vnum ex præcipuis fidei dogmatibus, & ex quo plurima Chriſtianæ fidei documenta pendent. Nam vt dicit Auguſtin. 1. contra Iulian. capit. 6. *Quædam ſunt in quibus doctiſſimi, atque optimi Catholicæ veritatis defenſores ſalua fidei cõpage inter ſe diſſident, & alius alio melius, aliquid dicit, & verius: hoc autẽ, de quo nũc agimus, ad ipſa fidei pertinet fundamenta. Quiſquis enim in Chriſtiana doctrina vult labefactare, quod ſcriptum eſt, per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum, ſicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto, omnes viuificantur, totum quod in Chriſtum credimus conatur euertere.* Quia autem hæc veritas adeò erat cognitu neceſſaria, multipliciter diabolo ſuggerente ab hæreticis impugnata eſt.

De peccato originali disputarunt doctissimi viri tam antiqui, quàm recentiores. quorum dux est Augustin. cuius tempore primum controuersia de peccato originali ex citata est, in pluribus libris qui habentur. 7. tomo suorum operum, vt lib. de gratia Christi, & peccato originali, tribus libris de peccatorum meritis, & remissione, duobus libris de nuptijs & concupiscentia, sex contra Iulianum, quatuor contra duas epistolas Pelagianorum, & alijs epistolis, & tractatibus. Præterea Prosper in responsione ad obiecta Genuensium. Fulgent. in lib. de gratia Christi. Hugo de Sancto Victore primo lib. de sacram. part. 7. Anselm. in lib. de conceptu virginali, Magister & Scholastici in. 2. dist. 30. & 31. S. Thom. his tribus quæstio. & 4. cont. gent. cap. 50. & eius expositores eisdem locis, Albertus Pigius controuers. 1. Catherinus in opusculo quodam de casu hominis, & peccato originali. Decanus Lobaniens. in explicatione secundi articuli contra Lutherum, Sotus in. 1. lib. de natura & gratia, Vega lib. 2. ad 6. sessionē Concil. Trident. Corduba lib. 1. quæstionarij q. 10. Driedo in lib. 1. de gratia, & libero arbitrio tract. 3. & plures alij quos refert Bellarmin. lib. 4. de statu peccati capit. 1. qui etiam latissimè & doctissimè de hac re agit.

August. Prosper. Fulgen. Hugo. Anselm. Magist. Alber. Pigius. Catherin. Ricardus. Sotus. libro 1. de natu. Pigra. cap. 7. Vega. Corduba. Driedo. Bellarmin.

ARTICVLVS I.

Vtrum primum peccatum primi parentis traducatur per originem in posteros.

3. q. 19. ar. 4. ad 1. & 2. di. 33. q. 1. ar. 1. & 4. contra. Ca. 50. 51. & 52. & mal. q. 4. a. 1. & opus 3. ca. 201. & 202. 203. & 204. & Roman. 5. lectio. 3.

AD primum sic proceditur. Videtur quòd primum peccatum primi parentis, non traducatur ad alios, per originem. Dicitur enim Ezech. 18. Filius non portabit iniquitatem patris, portaret autem si ab eo iniquitatem traheret: ergo nullus trahit ab aliquo parentum per originem aliquod peccatum.

Secundò præterea. Accidens non traducitur per originem, nisi traducto subiecto, eo quòd accidens non transit de subiecto in subiectum: sed anima rationalis quæ est subiectum culpæ non traducitur per originem, vt primo ostensum est: ergo neque aliqua culpa per originem potest traduci. Quæst. 118 art. 2.

Tertiò præterea. Omne illud quod traducitur per originem humanam causatur ex semine: sed semen non potest causare peccatum eò quòd caret rationali parte animæ, quæ sola potest esse causa peccati: ergo nullū peccatū potest trahi per originē.

Quartò præterea. Quod est perfectius in naturā, virtuosius est ad agēdum, sed caro perfecta non potest inficere animam sibi vnitā, alioquin anima, non posset emundari à culpa originali dum est carni vnita: ergo multò minùs semen potest inficere animam.

Quintò præterea Philosophus dicit, in 3. Ethicor. quòd propter naturam turpes, nullus increpat, sed eos qui propter desidiam, & negligentiam: dicuntur autem natura turpes, qui habent turpitudinem ex sua origine: ergo nihil quod est per originem, est increpabile, nec peccatum. Ca. 5. ame.

Sed contra est, quòd Apostolus dicit Roman. 5. Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, quod nō potest intelligi per modū imitationis, vel incitationis, propter hoc quod dicitur Sapient. 2. Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum: restat ergo, quòd per originem ab homine peccatum in mundum intrauit.

Respondeo dicendum, quòd secundùm fidem catholicam est tenendum, quòd primum peccatum primi hominis originaliter transit in posteros: propter quod etiam pueri mox nati deferuntur ad baptismum tanquam ab aliqua infectione culpæ abluendi. Contrarium est autem hæresis Pelagiana, vt patet per Augustinum in plurimis suis libris. Lib. 3. retract. c. 9. Ad inuestigandum autem qualiter pec-

ad fin. to. 1 li. 3. cõtra Iul. ca. 1. a med. to. 7. & li. de bo. perſeuer. c. 11. & 12. to. 7.

peccatum primi parentis originaliter poſsit tranſire in poſteros, diuerſi diuerſis vijs proceſſerunt. Quidam enim conſiderantes, quòd peccati ſubiectum eſt anima rationalis, poſſuerunt, quòd cum ſemine rationalis anima traducatur, vt ſic ex infecta anima, infectæ animæ deriuari videantur. Alij verò hoc repudiantes tanquam erroneum, conati ſunt oſtendere, quomodo culpa animæ parentis traducitur in prolem, etiam ſi anima non traducatur, per hoc quòd corporis defectus traducuntur à parente in prolem: ſicut leproſus generat leproſum, & podagricus podagricũ, propter aliquã corruptionem ſeminis, licet talis corruptio non dicatur lepra vel podagra. Cum autem corpus ſit proportionatum animæ & defectus animæ redundent in corpus & ê conuerſo: ſimili modo dicitur, quòd culpabilis defectus animæ per traductionem ſeminis in prolem deriuatur, quamuis ſemen actualiter non ſit culpæ ſubiectum. Sed omnes huiuſmodi viæ inſufficientes ſunt; quia dato quòd aliqui defectus corporales à parente tranſeant in prolem per originem, & etiam aliqui defectus animæ ex conſequenti, propter corporis indiſpoſitionem, ſicut interdum ex fatuis fatui generantur: tamen hoc ipſum, quod eſt ex origine aliquem defectum habere, videtur excludere rationem culpæ, de cuius ratione eſt, quòd ſit voluntaria: vnde etiam poſito, quòd anima rationalis traduceretur, ex hoc ipſo, quòd infectio animæ prolis non eſſet in eius voluntate, amitteret rationem culpæ obligantis ad pœnam, quia vt Philoſop. dicit in. 3. Ethicor. Nullus improperabit cęco nato, ſed magis miſerebitur. Et ideò alia via procedendum eſt dicendo, quòd omnes homines qui naſcũtur ex Adam poſſunt conſiderari, vt vnus homo in quantum conueniunt in natura, quam à primo parente accipiunt, ſecundùm quòd in ciuibus omnes homines, qui ſunt vnius communitatis reputantur quaſi vnum corpus, & tota communitas, quaſi vnus homo, ſicut etiã Porphyrius dicit, quòd participatione ſpeciei plures homines, ſunt vnus homo. Sic igitur multi homines ex Adam deriuati ſunt tanquam multa membra vnius corporis: actus autem vnius membri corporalis, puta manus, non eſt voluntarius voluntate ipſius manus, ſed voluntate animæ, quæ primo mouet membrum. Vnde homicidium quod manus cõmittit, nõ imputaretur manui ad peccatum, ſi conſideraretur manus ſecundùm ſe, vt diuiſa à corpore, ſed imputatur ei inquantùm eſt aliquid hominis, quod mouetur à primo principio motiuo hominis. Sic igitur inordinatio, quæ eſt in iſto homine ex Adam generato, non eſt voluntaria voluntate ipſius, ſed voluntate primi parentis, qui mouet motione generationis omnes, qui ex eius origine deriuantur, ſicut voluntas animæ mouet omnia membra ad actum: vnde peccatum quod ſic à primo parente in poſteros deriuatur, dicitur originale; ſicut peccatum quod ab anima deriuatur, ad mẽbra corporis, dicitur actuale: etſi cut peccatum actuale, quod per mẽbrum aliquod committitur, non eſt peccatum illius membri, niſi in quantum illud membrum eſt aliquid ipſius hominis, propter quod vocatur peccatum humanum. Ita peccatum originale, non eſt peccatum huius perſonæ, niſi inquantùm hæc perſona recipit naturam à primo parente: vnde & vocatur peccatum naturæ ſecundùm illud Epheſ. 2. Eramus natura filij iræ.

In prædi. ea de ſpecie a medio illius to. 5.

Cap. 5. to. 5.

Ad primum ergo dicendum, quòd filius dicitur non portare peccatum patris, quia non punitur pro

peccato patris, nisi sit particeps culpæ: & sic est in proposito: deriuatur enim per originem culpa à patre in filium, sicut & peccatum actuale per imitationem.

Ad secundum dicendum, quòd & anima non traducatur, quia virtus seminis non potest causare animam rationalem, mouet tamen ad ipsum dispositiuè: vnde per virtutem seminis traducitur humana natura à parente in prolem, & simul cum natura naturæ infectio. Ex hoc enim fit iste qui nascitur, consors culpæ primi parentis, quòd naturam ab eo sortitur per quandam generatiuam motionem.

Ad tertium dicendum, quòd etsi culpa non sit actu in semine, est tamen ibi virtute humanæ naturæ, quam concomitatur talis culpa.

Ad quartum dicendum, quòd semen est principium generationis, quæ est proprius actus naturæ, eius propagationi deseruiens: & ideò magis inficitur anima per semen, quàm per carnem iam perfectam, quæ iam determinata est ad personam.

Ad quintum dicendum, quòd illud quod est per originem, non est increpabile, si consideretur iste qui nascitur secundùm se: sed si consideretur prout refertur ad aliquod principium, sic potest esse ei increpabile; sicut aliquis qui nascitur, patitur ignominiam generis ex culpa alicuius progenitorum causatam.

Conclusio huius articuli est. Propter primum peccatum Adami deriuari in eius posteros aliquod peccatum per generationem, quod participatur à singulis hominibus, & est voluntarium voluntate primi parentis non propria.

In hoc articulo multa breuiter comprehendit Sanct. Thomas in quibus præcipua doctrina de peccato originali consistit, quæ paulò latiùs disputanda, & explicanda sunt.

DISPVTATIO XLII.

Vtrum ex peccato Adami deriuetur aliquod peccatum in posteros.

Hæc prima difficultas pertinet ad quæstionem, an est. Circa quam primus omnium Pelagius Monachus Palæstinus circa annum salutis. 415. docuit, pueros nihil omnino peccati ex peccato primi parentis contrahere, mortem verò, & alios defectus, & ærumnas, quas homines in se ipsis experiuntur, esse illis naturales, talesque homines nasci post peccatum Adami, quales nascerentur ante peccatum. Hunc errorem refert Augustin. lib. superius allegatis. & lib. de hæresibus, hæres. 88. Vt verò Pelagius satisfaceret authoritatibus Scripturæ, quæ significant primum hominem induxisse peccatum in posteros, dixit, à primo homine inductum fuisse peccatum in mundum, non quidem per veram propagationem, sed per imitationem, quatenus primus homo peccans, se ipsum præbuit exemplum peccati, & inobedientiæ, quē omnes qui peccant imitantur. Deinde Pelagij discipuli, (vt testatur Augustin. 4. libro contra duas Epistol. Pelagi. cap. 2. & 4.) conuicti Catholicorum argumentis, tandem concesserunt, primum Adæ peccatum omnibus suis posteris nocuisse, non quia aliquod verum peccatum contraxerint, sed quia cōtraxerunt mortem, & alias pœnas, & peccatum illud in tota natura punitum est. Eundem errorem postea secuti sunt Armenij, vt refert Castro lib. 12. verbo, *Peccatum*, hæres. 1. & Albanenses seu Albigenses, vt referunt Antoninus. 4. part. tit. 7. capit. 11. §. 5. & Sandærus lib. 7. de visibili Monarchia: secutus est etiam Petrus Abaylardus, vt constat ex Bernardo Epistola. 188. & nostris temporibus eum suscitarunt Anabaptistæ, & Zuinglius, & Petrus martyr, & alij hæretici ex Lutheri discipulis, contra quos recentiores supra relati scripserunt, qui licet, vt solent, differant in aliquibus sententijs, consentiunt tamen in assertione negante, quibus adnumerantur Iacobus faber Stapulensis in commentarijs Epistolæ ad Roman. & Erasmus in annotationibus ad capit. 5. eiusdem Epistolæ, qui planè senserunt cum Pelagio, dicētes primum homi-

Pelagij error.

Quomodo exponebat Scripturā.

Pelagianorum additamētum.

Armenij Alba. seu Albig. Ex Castro Sandero & Anton. Abaylar. Ex Bern. Anabap. Zuingl. Petrus mar.

Stapul. Erasmus.

hominem induxisse peccatum per imitationem, & non per veram propagationem. Erasmus verò notatus de hoc errore in alia æditione ostendit se velle purgare, sed re vera nihil firmum dixit pro catholica veritate, & contra hæreticos.

purgat se Lamnio.

Ad confirmationem huius erroris sumunt hæretici argumenta ex tribus capitibus. Primò, ex Sacra scriptura ex qua obijciunt illud Ezech. 18. *Filius non portabit iniquitatem patris*, & ad Roman. 4. *Vbi non est lex* (non est autem in his qui recens nati sunt) *nec prævaricatio*, & cap. 7. *sine lege peccatum mortuum erat in mundo*. Et ne quis dicat pueros capaces esse legis vt ea obligentur, licet illam non cognoscant; instant, Paulum loqui de lege cognita, cuius nō sunt capaces pueri: propterea enim cap. 7. dicit *peccatum non cognoui nisi per legem*, & capit. 3. *Per legem enim cognitio peccati*. Addunt illud ad Roman. 5. Regnauit mors ab Adam etiam in eos, qui non peccauerunt, vbi Paulus supponit, post prævaricationem Adæ mortem contigisse aliquibus, in quibus non fuit peccatum. Et denique 2. ad Corinth. 5. dum dicitur. *Omnes nos oportet præsentari ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque prout gessit in corpore, siue bonum, siue malum.* Videtur excludi à ratione peccati, quod homo non gesit, & propria actione, dum esset in corpore, contraxit.

Primum argumentū pro hæreticis. *Ezech. 18.* *Rom. 4.* *Roman. 7.* *Roman. 3.* *Roman. 5.* *2. Cor. 5.*

Tertium.

Tertiò pugnant rationibus, & potissimè solent obijcere tria, quæ in peccato originali difficilia sunt. Primum, quis de fœtus deriuatur ab Adam qui habeat rationem culpæ? Secundùm, quomodo ei potest competere vera ratio voluntarij ad peccatum requisita? Tertiùm, qua ratione potest per originem, & generationem traduci? Sed singula istorum singulis disputationibus tractanda sunt. Videtur sibi præterea à diuina misericordia alienum, tantam hominum multitudinem condemnare propter vnius peccatum, & præcipuè paruulos alias innoxios, & qui nullum propria voluntate ad misserunt flagitium. Denique opponūt, peccatum Adami, non fuisse efficatius ad nocendum, quàm Christi iustitia fuerit ad saluandum; sed iustitia Christi nihil prodest non credentibus, ergo nec peccatum Adæ obest non consentientibus, aut imitantibus.

Rationes. *Prima.* *Secunda.*

Catholica doctrina.

Sed fides Catholica constanter docet propter peccatum Adami traduci in omnes homines aliquod peccatum, quod contrahunt cum natura ipsa per generationem, & originem. Hæc conclusio probanda est principijs & argumentis, quibus fidei veritates confirmari solent. Primum sacra Scriptura, in qua tam in nouo, quàm in veteri testamento sunt authoritates expressæ. In veteri testamento primum testimonium Iob. 14. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine, nisi tu qui solus es?* scilicet mundus: vbi apertè dicitur, homines semine immundo concipi, & immunditiam contrahere. Est autem sermo de immunditia spirituali quæ à solo Deo mundatur, & quam alius mundare non potest propria virtute, & qua solus Deus caret, qui solus mūdus est à peccato natura sua. Hoc verò testimonium iuxta versionem 70. interpretum efficacius est, quæ sic habet. *Nemo mundus â sorde, neque infans cuius vita est vnius diei super terram.* Secundum testimonium est in Psalm. 50. *Ecce enim*

Probatur ex veteri testamēto. *Iob. 14.* *Psalm. 50.*

Secūdum. Clemens Alexand. Arnob. Theodor. Ambros. *Hieron.* *Chrisost.* *August. Chrisost.*

Secundò ex Patrū testimonijs: & adducunt authoritates quasdam, Clementis Alexandrini tertio Stromatum ad finem. Arnobij in Psalm. 50. Ambrosij super ad Roma. 5. & Theodor. in eundem locum, & in Epitome diuinorum decretorum. cap. 12. Sed eas omitto, quia nullam efficatiam habent, & ex ipsis verbis facilè explicari poterunt. Adducunt etiam Hieron. in commentario Epistolæ ad Roman. cap. 5. Sed commentarius ille communi omnium eruditorum consensu non censetur Hieron. sed ipsius Pelagij, vel Pelagiani alicuius: quare non est mirum si apertè Pelagianorum dogma tradiderit. Adducunt denique Chrisostom. qui obscurè locutus est homil. 10. super Epistolam ad Roman & homil. 29. super primam epistolam ad Corinth. & homil. ad Neophitos, propter quod tam antiqui, quàm recentiores Pelagiani sibi patronum esse existimant, sed ab hac calumnia egregiè defendit Chrisostom. Augustin. lib. 1. contra Iulianum. Et certè si attentè legatur, non so-

lùm nihil Pelagianis fauet, sed eisdem tribus homil. & homil. 40. super primam ad Corinth. & alijs locis apertissimè tradit veram doctrinam de peccato originali. Quare in hoc argumento non est nobis amplius laborandum, legatur Augustinus illo loco, & Sixtus senensis lib. 6. Bibliothecæ sanctæ annotatio. 236. & 237. & 238. & 240. & Belarm. lib. 4. de statu peccati cap. 9.

enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Iniquitates in quibus Dauid fatetur se fuisse conceptum, iniquitates propriè dictæ sunt; non enim est, quare vocem ad impropriam significationem detorqueamus. Præterea, propriam iniquitatem in conceptione contractam exponit, ne quis dicat iniquitates illas parentum fuisse, non proprias: cum enim conceptus fuerit ex honesto matrimonio, quis affirmet interuenisse peccatum parentum in eius generatione? Denique verbũ Hæbreũ חוללתי *holalelhi*, quod respõdet verbo *conceptus*, & יחמתני *iehemathenj* quod respondet verbo *concepit*, non significant actũ generãdi, sed formationẽ fœtus, quæ fit intra matris vterum, postquam iam generantium actio cessauit, & non potuit esse generationis peccatum. Neque obstat si dicitur conceptus in iniquitatibus in numero plurali, nam frequenter Scriptura plurali pro singulari vtitur. Et præterea peccatum originale potest plurari numero significari, quia quamuis sit vnum in singulis, est tamen radix, & principiũ plurium peccatorum. Duo alia testimonia adduci solent ex Genes. 17. & Oseæ. 6. quæ inferius attingam disputatio. 43.

Gen. 17.
Oseæ. 6.

Burgen.
Galatin.
Porchetus.

Omitto etiam quæ ad hoc probandum ex veteri testamento adducunt Burgensis in Scrutinio scripturarum part. 1. dist. 6. cap. 2. & sequentibus, & Galatinus lib. 7. cap. 5. & Porchetus in libro de Victoria verbi Dei. 1. part. cap. 17. & alij contra Iudæos disputantes, quæ apud eos videri possunt.

Ex nouo.
Ioan. 2.

In nouo verò testamẽto varijs locis hęc veritas traditur. Primus Ioan. 2. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, quo loco in græco non est in plurali, peccata, sed in singulari, peccatũ, cũ articulo demõstratiuo, qui æquiualet nostro pronomini, *illud*, τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, quasi dicas, *Ecce qui tollit illud peccatum mundi*, non est autem aliud peccatum, quod signanter dici possit. *Illud peccatum mundi*, nisi peccatum originale, in nostra versione legitur in plurali sicut in Psalm. 50. Secundus. 2. ad Corinth. 5. vbi sic Paulus argumentatur *Si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, & Christus pro omnibus mortuus est*: quasi subiaferendum relinquat: *ergo omnes mortui sunt*: loquitur autem Paulus de morte animæ, nam subdit. *Vt qui viuunt, iam nõ sibi viuant, sed ei qui pro omnibus mortuus est.* Tertius ad Ephes. 2. *Nos natura filij iræ sicut cæteri*, sicut cæteri, idem est, ac sicut omnes: Antiqui & noui Pelag. fugiunt hoc testimonium asserentes, non esse legendum, *natura filij iræ*, sed *omnino*, *vel prorsus filij iræ*, quam lectionem nõ reprobat Hieronymus in commentario eiusdem loci. Augustin. autẽ. 6. cõtra Iulian. cap. 4. reprobat ipsam tanquam temerariam, & impudentem, est enim contra communẽ Ecclesiæ authoritatẽ, in omnibus enim latinis versionibus habetur, *natura filij iræ*, & omnes Patres græci in eo dẽ sensu accipiũt. Sed quamuis admittamus lectionẽ hæreticorum, nõ eneruatur argumenti efficacia, quomodo enim omnes prorsus sunt filij iræ, id est, digni indignatione, & ira Dei; nisi est aliquod peccatũ commune, à quo nullus excipiatur? Quartus. 1. Corint. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.*

Ephes. 2.

Fuga hæreticorum.

Refellitur ab Augu.

1. Cor. 15.

Sed potissmè asseritur hæc veritas 5. cap. Epistolæ ad Roma. in quo cum Paulus præmisisset, Christum pro nobis fuisse mortuum cum essemus impij, peccatores, & inimici Dei, vt nos iustificaret, & reconciliaret Deo, vt hoc magis explicet ingerit sermonem de peccato originali dicens. *Propterea sicut per vnum hominem peccatum introiuit in mundum, & per peccatum mors, ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt*, & infra. *Nam iudicium quidem ex vno*, scilicet delicto, *in condemnationem, gratia autem ex multis delictis, in sanctificationem*: & infra *sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, ita per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem: sicut enim per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita per vnius obeditionem iusti constituentur multi.*

Roma. 5.

Huius argumenti efficatiam eludere conantur hæretici, tripliciter exponendo seu potius deprauando locum. Prima expositio dicit, peccatum per vnum hominem intrasse in mundum, quia tunc primò peccatum fuit in mundo, cum homo ille peccauit, cum antea non esset. Sed expositio hæc fribola est; nam licet vtcunque explicaret verba illa, *per vnum hominem peccatum intrauit in mundum*, non tamen cætera omnia, quia illud. *In quo omnes peccauerunt, &c.* non admittit hunc sensum. Sed neque etiam verbis prioribus aptari potest; falsum est enim tunc primò peccatum fuisse in mundo

Hæreticorum solutiones.

Prima.

Futilis.

2. Cor. 5.

mundo quando Adam peccauit, nam si sermo sit de mundo tam visibili, quàm inuisibili peccatum incepit à diabolo, quia ille primus peccauit; si autem sermo sit de mundo visibili peccatum incepit in Heua, illa enim prius peccauit, quã Adam. Nec possunt verba Pauli referri ad Heuam, nam tam in textu græco, δι' ἑνὸς ἀνθρώπου, quàm in latino illud, *per vnum hominem*, est generis masculini, nec potest pro Eua supponere. *Ambros.* Quare non bene Ambros. in commentarijs huius loci, (vel quicunque est author commentariorum, qui Ambrosio adscribuntur) retulit hæc verba ad Heuã, non enim consonat textui, & est contra communem aliorum Patrum, & expositorum intelligentiam.

Secunda. Secunda expositio, cum dicitur peccatum per vnum hominem intrasse, nomine peccati intelligit, non peccatum verum & proprium, sed effectum & pœnas peccati, per metonimiam effectum nomine causæ exprimendo, quomodo Paulus infra cap. 7. & 8. fomitem appellat peccatum, quia est effectus & causa *Insufficiẽs.* peccati. Hæc etiam expositio falsa est, & insufficiens; nam nomine peccati significari hîc verum & proprium peccatum, patet ex contextu; de eo enim peccato sermo est, de quo verificatur omnes peccasse, & omnes constitutos esse peccatores, & reos condemnationis, & inimicitiæ Dei, à quo fuerunt iustificati per Christum, & reconciliati Deo, quæ omnia de pœna peccati verificari non possunt.

Tertia. Tertia expositio, quando dicitur peccatum intrasse in mundum per vnum hominem, intelligit de ingressu non per propagationem, sed per imitationem. Hæc expositio fuit ipsius Pelagij, quæ placuit Erasmo; & contra eam disputat Augustin. lib. 1. de peccatorum meritis & remissione capit. 9. & Epistola. 89. ad *Inepta.* Hilarium quæst. 3. & est non minùs inepta, quàm præcedentes, & multipliciter impugnari potest, sed sufficiant tria argumenta ex ipso textu. Primum, quia *Secundi-* non verificatur illud, *in quo omnes peccauerunt*, & *iudicium in omnes in condemnationem*, & *peccatores constituti sunt multi*; si *tur.* enim Adam in luxit peccatum sola imi- *Primò.* tatione, erunt solum peccatores, & damnabiles qui imitantur ipsum; plurimi autem non imitantur, nam non solùm pueri qui ante vsum rationis decedunt, sed etiam adulti, etsi peccent, non imitantur Adamum: ille enim imitatur alterum, qui illum cognoscit, & proponit sibi exemplum ad operandum, sunt autem innumeri homines, qui nullam notitiam habent peccati Adami, & qui eam habent, non semper dum peccant, illum cogitant, neque ipsum vt exemplar aspiciunt. Secundò non verificatur, *& per peccatum mors, & ita* (id est non aliter, nec alia ex causa) *in omnes homines mors pertransijt*; nam mors per peccatum inducta in eos tantùm haberet ius, qui imitarentur peccatum Adami, cum tamen experientia constet, & Paulus dicat in omnes homines mortem pertransisse. Tertiò, non verificatur similitudo, & comparatio, quam Paulus eodem loco statuit inter Adamum & Christum, dicẽs, Adamum esse formam futuri, ideſt, similitudinem Christi, Nam in primis non sunt similes in causalitate vniuersali, per imitationem enim, in pauciſsimos homines deriuatur peccatum ab Adamo, redemptio autem Christi vniuersalis est, & ad omnes homines extenditur. Deinde nec in efficacia, nam Christus, non tantùm per imitationem est causa nostræ iustitiæ, sed per veram propagationem, & efficientiam: his autem duobus sublatis, leuis, & friuola esset comparatio inter Adam & Christum, nec à Paulo adeò cõmendanda, vt propterea constitueret Adamum caput omnium hominum in peccato, sicut Christum in iustitia.

Secundo.

Tertiò.

Alia solutio. Denique conantur hæretici effugere, hoc argumentum, mutando aliqua verba lectionis, mutant id, *in quo omnes peccauerunt* in *quatenus*, vel *in quantum omnes peccauerunt*. Sed hæc peruersio literæ, *Depraua-* præter quam, quod est impudens contra *tio lectio-* omnes Patres Græcos, & Latinos, & cõ- *nis.* tra fidelitatem versionis, nihil omnino iuuat hæreticos; nam eandem efficatiam habet testimonium siue legatur: *In quo omnes peccauerunt*, siue *in quantum omnes peccauerunt*. Si enim legatur, *in quantum omnes peccauerunt*, sensus est intantùm mortem intrasse in omnes, in quantùm omnes peccauerunt, cum ergo mors in omnes intrauerit, sequitur etiam peccasse omnes. Secundò dicunt non esse legendum. *Et ita in omnes homines mors pertransijt*, sed *mors peruasit*. Quæ mutatio inutilis est, quia peruadere nõ significat aggredi, aut inuadere, vt ipsi volunt, qua ratione forte enerueret vim testimonij; sed

Refellitur.

signi-

significat ad finem viæ peruenire vi quadam, & impetu, viam parãdo, quod idem est, ac transijt. Tacitus lib. 2. *Nisi corporis, & impetu equi peruasit.*

Probatur definitione Ecclesiæ.

Secundò probatur hæc veritas definitione Ecclesiæ, fuit enim Pelagiana hæresis sæpius damnata eius decreto, tam à Concilijs, quàm à Summis Pontificibus. In Concilijs extant definitiones Concilij cuiusdam Palæstini, in quo Pelagius suum errorem retractauit, licet dolosè, & palliatis verbis, cuius Concilij meminit August. lib. 1. contra Iulian. & Epistola. 106. & Concilij Milleuitani confirmati ab Innocent. 1. & duorum Carthaginensiũ, vnum celebratum est præsente August. & confirmatum ab Innocentio. 1. alterum sub Sozimo Papa, ab eodem approbatum, cuius meminit Prosper in Cronico ad annum. 420. & Concilij Arausica. 2. confirmati à Leone. 1. & Concilij Toletani. 6. & Concilij cuiusdam Moguntini, & Concilij generalis Florentini, in decreto vnionis Armenorum, & nouissimè Concilij Tridentini sessione 5. in decreto de peccato originali. Ex Pontificibus autem damnauerunt hunc errorem Innocent. primus in Epistolis ad Concil. Cartaginen. & ad Concil. Milleuita. quæ sunt vigesima quinta, & vigesima sexta inter eius Epistolas, & 91. & 93. inter Epistolas Augustin. Sozimus in Epistola ad Episcopos totius orbis, quæ non extat, sed eam referunt Augustin. Epistola. 107. & Cœlestinus primus in Epist. 1. ad Gallos. Leo primus Epistola ad Nicætam quæ est. 86. & Grego. Magnus in Epistola ad Secundinum libro. 7. Regiſtri Epistola. 53.

Cõcili. Palæstin.

Milleuit. Carthagi. Cartag.

Arausica. Toletan. 6. Mogunt. Florent.

Trident.

Innocen. 1.

Sozimus.

Cœlesti. 1. Leo. 1. Gregor. 1.

Probatur ex Patribus.

Tertium argumentum fit Sanctorum Patrum authoritate, quorum testimonia breuitatis causa omitto, eò quod facilè inueniri poterunt apud authores, quos in principio allegaui. Aug. lib. 1. & 2. contra Iulian. refert fere omnes Patres antiquiores se; neque hæretici negant hunc Patrum consensum.

Rationes.

Quartò potest confirmari rationibus, & quidem rationes naturales non suppetunt, est enim hoc mysterium supra rationem naturalem omnino, sed sunt rationes Theologicæ efficacissimæ ex principijs fidei. Prima, ex vniuersali redemptione Christi, Christus est redemptor omnium, & mortuus est pro omnibus etiam pro paruulis, sed

Prima.

Christus mortuus est pro peccatis, ergo omnes, etiam paruuli, peccati rei sunt: maior est expressa. 2. ad Corinth. 5. & 1. ad Thimoth. 1. minor verò Isai. 53. ad Roman. 5. 1. Petri. 3. & alijs pluribus locis. Secunda ratio ex baptismatis necessitate, & effectu. Omnes, etiam paruuli, indigent baptismo, sed baptismus institutus est in remissionem peccatorum, & hic est primus, & potissimus eius effectus, ergo omnes habent peccatum: maior constat ex vniuersali, & perpetua Ecclesiæ traditione, quæ docuit baptizare paruulos ante vsum rationis, & Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto*, &c. Et eam non negant Pelagiani, sed dicunt, paruulos baptizari non in remedium peccati, sed vt eis aperiatur ianua regni cœlestis: sed hanc solutionem excludit minor propositio argumenti propositi, quæ est de fide. Quæ probatur ipsa forma baptismi; nam illud verbum, *baptizo*, seu *abluo* superfluè, & falsò appositum esset, si baptismi effectus non est abluere peccatũ. Secundò ex his quæ baptismati tribuuntur in sacra Scriptura, nam tribuitur illi regenerare, Ioan. 3. & ad Titum. 3. tribuitur lauare & mundare, ad Ephes. 5. & Actuum. 22. tribuitur denique reddere hominem peccato mortuũ, ad Roman. 6. & tribuuntur alia his similia. Tertia ratio ex pœnis, quas natura humana patitur post peccatum primi parentis, præcipuè ex morte. Mors, pœna est peccati, & propter peccatum hominibus contingit, sed nullus nõ moritur, ergo nullus caret peccato: maior asseritur ad Roman. 5. *Per peccatum mors*, & ad Roman. 6. *Stipendia peccati mors*, & Sapient. 1. *Deus mortem non fecit, sed impij manibus & pedibus accersierunt illam*: minor autem probatione non eget.

2. Cor. 5. 1. Thi. 1. Isai. 53. Roman. 5. 1. Pet. 3. Secunda.

Ioann. 3.

Ioan. 3. Tit. 3. Ephes. 5. Actu. 22. Roman. 6. Tertia.

Roman. 5. & 6. Sapient. 1.

Argumentis hæreticorum, nõ est difficilè satisfacere. Primum testimonium Ezechiel. 18. duas habet expositiones; primò exponitur de peccato originali, & refertur ad Christi gratiã & redemptionem, qua fit vt filius non portet iniquitatem patris, quia sicut ex Adam processit originale peccatum, sic per Christum liberamur ab ipso. Sic exponit Augustin. in Enchirid. cap. 33, & suadetur ex alio simili loco Ierem. 21. vbi idem alijs verbis promittitur. *In diebus illis*, inquit, *non dicetur amplius Patres*

Diruuntur hæreticorũ fundamenta.

Locus Ezechi. explicatur.

August. Ierem. 21.

nostri

nostri comederunt vuam acerbam & dentes filiorū obstupuerunt, sed vnusquisque in peccato suo morietur. Omnis homo quicunque comederit vuam acerbam, obstupescent dentes eius. Ecce enim dies veniet, dicit Dominus, & feriam domui Iuda, & domui Israel fœdus nouum, &c. In quibus ad literam est sermo de gratia, & redēptione à peccato originali per Christum.

S. Thom. Secundò exponitur, vt exponit Sāct. Thom. in hoc articulo, Ezechielem non loqui de culpa, sed de pœna: non enim promittit, filios non contrahere peccatum deriuatum à peccato parentis, sed non esse puniendos propter solam iniquitatem parētum: peccatum autem originale est vera culpa, propter quam quilibet meritò punitur.

Locus ad Roman. explicatur. Secundum testimoniū explicat Chrisost. homil. 10. in epistolam ad Roman. dicens, peccatum originale non esse ex illo genere, quod in legis transgressione consistit, de quo Paulus loquutus est, cū dixit: *Vbi non est lex, nec præuaricatio*: peccatum enim, quod in legis transgressione cōsistit, est peccatum actuale, & ideò non tam peccatum, quàm præuaricatio vocatur. Præuaricatio enim, actionem significat, quamuis ergo pueri non sint capaces legis, nec illius peccati, quod est legis præuaricatio, non infertur esse à peccato immunens, neque esse incapaces alicuius peccati.

Tertium testimonium Tertium facilè exponitur, quia non dixit Paulus, mortē regnasse in eos, qui non peccauerūt omninò, sed in eos, qui non peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ: hoc est in eos, qui nō peccauerunt imitando Adamum, & peccando peccatum actuale: & nisi Paulus ita explicetur, est manifesta contradictio in paucis verbis: nam proximè dixerat, mortem per peccatum in omnes homines transisse. Solutio est Hieronymi dialogo. 3. contra Pelagianos, circa finem.

Hieron.

Quartū dupliciter. Primò. Dupliciter possunt declarari verba illa quarti testimonij: *Omnes nos oportet præsentari ante tribunal Christi.* Primò, vt sit sermo de solis adultis, nam quamuis paruuli resurrecturi sint, & assistēt iudicio, sed non sunt præsentandi ante tribunal: præsentari enim ante tribunal, est vocari in iudicium, paruuli verò propriè nonsunt iudicandi, iudicium enim ad opera, & actiones pertinet; de adultis autē verè dicitur: *Vt referat vnusquisq; prout gessit in corpore, &c.* Secundò, possunt verba illa intelligi, de adultis, & de paruulis, & omnes dicuntur iudicandi, vt referant prout gesserunt in corpore; sed gessisse in corpore largiùs accipiēdum est, vt se extendat ad id omne, quod imputari potuit, & cuius participes fuerunt. *Secundò.*

Ratio prima dilutur. Ad id verò quod opponitur ex diuina misericordia, respondetur, nihil hìc interuenire, quod diuinæ misericordiæ deroget, nam Deus neminem punit, qui absque peccato, & innocens sit: peccatum verò ipsum non infundit, sed permittit, dumtaxat per originem traduci, quod iustis rationibus, & prudenti consilio facit. Indeverò accepit occasionem incarnatio Christi, quę fuit maximum opus diuinæ misericordiæ. Illa verò Antitheſis Christi, & Adami non meliùs cōstat, quàm asserendo peccatum originale: quemadmodum enim peccatum Adę nocet, non cōsentientibus actu proprio, ita etiam iustitia Christi potest prodesse, non credentibus actu proprio, vt contingit pueris baptizatis.

DISPVTATIO XLIII.

In qua entitate, vel defectu peccatum originale formaliter cōsistat.

GRauissima difficultas circa peccatum originale premit Theologos, dum explicare contendunt, in quo malitia & deformitas huius peccati consistat. Cum enim peccatum sit malum rationi aduersum, difficilimum est explicare, quid omnes ab Adam participemus, in quo inueniatur vera ratio mali ad peccatum sufficiēs: hæc autem disputatio pertinebat ad quæstionem 82. sequentem, vbi Sāct. Thomas agit de essentia peccati originalis, sed mihi visum est hoc loco eam discutere, quia existimo non posse hūc articulum, & alios huius quæstionis intelligi, nisi essentia peccati originalis exponatur. In hoc puncto nihil habemus definitum ab antiquis, solus Augustin. aliquid dixit, nec nimis asseuerantēr: alij verò Patres, & Concilia antiqua disputationum, & definitionum neruos, ad confutandam Pelagianam hæresim, & asserendum originale peccatum intenderunt, & ideò inter Scholasticos variæ opiniones exortæ sunt, & varij modi

di

di explicandi singulas, nec defuerunt errores hæreticorum, imò & catholicorum. Attingemus ergo potiſsimas ſententias, & eam quæ verior videtur amplectemur.

Prima ſententia hæretica, peccatum originale eſſe ſubſtantiam.

Illiricus. PRima ſententia, quæ non tãtùm manifeſta hæreſis eſt, ſed ingens figmentum, fuit cuiuſdam Mathię Illirici, ex diſcipulis Lutheri, qui aſſeruit, vt referunt recentiores contra hæreticos noſtri temporis diſputantes, peccatum originale eſſe ipſum hominis ſubſtantiam, quæ quantùm ad corpus, & quantùm ad animam transformata eſt per peccatum primi parentis, ita vt amiſſerit ſimilitudinem Dei, ad quam facta fuerat, & trãslata fuerit in ſimilitudinem diabolí; ratione cuius facta eſt eſſentialiter, & ſubſtantialiter peccatum. Sed contra hanc hęreſim ſeriò diſputare otioſum eſt, nullus eſt enim, tàm parum in Theologia, & phyſica inſtructus, qui non facilè aduertat, quàm ſit impoſsibilis, & quot abſurda eam conſequantur. Neque enim peccatum Adæ potuit inducere tranſmutationem ſubſtantialem, præſertim animæ, quæ ſpiritalis eſt: neq; explicari poteſt, in quo conſiſtat illa diaboli ſimilitudo; neq; diabolus ipſe eſt peccatum ſubſtantialiter, vt licèt illi homo ſimilis fuiſſet malus euaderet ſubſtantia ſua. Sed ſi placet poteſt breuiter impugnarihis principijs fidei. Primò, quia manifeſtè incidit in Manichæiſm, aſſerens aliquas ſubſtantias eſſe malas, qua tales ſunt, quòd iam dudum damnatum eſt ab Eccleſia. Secundò, quia in doctrina de peccato originali incidit hæc ſententia, in anathematiſmum Concil. Tridentin. quod infra referemus, condemnãtis eos qui aſſerũt peccatum originale per baptiſmum non tolli, ſed radi, aut tegi, quod aſſerẽdum eſt, ſi peccatum originale eſt ipſa ſubſtantia hominis, niſi dicatur in baptiſmo fieri aliam ſubſtantialem methamorphoſim. Prętereà probari poteſt, peccatum originale eſſe aliquid diuerſum à ſubſtantia hominis illis verbis. 1. Ioann. 3. *Omne peccatum eſt iniquitas*, vbi pro verbo, *Iniquitas*, Græcè eſt ἀνομία, id eſt, deuiatio à regula; deuiatio autem à regula, aliquid diuerſum eſt à ſubſtantia. Fundamenta huius hæretici omitto, quia friuola ſunt, neque aliquid habẽt eruditionis, legatur Belar. li. 5. de ſtatu peccati, capit. 3. & Valentia. 1.2. diſp. 6. quæſt. 12. puncto. 1.

Confatatur.

Primo.

Secundò.

Tertiò.

1. Ioan. 3.

Bclarm. Valent.

Secunda ſententia hæretica, peccatum originale eſſe peccatũ actuale.

SEcundã ſententiam, quæ etiam aperta hæreſis eſt, & manifeſtũ delirium Lutherani inuenerũt, qui licèt profiteatur tertiam aſſertionem, ſtatim referendam, ſed ducti à ſpiritu mendacij inconſtanter loquuntur, & plura abſurda inculcant; quare multi ex ipſis dixerũt, peccatum originale eſſe actuales motus inordinatos blaſphemiæ, infidelitatis, & ſimiles, qui nunquam ab homine ſeparantur. Hic error facilè reijcitur cum fides catholica doceat, peccatum originale eſſe in paruulis ante natiuitatem, & ante vſum rationis, in quibus nullus poteſt eſſe motus inordinatus; vt experiẽtia ipſa oſtendit, & ſacra Scriptura apertè docet ad Roman. 9. *Cum nondum nati fuiſſent, nec aliquid boni, vel mali egiſſent*, & Deut. 1. *Filij tui, qui hodie ignorant differentiam boni, & mali.*

Quidã ex Lutheranis.

Reijcitur.

Roman. 9.

1. Deuter.

Tertia ſententia hæretica, peccatum originale eſſe concupiſcentiam.

TErtia ſententia ſatis communis inter hęreticos noſtri temporis eſt, peccatum originale formaliter eſſe concupiſcentiam, vel fomitem, quem Paul. appellat legem membrorum. Hic eſt appetitus ſenſitiuus deordinatus, & propenſus ad malum, & repugnans legi mentis. Concupiſcientiam eſſe peccatum originale, probant ſacræ Scripturæ authoritate, & teſtimonijs Auguſtin. In ſacra Scriptura fomes appellatur peccatum expreſsè ad Romanos. 6. *Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore ad ſeruiendum concupiſcentijs eius*, ideſt, non prævaleat fomes, & concupiſcentia, ita vt dominetur vobis. Ad Rom. 7. *Occaſione accepta peccatum*, ideſt, concupiſcẽtia, per

Lutherani

Probatur Scriptura.

Roman. 6.

Roman. 7.

per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam, & Vt fiat peccatum supra modum peccans, & Iam non ego operer illud, sed quod habitat in me peccatum, & idem videtur significare ad Hebr. 12. cum dixit: *Deponentes omne pondus, & circunstãs nos peccatum.*

Testimonijs Aug. Augustin. verò idem docuit, vt appareret lib. 5. cõtra Iul. cap. 4. & 5. vbi concupiscentiam appellat malum virtuti contrarium, quod per continentiam refrenandum est, & lib. 6. cap. 8. appellat eam iniquitatem, & lib. 2. cap. 3. refert Ambros. qui appellat eam vitium, & iniquitatem, eodem lib. 5. contra Iulian. cap. 3. dicit, vocatum esse peccatum, non tantùm quia sit effectus, vel causa peccati, sed quia peccatum est: *Concupiscentia*, inquit, *carnis, aduersus quã bonus cõcupiscit spiritus, & peccatum est, quia ineſt illi inobœdientia contra Dominũ mentis, & causa peccati, & pœna peccati* Et. 1. li. cõtra duas epistolas Pelagianorum cap. 13. idem repetit dicens, vocari peccatum, quia peccati delectatione mouetur, eodem loco dicit, remitti, vel dimitti, quod propriũ peccati est, & 2. lib. contra Iul. c. 4. *Lex*, inquit, *repugnans legi mentis, quæ etiam in tanti Apostoli membris erat, per baptismum remittitur, sed non finitur.*

Rationibus. Argumentatur etiam ratione, nam concupiscentiæ competunt verè peccati proprietates. Primò enim est Deo odibilis ad Roman. 8. *Sapientia carnis inimica est Deo.* Deinde est etiam nobis odio habenda, ad Roman. 7. *Quod odi malum, illud facio*, & in epistola Iudæ: *Odientes eã quæ carnalis est maculatam tunicam:* & denique est contra legem, & deordinata, quod proprijssimum peccati est, ad Roman. 7. *Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret non concupisces*, & ad Romanos 8. *Legi enim Dei non est subiecta, nec potest.*

Roman. 8. *Roman. 7. Iudas.* *Rom. 7. & 8.*

His argumentis putant hæretici conuinci concupiscentiam esse verè, & formaliter peccatum: inde verò vlteriùs deducunt esse peccatum originale, nam est peccatum communicatum, & traductũ per originem, & inest nobis propter peccatum Adami, & cum non sit peccatum actuale, non potest non esse originale; & quando Augst. in testimonijs, & locis allegatis, concupiscentiam peccatum vocat, de peccato originali loquitur.

Si autem eis obijcias, peccatũ originale remittitur per baptismum, & tamen concupiscentia manet: non ergo concupiscentia est peccatum. Respondent, cum remittitur hoc peccatum in baptismo, non deleri, sed tegi, aut radi, ita vt licet verè maneat, non imputetur, & talẽ existimant esse omnem nostram iustificationem. Id de concupiscentia videtur docuisse August. lib. 1. de nuptijs, & concupiscentia, cap. 25. vbi cum inquireret quomodo si in baptismo fit omnium peccatorum remissio manet concupiscentia? Ad hoc, inquit: respondetur: *Concupiscentiã remitti in baptismo, non vt non sit, sed vt peccatum non imputetur*, & cap. 32: *Ista*, inquit, *remissio peccatorum, quandiu non fit in prole, sic illi lex ista membrorum inest, vt etiam in peccatum imputetur.* *August.*

Prima conclusio. Sed contra hos hæreticos primùm asserẽdum est; concupiscentiam in renatis neq; esse peccatũ originale, neque aliud omnino peccatum. Hęc conclusio est definita in Concil. Tridentin. Sessione 5. in decreto de peccato originali, his verbis: *Si quis dixerit per Iesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in baptismate confertur, reatum peccati originalis, non remitti, aut etiam asserit, non tolli totum id, quod veram, & propriam rationem peccati habet, sed tantùm dicit radi, vel non imputari, anathema sit:* Et infra: *Manere autem concupiscentiam in baptizatis hanc sancta Synodus fatetur, & sentit; quæ cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per Iesu Christi gratiam repugnantibus non valet, &c.* *Probatur decret Cõcil. Tridentin.*

Hoc autem decretum sumptum est ex sacra Scriptura asserente, nullum peccatum manere in baptizatis. Ad Romanos 8. *Nihil ergo nunc damnationis est his qui sunt in Christo Iesu, &c.* Quare sæpiùs dicitur, per baptismum nos mori peccatis, lauari, mundari, regenerari, iustificari, quæ testimonia attigimus præcedenti disputatione. Quãdo ergo aliquoties remissio peccatorum explicatur verbis, quæ significant tegi, vel non imputari: vt Psalm. 31. *Beati quorum tecta sunt peccata, & cui non imputauit Dominus peccatum:* hæc loca per alia clariora exponenda sunt, vt tegi sit tolli, & non imputari remitti, quod in materia de gratia copiosiùs prosequemur. *Scriptura. Roman. 8.* *Psalm. 31.*

Secunda conclusio. Dicendum secundò, concupiscentiam non esse formaliter peccatum originale etiam in non baptizatis. Hæc conclusio non est expressè definita, sicut præcedens, est tamen illi proxima, & ex ea euidenter deducitur: nam concupiscentia manet *Probatur primò.*

manet in baptizatis eadem, quæ est in non baptizatis, vt Concilium dicit, & experientia constat; si ergo in baptizatis non est peccatum, neque etiam erit in non baptizatis. Quare non fuit satis consideratum, quòd Marcus eremita, antiquus author, in lib. de baptismo, interrogatione secunda, & alijs, dixit, fomitem non manere in baptizatis: & propensionem ad malum, & difficultatem in bono, quam experimur, non esse à peccato, sed à negligẽtia, & praua consuetudine. Hoc enim est contra Ecclesiæ doctrinã, & contra id, quod Paulus in se ipso agnouit: *Sentio aliam legem in membris meis, &c.* ad Roman. 7. Secundò probatur illo, Iacob. 1. *Concupiscentia cum cõceperit, parit peccatum*, concupiscentię enim nõ tribuitur esse peccatum, sed concipere, & parere, hoc est, esse causam peccati, quem locum Augustin. 6. contra Iulian. cap. 15. ponderans, dicit: *Cum Iacobus Apostolus dixit, concupiscentia cum conceperit, parit peccatum, planè in his verbis partus à pariente discernitur: concupiscentia enim non parit peccatum, nisi conceperit, non concipit, nisi illexerit, hoc est, ad malum perpetrandum voluntatis obtinuerit consensum.* Tertiò probatur, quia concupiscentia, secundùm se, est quædam entitas, nempè, potentię naturales hominis: ergo est à Deo positiua actione: Deus autem non potest esse causa peccati, nec aliqua entitas realis peccatum est. Confirmatur denique sanctorum Patrum authoritate, qui tantum abest, vt putent, concupiscentiam esse formaliter peccatum, vt potiùs apertè doceant, motus & impulsus eius, posse esse absque omni peccato, si præueniant rationis deliberationem, & posse esse motiuum meriti, si illis resistitur, vt ostendimus suprà disputat. 24.

Coroll. Marc. eremita.

Roman. 7. Secundò probatur. Iacob. 1.

August.

Tertio.

Quarto.

Ex locis Scripturæ, quos hæretici opponunt, aliqui nõ sunt ad rem; nam cum dicitur: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore*, nomine peccati nõ intelligitur fomes, sed peccatum propriè dictum: hortatur enim Apostolus, vt caueamus, peccatum, quod vbi est, regnat, quia qui facit peccatum, seruus est peccati; nec quod ad Hebr. 12. Paulus vocat *Circunstans nos peccatum*, est fomes, sed vel peccati occasiones, quę maximè nos circunstant, quas per methonimiam appellat peccatum, quia sunt causa peccati, vel peccatum ipsum, quod per prosopopeyam, dicitur nos circunstare, quia nos obsidet, & impugnat. Concedimus tamen, in cæteris testimonijs fomitem appellari peccatum: sed quare vocetur declarauit Concil. Tridentin. in decreto allegato, his verbis: *Hanc concupiscentiam quam aliquando Apostolus peccatum vocat, sancta Synodus declarat, Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quòd verè, & proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat.* Itaque Paulus, vt Concilium dicit, appellat fomitem peccatum, quia est causa, & effectus peccati. Sed quia calumniantur hæretici, nos fugere à propria ad impropriam acceptionem vocis breuiter ostendendum est, conuenientem, & necessariam esse hanc explicationem.

Satisfit argumentis hæreticorum.

Trident.

Quare concupiscẽtia peccatum appellatur

Quod ostenditur facilè, nam concurrũt tria, quæ facere solẽt, vt voces Scripturæ impropriè accipiantur, primum, si in sensu proprio pugnant cum alijs sacræ Scripturæ verbis, secundum, si aliàs solet esse vsus eiusdẽ vocis improprius, tertium, Ecclesię expositio. Et in primis nisi peccatum hoc loco impropriè sumatur, erit aperta contradictio, non solùm alijs Scripturę locis, in quibus asseritur, nullum peccatũ manere in renatis propter baptismi iustificationem, sed etiam verbis eiusdem loci, subditur enim: *Nihil ergo damnationis est his qui sunt in Christo Iesu, &c.* Hæc verò explicant, quòd peccatum vocetur cõcupiscentia, illud, scilicèt, quod nihil omnino inferat dãnationis, atq; adeò quod nõ sit veri nominis peccatum; nam omne peccatum aliquid damnationis infert. Deinde nõ est nouum, vocem peccatum, aliquando in Scriptura impropriè accipi, nam in testimonio allegato ad Hebreos. 12. sic sumitur, & 2. ad Corinth. 5. ipse Christus dicitur factus peccatũ pro nobis, hoc est, hostia, & sacrificium pro peccato. Et denique Ecclesia semper hanc peccati appellationem intellexit esse impropriã, vt Concilium Trid. explicuit. Legatur Augustin. 1. de nuptijs, & concupiscentia cap. 23. & 2. contra Iulian. ad finem, vbi eodem modo, & eisdem ferè verbis, quibus Concilium, hanc peccati appellationem interpretatur, & primò cõtra duas epistolas Pelagianorum cap. 13. ait: *Sed hæc concupiscentia iam non est peccatum, sed peccatum vocatur, quia à peccato facta est, sicut Scriptura dicitur manus, quia alicuius*

Conuenientia expositionis probatur.

Primò.

Secundo.

Tertio.

Trident.

Augustin.

alicuius manus eam fecit.

Exponitur Augustin

Augustinus verò, cuius patrocinium hæretici implorant, illis aduersatur: duo enim asserit. Primum, concupiscentiam in non baptizatis, esse quidem peccatum originale, non secundùm se, sed ratione alicuius adiuncti, in quo ratio peccati consistit. Philosophatur, vt Theologi de peccato actuali, assignãs in peccato originali aliquid, quasi materiale, & aliquid, quasi formale, vt concupiscentia sit peccatum originale, non se ipsa, sed ratione alterius, id autem ratione cuius concupiscentia peccatum est, vocat reatum. Hanc esse mentem Augustini patet ex primo libro de nuptijs, & concupiscentia capit. 23. *Hæc igitur concupiscentia, quæ solo Sacramento regenerationis expiatur peccati vinculum generatione traxit in posteros, & nisi ab illo regeneratione soluantur, reatus eius valet in genito*, non inquit, *concupiscentia ipsa*, sed *reatus eius valet*, ad damnationem, scilicet. Alia etiam testimonia infra adducemus. Secundò dicit Augustinus, in renatis concupiscentiam iam non amplius esse peccatum, quia per baptismum remittitur, & tollitur reatus, ratione cuius peccatum erat, vt patet ex verbis allegatis de primo libr. contra duas epist. capit. 13. & 1. de nuptijs, & concupiscentia. cap. 23. & vlterius primo libr. contra duas Epist. Pelagianorum. capit. 13. ait: *Ineſt concupiſcentia in renatis, non nocitura, quia reatus eius generatione tractus, regeneratione remißus eſt*: & 2. lib. contra Iulian. cap. 3. *Lex quippe iſta peccati quæ in membris corporis eſt, & remiſſa eſt regeneratione ſpirituali, & manet in carne corporali, remiſſa eſt, quia reatus eius ſolutus eſt Sacramento*: & similia frequenter repetit.

Explicantur testimonia apposita.

Ex quibus habetur solutio ad testimonia in contrarium adducta, omnia enim quibus concupiscentiam appellat peccatum originale, intelligenda sunt, & loquuntur de concupiscentia ante baptismum; eam verò vocat peccatum, nõ formaliter, & ratione sui, sed materialiter, & ratione reatus. Tantùm in illis locis, vbi concupiscentiam appellat vitium, loquitur de concupiscentia, etiam post baptismum, sed ipse Augustinus distinguit vitium à peccato. libr. 2. contra Iulian, cap. 3. dicens: *Non enim talia ſunt vitia, quæ iam peccata dicenda ſint*: & re vera vitium, & peccatum non sunt idem, vitium enim est principium peccati, non peccatum. In loco etiam, qui in argumẽto adducitur ex 1. lib. cõtr. duas epist. Pelag. loquitur Augu. de concupiscentia in renatis, sed nunquam dixit concupiscentiam esse peccatum, quod verò ait, concupiscẽtiam vocari peccatum, quia peccati delectatione mouetur; non significat esse peccatum, sed causam peccati; quia enim cõcupiscentia inclinat ad delectationem peccati, ad peccatum inducit, & causa peccati est.

Quod verò hæretici imponunt Aug. remissione peccata non deleri, sed non imputari, falsum omnino est, imo potius Aug. purgat se ab hac calumnia, quam etiã illi obiecerunt Pelagiani. 1. li. contra duas epist. Pel. cap. 13. his verbis: *Dicunt etiam, nos dicere baptiſmum non dare omnium indulgentiam peccatorum, nec auferre crimina, ſed radere, vt peccatorum radices in mala carne teneantur. Quis hoc niſi infidelis affirmet? dicimus enim, baptiſmum dare omnium indulgentiam peccatorum, & auferre crimina, non radere.* Quod ergo Aug. li. 1. de nupt. & concupisc. c. 25. & 32. remissionẽ peccati vocauit non imputationẽ, ipse interpretatus est; nam cum dixisset c. 33. *Hæc autem remiſſio peccatorum, quam diu non ſit in prole, ſit ibi eſt lex iſta peccati, vt etiam in peccatum imputetur.* Addit, *id eſt, vt reatus eius cum ipſa ſit*: capit. autem 26. dixerat, idem esse non habere peccatum, & non habere reatum. Hanc autem sententiam August. in sequentibus magis expẽdemus, nũc satis sit ostendisse, eum contra hæreticos esse, & non pro illis.

Tertiũ argumẽtum solutur.

Ad tertium argumentum hæreticorum respõdetur, in primis, authoritates illas, quibus probant, conditiones peccati competere concupiscentiæ, nihil vrgere, non enim loquuntur de concupiscentia, vt est idem ac fomes, seu de concupiscentia, quæ est potentia, sed de actibus concupiscendi. Deinde quãmuis admittamus intelligi de concupiscẽtia habituali, respondetur, conditiones peccati tribui concupiscentiæ, non formaliter, sed causaliter: est enim inimica Deo, quatenus inclinat ad actus contrarios: est contra legem, tanquam principium actus contra legem: & eadem ratione est nobis odio habenda, non tanquam aliquid secundùm se malum, sed tanquam causa peccandi, & ad peccatum inclinans.

Quarta sententia erronea, peccatum originale esse qualitatem morbidam.

AB hac hæreticorum sententia parum recedunt quidam catholici, & aliquid in philosophia absurdiùs addunt. Dicũt enim, peccatum originale essentialiter esse concupiscentiam, & fomitem, concupiscentiam autem, non esse ipsas potentias animæ inordinatas, sed aliquid naturæ superadditum; nempe, qualitatem quandam vitiosam, qua sumus proni ad concupiscendum. Hanc autem qualitatem contrahere animam ex consortio, & cõiunctione ad carnem. In carne autem agnoscũt aliam similem qualitatem corruptam, & vitiosam, à qua qualitas in anima producitur, quasi lepra ex lepra, vel vlcus ex vlcere, ratione contactus.

Magist. Hanc sententiam apertè tradit Mag. in 2. d. 30. & 31. nec video qua ratione excusari possit. Magist. sequuntur Henr. quod lib. 2. q. 11. & quodl. 6. q. 32. Grego. in 2. d. 31. q. vnic. artic. 2. & in eam propendet Dried. li. 1. de grat. & lib. arb. tract. 3. c. 3. p. 2. tribuitur etiam Gab. in 2. d. 30. q. vnic. art. 2. qui conuenit cum his authoribus, concupiscentiam esse qualitatem morbidam; dicit tamen, non esse formaliter, sed materialiter peccatum. Quod hæc sententia asserit, peccatum originale esse formaliter concupiscentiam satis impugnatum est in præcedẽti, id autem quod addit, concupiscentiam esse qualitatem superadditam, discutiendum est, quæst. 82. vbi explicabimus quid sit cõcupiscentia: modus verò generationis huius qualitatis impugnabitur disp. 44. cum agemus de traductione peccati originalis.

Henric.
Gregor.
Dried.
Gabr.
Refellitur

Quinta sententia erronea, peccatum originale esse ipsum peccatum Adami extrinsecè denominans.

QVinta sententia est quorundam catholicorum, qui pressi hac difficultate asseruerũt nullum peccatum in singulis constituendum esse, sed ipsum peccatum Adami, quia capitis fuit, fuisse omnium & omnes constituti peccatores denominatione ab ipso. Ita opinatus est Alber. Pigius in controuers. 1. quæ est de peccato originali. & Ambros. Catheri. in opuscul. de lapsu hominis, & peccato originali, & videtur fuisse alicuius antiquioris, nam eam refert & refellit Alexa. Alens. 2. par. q. 105. memb. 2. artic. 1. fundamentum eius est, quia peccatum Adami fuisse peccatum omnium, Paulus videtur dicere illis verbis: *Vnius delicto peccatores constituti sunt multi*, & illis: *In quo omnes peccauerunt*: fuit ergo illud sufficiens denominare omnes, nec oportet aliud in singulis quærere, quod inueniri non posse contendunt impugnatione cęterarum omnium opinionum.

Pigius. *Catheri.* *Roman. 5.*

Hanc sententiam existimant aliqui, nihil differre à Pelagianorum hæresi, videtur enim concedere non transferri peccatum, sed pœnas peccati; re vera tamen multum differt: nam Pelagiani nulla ratione concedebant omnes homines in Adam peccasse, nec singulos constitutos fuisse peccatores; atque adeò penitus negabant peccatum originis in pueris: isti autem concedunt esse peccatum originale, & singulos homines peccatores nasci: existimant tamen sufficere illud vnicum peccatum Adæ, vt omnes peccatores constituantur. Sed nihilominus non potest excusari ab errore, quia explicat peccatum originale contra veram eius rationem, & contra communem Ecclesiæ sensum; dum asserit nõ esse aliud, quàm denominationem à peccato Adæ; nam Concil. Tridentin. sessione quinta, decreto de peccato originali, duo dicit quæ directè pugnant cum hac sententia. Alterum est, peccatum originale origine esse vnum, sed propagatione plura, & inesse vnicuique proprium: hi verò vnum tantùm peccatum commune omnibus admittunt: alterum est, per baptismum tolli id, quod veram, & propriam peccati rationem habet, cum istorum sententia, nihil sit in singulis hominibus, quod verè, & propriè peccatum sit, sed denominatio sola, à peccato extrinseco. Hæc autem doctrina Conc. deducitur ex Scritura sacra: Paul. enim nõ solum affirmat, omnes in Adam peccasse, sed etiam peccatum intrasse in omnes, peccatum autẽ intrare, non est denominari à peccato extrinsecè, sed habere in se formale peccatum. Prętereà, cum in Scriptura dicitur, homines per baptismum lauari, & mundari à peccato, significat in singulis esse

Quo differat a Pelagio.

Est erronea

Trident.

veram

veram maculam, non solam denominationem. Locus verò Paul. pro hac sententia inductus, potius illam impugnat: nã Paul. non tantùm dixit: *In quo omnes peccauerunt*, quia peccatum Adæ fuit omnium, eo quod fuit capitis, sed etiam dixit: *Peccatores constituti sunt*, quod significat, singulos cõtraxisse aliquod verè nominis peccatum, quo peccatores constituantur.

Sexta sententia Augustini, Peccatum originale esse reatum.

August.

SExta sententia, quæ iam ab erroribus recedit, non tamẽ est probabilis, est quam supra retulimus ex Augu. qui in libris contra Pelag. frequenter docet, peccatum originale esse cõcupiscentiã, vel fomitem, non seipsa, sed ratione reatus, quem adiunctum habet: quæ iuxta modum loquendi Scholasticorum, ita explicatur, vt concupiscentia sit peccatum originale materialiter, reatus autem formaliter. Hanc sententiam videtur sequi Hug. de S. Vict. li. 1. de Sacram. p. 7. c. 27. & amplectitur Durã. in 2. d. 30. q. 2. quanuis enim in modo loquẽdi admittat peccatum originale esse priuationem iustitiæ originalis; re ipsa dicit esse reatum, nam priuationem iustitiæ originalis secundùm se, vocat pœnam, ratione verò dignitatis carendi iustitia, vocat peccatum; consentit Rofens. art. 2. contra Luthærum, in princip.

Hugo Victor. Durand.

Rofensis.

Quid sit reatus. Aug. explicatio.

Quid autem nomine reatus intelligẽdum sit, nec satis explicuit Aug. nec ab alijs explicatur. Aug. enim lib. 6. contra Iul. c. 8. vbi paulò fusiùs, huius reatus meminit, dicit, illum nõ esse in corpore, neq; in anima hominis, sed in legibus æternis Dei, quæ sunt conscriptæ in mentibus Angelorum, quibus dispositum est, vt nulla iniquitas maneat impunitã: quibus verbis significare videtur reatum esse deputationẽ, & ordinationem ad pœnam, quæ diuina iussione constituta est peccato. Sed ego existimo Augustinum hoc loco, ex inaduertentia obscurè locutum, neq; id velle quod verba sonant, quis enim credat, ita oblitum fuisse Aug. suæ doctrinæ, & eorum quæ contra Pelagianos, sanctissimè, & doctissimè disputauerat, vt assereret, peccatum originale esse ordinationem peccatoris ad pœnam, nõ in ipso peccatore, sed in mente diuina, & Angelica existentem, ex quo planè infertur, non esse culpam, quod erat in ipsam hæresim apertè incidere. Censeo ergo Augustinum nolnisse definire, quid, & vbi sit reatus iste, in quo peccatum originale constituit, sed significare dumtaxat, licèt sit in homine, aliquam habitudinẽ habere ad legem æternam Dei.

In bonum sensum reducenda.

Aliorum explicatio.

Alij dicunt, nomine reatus intelligi dignitatem ad pœnam, & meritum pœnæ, quæ est propria reatus definitio. Sed si hoc modo exponitur, non potest hæc sententia vera esse, quia reatus non est formaliter culpa, sed quidam culpæ effectus; culpam enim, quatenus culpa est, consequitur relatio dignitatis ad pœnã, vt docet S. Tho. infra q. 87. art. 1. & supra q. 21. arti. 4. Et confirmatur, quia ità se habet reatus ad culpam, sicut meritũ ad actum bonum, sed meritum non est ipsa bonitas, sed aliquid consequens bonitatem: ergo nec reatus est formalis culpa. Adde, si in pueris tantùm asseritur, reatus, quodammodo inciditur in Pelagianam hæresim: vel enim reatus consequitur culpam existentem in puero, vel culpam Adæ, si assumetur primum: ergo peccatum originale non est reatus, sed aliquid reatu prius; si secundum, sequitur per peccatum Adami non communicari peccatum, sed pœnas, & dignitatem patiendi illas, quod Pelagiani non negabant, nec enim dixerũt iniquum esse, vt his pœnis afficerẽtur homines. Et vt bene aduertit Magist. d. 30. qui dicunt, peccatum originale esse reatum, constituũt aliquod medium inter pœnam, & culpam, quod nomine peccati appellãt, nã reatus, neq; est pœna, sed dignitas eius, neq; est etiam culpa, sed effectus illius.

Impugnatur. Primò.

Secundò.

Tertiò.

Magist.

Alij denique distinguunt duos reatus, alterum pœnæ, qui est dignitas eius, alterum culpæ, qui est culpa ipsa, quatenus hominem in quo est, ligat, & implicat, & in hoc reatu peccatum originale constituunt. Sed hæc reatus acceptio incognita est antiquis, & quicquid sit de modo loquendi, nihil est, nisi culpa ipsa, ille enim effectus ligaminis, & implicationis, quem isti vocant reatum, est ipse effectus formalis culpæ, qui constituit peccatorem, nec aliud illis vocibus metaphoricis intelligi potest. Illud verum est, culpam aliquando appellari reatum, non quia in ea sit reatus distinctus à reatu pœnæ,

Tertia explicatio.

Refellitur.

sed significando eam nomine effectus, quia enim reatus effectus est culpæ, culpa vocatur reatus; qua loquendi forma, actus bonus aliquãdo dicitur meritum, in quo sensu Dionys cap. 4. de diui. nomi. dixit: *Punisi non est malum, sed fieri pœna dignum.* Cum ergo reatus culpæ non sit aliquid à culpa ipsa diuersum, affirmare peccatum originale formaliter esse reatum culpæ, est dicere peccatum originale esse aliquam culpam, quod non est explicare rationem, quæ peccatum originale constituit, sed tantùm asserere, esse verè peccatum. Fortasse tamen hac ratione explicari potest Augustin. cum enim dixit, concupiscentiam esse peccatum, non secundùm se, sed ratione reatus, reatum pro culpa accipit; ac si diceret, cõcupiscentiam ratione alicuius culpæ adiunctæ esse peccatum originale, quibus verbis non voluit exponere, quid sit formaliter peccatum originale, sed solùm vltra concupiscentiam, esse aliquam rationem culpæ in qua consistit. Quicquid tamen sit, non est admodum insistendum circa sententiam August. de natura originalis peccati, nam certũ est, ipsum nihil asseueranter docuisse, quippe qui in epist. 28 ad Hieronymum in lib. 3. de peccatorum meritis, & remis. ca. 4. & alijs locis apertè fatetur præter hoc, quod est certum, nos cõtrahere peccatum originale, cæteras quæstiones, & difficultates, quæ circa peccatum originale occurrunt, nec benè se intelligere, neque explicare posse.

Dionys.

Aug. exponitur.

Septima sententia recentiorum, Peccatum originale esse conuersionem, & auersionem habitualem.

SEptima sententia, quę probabilis videtur aliquibus recentioribus, affirmat, peccatum originale consistere in quadam conuersione habituali ad bonum commutabile, & auersione à Deo, & à rectitudine rationis, deriuatam in nos ex peccato Adę; vt quemadmodum cum aliquis homo peccat, ex actu peccati non retractato relinquitur conuersio; & auersio habitualis, à qua denominatur peccator, quæ non est habitus proprie dictus, sed relatio quædam ad obiecta, à quibus per actum peccati auersus, & ad quæ conuersus est; sic etiam Adami peccatum reliquerit habitualem conuersionem, & auersionem, quę propagatur in omnem naturam, quia peccatum illud totius naturæ fuit.

Hæc sententia probatur, quia vt bene philosophemur de peccato originali, oportet assignemus aliquid simile, & eiusdem rationis cum his, quæ omnes cẽsent esse peccata, aliter videbimur fingere, & voluntariè loqui: à Philosophis autem moralibus, & Theologis, duplex peccatum agnoscitur, actuale, quod in ipsa actione consistit, & habituale, seu macula, à qua transacta actione denominamur peccatores, & maculati; hoc autẽ non est aliud, quàm conuersio, & auersio habitualis derelicta ex peccato actuali; cum ergo peccatum originale nõ sit peccatum actuale, oportet, vt sit peccatum habituale, atque adeò consistit in conuersione, & auersione ista. Potuisse verò peccatum Adami transfundere in nos illam conuersionem, & auersionem, probatur, quia omnes peccauimus in Adam, vt Paul. dicit, & peccatum eius fuit omnium, quia fuit peccatum capitis: ergo in omnes deriuatur eius effectus, & auersio habitualis. Hanc sententiam tradit Medina infra, quæst. 82. art. 1. & Sotus lib. 1. de nat. & grat. capit. 9. Cordub. lib. 1. q. 10. qui obscurè loquitur, & aliam etiam indicat, & fuit alicuius antiquioris, nam eam refert. & confutat Alexand. secunda part. quæst. 105. memb. 2. articul. 3.

Probatur.

Roman. 7.

Medin. otus. Cordub.

Sed in primis, nescio quare Thomistis placuerit, aut quo iure eam Sanct. Thomæ tribuant: nihil enim magis remotum est à mente Sanct. Docto. qui, vt infra constabit, priuationem iustitiæ originalis, dicit esse peccatum originale, priuatio verò, in qua dicunt isti consistere, non est priuatio iustitiæ originalis, sed priuatio rectitudinis debitæ in esse actui Adami, propter quam actus ille vitiatus fuit, & hæc neque est, nec vocari potest iustitia originalis. Præterea, Sanctus Thom. constituit peccatum originale principaliter in essentia animæ, & extensione in omnibus potentijs, vt constabit infra quæstione 83. Hæc autem sententia non potest illud constituere, nisi in voluntate, in qua fuit peccatum Adæ, cui respondet, hęc

Est contra S. Thom.

hæc conuersio, & auersio habitualis. Sicut verò à doctrina STho. aliena est, sic falsa est, & nihil probabilis. Solet autem impugnari, quia si conuersio, & auersio redundare potuit ex peccato Adę, sequeretur, cum Adam retractauit illum per pœnitentiam, abstulisse à natura peccatum originale, hæc enim conuersio, & auersio auferetur retractato actu quem consequitur, & à quo resultat. Sed hoc non vrget, nam responderi potest, potuisse Adam actu suo hanc conuersionẽ inducere, sed non auferre; quia quando peccauit, peccauit vt caput, & ideò peccatum eius ad omnes peruenit, quando autem egit pœnitentiam, egit vt priuata persona, non enim habuit gratiã capitis, vt pro omnibus pœnitẽdo satisfaceret.

Est falsa. *Impugnatio.* *Ineffica.* *Impugnatur efficaciter.* *Primò.*

Triplici ergo argumento impugnatur, primò; quia est impossibile, vt ex peccato vnius fiant in altero conuersio, & auersio; nam conuersio est relatio quædam, siue illa sit realis, siue rationis, cuius fũdamentum est actus præcedẽs, ad cuius obiectum manet homo habitualiter cõuersus; quia nõ retractans, censetur persistere in eodem affectu: & conuersioni annexa est auersio ab obiectis contrarijs: ergo hæc relatio esse nõ potest in alio subiecto, quàm in quo fundamentum eius est: ergo si in Adam præcessit actus, non possunt in alio esse conuersio, & auersio habitualis ab illo actu resultãtes, & in illo fundatę. Dicunt, peccatum illud fuisse omnium, & ideò in omnes redundasse cõuersionem, & auersionem eius. Sed vrgeo, quia actus Adami non ita fuit actus omnium, vt posset hanc conuersionem, & auersionem transfundere. Dupliciter enim potest intelligi, actum illum fuisse omniũ; vno modo, quia in Adam fuerint volũtates omnium, & omnium cõsensu peccauerit, qua ratione fortasse verum esset, actionem illam ab omnium voluntate emanasse. Sed hoc est omnino impossibile, nec Deus potentia absoluta id facere potuit, cum ex natura rei repugnet, vt voluntas non existens, cõsentiat. Alio modo potest intelligi, peccatum illud fuisse nostrum, nõ quia voluntas nostra fuit in Adamo, sed quia volũtas Adami censetur nostra, quia fuit capitis, quę enim, capitis sunt, ad membra pertinẽt. Sed licet hoc verũ sit, inde nõ infertur, redũdasse in volũtates nostras habitudinẽ ad aliquod obiectum, quia absq; aliqua earundẽ voluntatũ immutatione reali cõtingere nõ potest. Et cõfirmatur, quia actio nostræ voluntatis est actio totius hominis, & omnium potentiarum, quia voluntas omnibus præest; multò potiùs, quàm actio Adami nostra fuerit, & tamen nullam conuersionem, aut auersionem generare potest in potẽtijs, quæ simul cum voluntate, & ab ea motę realiter non operantur: ergo nec actus Adæ in nobis eandem conuersionem generare potest, voluntatibus nostris omnino non immutatis. Nisi dicamus, conuersionem, & auersionem, & peccatum originale, non esse aliquid intrinsecum, sed denominationem extrinsecam, quòd est incidere in sententiam Catherini. Licet ergo peccatum Adami tale fuerit, vt eo nos omnes peccasse aliquo modo verum sit, sicut Paulus dicit, sed non fuit ita nostrum, vt in nos transfundere posset inordinationem habitualem. Secundò, quia si hęc cõuersio, & auersio habitualis essent in nobis, essent eędem, quæ fuerunt in Adamo transacto actu peccati, quæ, scilicet, fuerũt in actu ipso, nempe, cõuersio ad pomum vetitum, & auersio, vel priuatio rectitudinis temperantiæ, & obedientię; atq; adeò dicẽdum esset nos nasci conuersos habitualiter ad pomum, & auersos à rectitudine temperãtię, quod ridiculum est. Tertiò, quia si in peccato originali esset conuersio, & auersio, nulla esset ratio, propter quam huic peccato non deberetur pœna sensus, quæ tamen non debetur, vt ostendemus infra. Præterea, ad remissionem eius necessaria esset contritio, sicut ad remissionẽ peccati actualis, quia oporteret, vt fieret aliqua retractatio huius conuersionis; nõ enim aufertur conuersio habitualis ex natura rei, sine retractatione actus, ex quo prouenit, nullus autẽ Theologorum dixit, peccatum originale esse materiam necessariam contritionis. Ad hęc in bull. Pij. 5. & Greg. quam habes in fine operis, damnatur hęc propositio, quæ est 48. *Peccatum originis est habituali paruuli voluntate voluntarium, & habitualiter dominatur paruulo.* Quæ propositio, nescio quem alium sensum habeat, quàm impugnatum in hac opinione.

Solutio. *Redundi-tur.* *Secundò.* *Tertiò.* *Quartò.* *Confirma.*

Cumverò authores huius sentẽtię obijciũt, illud asserendum esse peccatum originis, quod communi vsu appelletur, & sit peccatum, libẽter admittimus, sed priuatio gratiæ, & iustitiæ, ab optimis Theologis appellatur, & est peccatum habituale, & macula, & hanc ostẽdemus esse peccatum originale.

Vera sententia communis, peccatum originale esse priuationem iustitiæ originalis.

VEra ergo sententia est, peccatum originalè formaliter consistere in priuatione iustitiæ originalis. Hæc sententia cõmunis est inter Scholasticos, quam tradit S. Tho. infra q. 82. art. 8. & alijs locis, ibi in margine notatis, & eam prosequuntur omnes Thomistę, Capr. in 2. d. 30. & 31. Caiet. & Conrrad. in commentarijs illius quæst. consentit Scot. in 2. d. 31. §. *quoad primum*. Bonau. d. 30. art. 2. q. 1. Ricar. art. 4. q. 1. Gab. d. 31. q. 2. Alex. Alen. 2. p. q. 105. memb. 2. ar. 3. & plures recentiores.

S. Thom. *Caprcol.* *Caietan.* *Conrrad.* *Scotus.* *Bonauent.* *Ricard.* *Gabr.* *Alenſ.*

Hæc autem sententia indistinctè, & absq; alia explicatione probari potest authoritate, & ratione. Authoritate probatur primò, nam hoc videtur indicari in Conc. Arausic. 2. cap. 2. & Trid. sess. 5. quando dicitur, peccatum originale esse mortem animæ, si enim est mors, est priuatio; nam mors priuatio est; si verò est mors animæ, est priuatio iustitiæ, & sanctitatis, vita enim animæ iustitia est. Idē insinuatur in eodem Concil. Trid. quando dicitur, Adam sibi, & nobis amisisse iustitiam, & sanctitatem; nam hæc verba proferuntur in eodem canone, & eodem contextu, in quo definitur esse in nobis peccatum originale, quasi idem, & conuertibilia sint, contraxisse peccatum ex Adamo, & Adamum amisisse nobis iustitiam, & sanctitatem. Idem videtur docuisse Dionys. 2. c. de Eccles. Hierar. vbi tractans de ceremonijs baptismi, & quid significet illa exuflatio, quæ fit in exorcismis; dicit, significare, baptizatum se exuere, & expirare ingenitum sibi dissimilitudinis habitum. Per habitum enim dissimilitudinis manifestè intelligit peccatum originale, quia vocat illum ingenitū: dum autem dicit, esse habitum dissimilitudinis, quàmuis admittat aliquid positiuum in peccato originali, quod materiale est, de quo dicemus posteà; significat tamen formaliter esse priuationem; nam dissimilitudo nihil aliud est, quàm priuatio similitudinis: similitudo autem, vt idem Diony. dicit in principio capitis est, qua Deo similes sumus iustitia, & sanctitate. Et quãuis illo loco de baptismo adultorum loquatur, in fine tamen capitis vltimi eiusdem lib. dicit, paruulos ex traditione Apostolica, baptizãdos esse eisdem ceremonijs, quibus adulti. Legatur Frãc. Turrian. in quadam epist. ad Episco. Antisiodor. in qua agit de peccato originali, & tractat hunc locum Dionys. Deinde Ambros. in comment cap. 5. epist. ad Roma. explicans, quomodo vnius delicto omnes constituti simus peccatores, reddit rationem his verbis: *Ille enim beneficium Dei perdidit, dum prauaricatus est.* Et Anselm. hanc sententiam tradit, & prosequitur toto ferè libr de conceptu virginali, sed c. 26. concludit: *Hoc quod peccatum originale dico, aliud intelligere nequeo in infantibus, nisi ipsam, quam supra posui, factã per inobedientiam Adæ, iustitiæ debitæ nuditatem.*

Probatur. *Conc. Arausican.* *Trident.* *Dionys.* *Turrianus* *Ambros.* *Anselm.*

Secundò probatur ratione, quia nihil est in nobis contractum propter peccatum Adami, quod possit habere rationẽ peccati, præter priuationem iustitiæ, & huic benè competunt peccati conditiones: ergo ipsa est formaliter peccatum originale. Prima pars antecedẽtis patet, ex confutatione præcedentium opinionum, patet præterea, quia nihil est traductum per originem, præter concupiscentiam, priuationẽ iustitiæ, & corporales defectus; sed concupiscentia non potest esse formale peccatum originale, vt probatum est, nec defectus corporis, sunt enim pœnæ: restat ergo, vt peccatum originale sit priuatio iustitiæ. Secunda verò pars antecedentis probatur, quia in peccato requirenda sunt tria; primum, vt sit malum, secũdum, vt sit malum oppositum naturæ rationali, tertium, vt sit voluntarium, vel liberum, de hoc tertio dicemus disputatione sequenti, duo autem priora manifestè competunt priuationi iustitiæ. Nam priuatio eo ipso quo priuatio est, est malum, priuatio autem iustitiæ originalis non potest non esse opposita naturæ rationali, siquidem priuat forma quæ rectificabat, & perficiebat eam in esse rationali: & optimè cohæret, vt quemadmodum peccatum actuale, quia est peccatum personæ, consistit formaliter in priuatione rectitudinis debitæ in esse actui, vt in superioribus ostendimus, sic etiam peccatum originale, quia est peccatum naturę, consistat formaliter in priuatione rectitudinis debitæ naturæ.

Secundò. *Conditiones peccati, optimè conueniũt priuationi iustitiæ.*

Expli-

Explicatur hæc sententia.

Quid iustitia originalis.

SEd quamuis omnes authores supra allegati conueniant in hac assertione, in eius declaratione valde differunt, præsertim dum explicant, quid nomine iustitiæ originalis intelligendum sit; supponendum est enim hominem in statu iustitiæ originalis conditum fuisse rectum, primò quidem rectitudine supernaturali in ordine ad supernaturalem finem, deinde etiam rectitudine naturali in ordine ad finem naturalem: poterat enim perfectissimè præstare omnes actus virtutis moralis, & vires inferiores ita erant subditæ rationi, vt nullo modo contra ipsam rebellarent, neque esset motus aliquis inordinatus. Quæ omnia cum superent naturam hominis proueniebant ex dono gratuito, vt docent omnes Theologi in 2.d.29.vel 30.& aliqui dist. 20.S. Tho.1. p.q.95.& 100. An verò hoc donũ esset vnum, vel multiplex, sub lite est, de quo nunc non disputo, quia ad rem nõ multũ refert, siue enim esset vnũ, siue multa, negari tamen nõ potest plures effectus præstitisse supernaturalis, & naturalis rectitudinis. Est tamẽ verius, & conformius communi Scholasticorum sentẽtiæ, donum quod rectificabat in ordine ad finem supernaturalem, & quod rectificabat in ordine ad finem naturalem, fuisse essentialiter diuersa: illud enim erat gratia gratum faciens, hoc autem erat donum inferioris dignitatis: primum restitutum est per Christum, & non secundum: effectus præterea eorum longè differunt, quia diuersa est rectitudo supernaturalis à naturali. Addo etiam, dona gratiæ, quæ perficiebant ad supernaturalem finem fuisse plura, plures nempe virtutes, vt modò sunt; & eadem ratione dona, quæ erant principium rectitudinis naturalis plura erant, erat enim donum in voluntate, & donum in intellectu, & etiã in viribus inferioribus. In facultatibus autẽ inferioribus constituẽdum esse speciale donum, probatur; quia non potest consistere subiectio illa appetitus, si solum in intellectu, & voluntate esset donum, vt Scot. vult, nam licèt id sufficeret, vt appetitus non vinceret, non tamen, vt nũquam aduersus rationem insurgeret: cũ enim sit potẽtia naturalis, nisi habeat in se, quo refrænetur, & detineatur, aget

Iustitia originalis multiplex donum.

Scot.

secundùm impetum naturæ. Sed de his plura in disput. de statu innocentiæ, locis proximè allegatis. Siue ergo vnum, siue plura sint dona quibus homo perficitur, ad vtramq; rectitudinem, naturalem, & supernaturalem, cõsuetum est, illud quod rectificabat hominem in ordine ad finem naturalem, appellare iustitiam originalem: nam quàmuis gratiæ supernaturali, nomen iustitiæ originalis competat, est enim iustitia, & perfectissima iustitia, & fuit originalis, quia erat trãsfundenda per originem, vt statim dicam, sed nihilominus nomen iustitia originalis accomodari solet dono ordinis naturalis, & iustitia originalis, contra gratiam distinguitur: ea ratione, vt puto, qua in vsu est nomen commune imperfectiori speciei tribuere.

Iustitia originalis transfundenda, si Adam nõ peccaßet.

Aduertẽdum est præterea, hæc dona accepisse primum parentem pro se, & pro tota sua posteritate, vt si perseueraret in Dei gratia, & obedientia, sibi, & posteris conseruaret, & origine traducerentur, & si peccaret, sibi, & posteris amitteret, sicut contigit. Quod docet S. Tho.1.par.quæst.100.art.1. & quamuis de gratia supernaturali, id aliqui negẽt, nulla ratione negari potest, nam Conc. Trid. decreto de peccato originali definit, Adam sibi, & nobis amisisse iustitiam, & sanctitatem; sanctitas autem gratiam supernaturalem significat. Quare, vt S. Tho. sæpe tradit, fuerunt hæc dona inter se conexa, vt iustitia originalis pẽderet à gratia.

Habemus ex dictis, nomine iustitiæ originalis intelligi posse, & donũ quod reddebat naturã rectam in naturalibus operationibus, & donum gratiæ supernaturalis, quia vtrunque communicandum erat per originem: habemus etiam priuationem vtriusque doni emanasse ex peccato Adami. Est ergo dubium, quando dicimus, priuationem iustitiæ originalis esse peccatum originale, quid nomine iustitiæ intelligamus. Duo verò inquiri possunt; primum, vtrùm nomen iustitiæ originalis accipiatur præsẽ, vt distinguitur à gratia, an vt comprehendit gratiam supernaturalem, an solam gratiam? secundum, vtrum nomine iustitiæ originalis intelligẽdum sit donum perficiẽs essentiam, vel etiam potẽtias? etsi extenditur ad potentias, an ad omnes, an ad solam voluntatem. In his cõtrouersia est, & variè loquũtur authores.

Puncta controuersia.

Bonauent. Alexan. Ricard. Gabr. Bonauent. Alex. Ricard. & Gab. locis supra notatis, videntur excludere priuationem gratiæ à peccato originali; nam dicunt, esse priuationem iustitiæ originalis, & distinguunt iustitiam originalem à gratia: sed omnium clarissimè idē docet Scotus, qui dist. 29. quæst. 2. distinguit iustitiam originalem à gratia, & dist. 32. §. *ad argumenta secundæ quæstionis*, ad tertium, expressis verbis dicit, peccatum originale esse priuationem iustitiæ originalis, vt distinguitur à gratia. In alio autem extremo S. Thom. q. 82. art. 3. videtur asserere, peccatum originale esse priuationem solius gratiæ: nam dicit esse priuationem iustitiæ originalis, quę subdebat voluntatem Deo, cæteras autem inordinationes pertinere ad materiale peccati: iustitia autem, quæ subdebat voluntatem Deo, absque dubio, est iustitia ordinis supernaturalis, vt patebit conferenti illum articulum, cum art. 1. quęst. 100. 1. par. & sic S. Doctorem interpretatur Capreol. in 2. dist. 30. quæst. vnic. art. 1. concluſ. 4. quàmuis distin. 31. quæst. vnic. art. 3. ad argumenta Durandi contra secundam conclusionem oppositum videatur dicere, idque placet nonnullis recentioribus. Præterea Scot. asserit, iustitiam originalem, in cuius priuatione peccatum originale constituit, esse donum, ad solam voluntatem pertinens. Ricard. autem dist. 33. art. 2. q. 2. putat extēdi ad cęteras potentias, Bonau. verò dist. 30. ar. 2. q. 2. dicit, esse priuatiō iustitię originalis, quatenus perficiebat voluntatem, & intellectum.

Scotus.

S. Thom.

Capreol.

Vaſq. diſ. 132. ca. 7.

Vera explicatio communis sententiæ. Sed ista varietate omissa, dicendum est, iustitiam originalem, in cuius priuatione peccatum originale consistit, comprehendere omnes illas rectitudines, & omnia illa dona, tam naturalia, quàm supernaturalia, tamquę pertinent ad essentiam, si quod est, quàm quæ pertinent ad potentias, intellectum, voluntatem, & appetitum, quæ in doctrina Sanct. Thom. sunt peccati subiectum, & capaces rectitudinis moralis. Hanc assertionem colligo ex Sanct. Thom. nam quæstio. 83. constituit peccatum originale in essentia animæ, in voluntate, & in viribus inferioribus, & quæst. 82. ferè per totam, philosophatur de peccato originali, sicut de febri, vel morbo, qui plures partes, vel humores corporis dissoluit, & articulo secundo eiusdem quæst. sic arguit, peccatum originale inficit

S. Thom.

plures potentias animæ: ergo non est vnum tantum, & respondet, peccatum originale inficere plures potentias, quatenus sunt perfectiones vnius hominis, & vniuntur in vna radice, quemadmodum etiam iustitia originalis erat in pluribus potentijs, quatenus habent eandem connexionem: idem apertiùs tradit quæstione 4. de malo. artic. 3. & in 2. dist. 30. quæst. 1. art. 3. hac ratione exponunt Sanct. Tho. Caiet. quæst. sequenti. artic. 3. & Conrrad. ibidem, & Valentia disputatione 6. quæst. 12. puncto. 1. §. *Explicatur Diui Thomæ sententia*: Anselmus etiam in opusculo illo dicit, nos amisisse omnem iustitiam, & mansisse cū priuatione, & debito iustitiæ integræ: quibus verbis saltem comprehendit naturalem, & supernaturalem iustitiam, quamuis ipse non agnoscat iustitiam, nisi in voluntate. Et nisi fallor hoc ipsum indicauit Conc. Trid. dum dixit, nos amisisse iustitiam, & sanctitatē: iustitia enim refertur ad rectitudinem naturalem, quę vt dixi communiter appellatur iustitia originalis, sanctitas autem refertur ad gratiam, & supernaturales virtutes illi annexas.

Caietan. Conrrad. Valentia. Anſelm.

Trident.

Probatur. Probatur prętereà aperta ratione, quia non est quod probet, peccatum originale esse priuationē vnius ex his donis potius, quàm alterius: ergo aut in priuatione omnium, aut nullius constituendum est; antecedēs probo, quia si attendamus ad nomen, omnia hæc dona nomine iustitiæ originalis proprijssimè significantur: sunt enim iustitia habitualis; & iustitia transfundēda per originem: si autem attendamus rem ipsam in priuatione cuiuslibet istorū inuenitur sufficiens ratio peccati, est enim malū naturæ rationali oppositum. Et confirmatur, nam peccatum originale est priuatio rectitudinis debitę inesse naturę, sed rectitudo naturæ exigit, non solam perfectionem, & integritatem vnius facultatis, sed omnium debitum cōsensum & harmoniam, ergo in priuatione quæ ad omnes extēdatur, peccatum originale formaliter consistit.

Confirmatur hæc sententia. Hanc priuationem iustitiæ esse peccatum originale; confirmari potest, quia optimè ei competunt, quæ de peccato originali Fides catholica asserere solet. Primò esse in nobis aliquid, quod nos peccatores constituat: peccatores enim habituali peccato constituimur, hæc verò

rō priuatio, vt oſtēdemus infra q. 86. eſt vera macula, â qua tranſacto peccato actuali, peccatores dicimur. Secundō, hoc peccatum eſt auerſio à Deo, non quia auertat â rectitudine legis, & obedientiæ, ſed quia eſt priuatio vnionis cum ipſo, quam præſtabat originalis iuſtitia. Tertiò, hoc peccatum eſt vni cuique proprium, & inquocunque homine intrinſecè exiſtens; eſt enim priuatio hæc in ſingulis hominibus, & vnicuiq; ineſt intrinſecè, eò modo, quo cæcitas, & cæteræ priuationes ineſſe poſſunt. Et denique peccatum iſtud reddit nos inimicos Deo, ideſt, Deo odibiles, & Deum nobis offenſum, non enim poteſt eſſe, vt natura inordinata, & voluntate ſua ſpoliata rectitudine, non diſpliceat Deo, & reddat eum ſibi offenſum: alia verò quæ de hoc peccato infra diſputanda ſunt, in hac ſententia facilimè explicabuntur, quæ in alijs vix aut nullo modo explicari poſſunt.

Satisfit obiectionibus contra hanc ſententiam.

SEd quamuis hæc ſententia vera ſit non caret difficultatibus, & multipliciter impugnari ſolet, attingemus autem quæ magis vrgent.

primum argumentum. Primum argumentum eſt, defectus iuſtitiæ originalis non eſt in homine priuatio, ſed mera negatio, ergo non eſt mala, nec habet rationem peccati: antecedens probatur; quia iuſtitia originalis non eſt debita naturę, eſt enim ſupra naturam, priuatio autem non eſt niſi formæ debitæ. Et confirmatur, nam ſi in puris naturalibus concederetur homo, haberet eandem iuſtitiæ nuditatem, & nō haberet peccatum originale. Reſponde tur negando primum antecedens, & ad probationem dicendum eſt, iuſtitiam originalem fuiſſe homini debitam, non debito naturæ, ſed ex diuina inſtitutione, qui hoc donum contulit naturæ humanæ, quaſi proprio iure, & perpetuò poſſidendum: quod ſufficit vt defectus eius ſit priuatio, nam ſi quis ſpoliaretur regno, vel alia poſſeſsione, quæ, licet nō eſſet iure naturæ ſibi debita, alicuius donatione in dominium eius transſierat, verè eſſet priuatus. Ad confirmationem concedimus, defectum hunc, ſi in puris naturalibus conderetur homo, nō fore priuationem, ſed meram negationem, ſed ideò negatio eſſet, quia non erat inſtitutio, nec debitum, quod nunc interuenit.

Confirmatur.

Solutio.

Secundum. Secundū argumentum, ſi priuatio iuſtitiæ originalis eſt peccatum originale formaliter, inferūtur duo abſurda; primū eſt, per baptiſmum nō deleri totum id quod eſt peccatū originale; nam non reſtituitur iuſtitia originalis in omni latitudine, & ad illum effectum, qui eſt ſubdere vires inferiores ſuperioribus: alterum eſt, omnem, quicunque peccat, contrahere peccatum originale, quantùm ad præcipuam eius partem: nam incurrit gratiæ ſupernaturalis priuationem. *Solutio.* Reſpōdetur, primum incōueniens non inferri, nam abſentia originalis iuſtitiæ poſt baptiſmum non habet rationem priuationis, ſed negationis; cum enim iuſtitia originalis ſolum ſit debita naturæ humanæ ex diuina inſtitutione, quando Deus mutat inſtitutionem, & non vult iuſtitiam conferre non eſt amplius debita. Quandiu ergo homo eſt filius Adæ debetur illi, quod natura vi ſuæ inſtitutionis habere tenebatur; ſed poſtquam trāsfertur in membrū Chriſti non debetur amplius, quām quod Chriſtus eum habere decreuit. Secunda verò illatio neganda eſt, quia quāmuis priuatio gratiæ, quam quis contraliit per peccatum actuale, pertineat ad peccatum habituale, & ad maculam (vt infra quæſt. 86. oſtendemus,) non tamē poteſt dici peccatum originale, quia non eſt defectus per originem traductus, ſed propria voluntate contractus.

Tertium. Tertium argumentum, peccatum eſt contra legem, ſed priuatio iuſtitiæ originalis non eſt contra legem, ergo non habet rationem peccati: ſubſumptum probatur, quia nulla lex vel præceptum datum eſt hominibus, conſeruandi originalem iuſtitiam. *Solutio.* Reſpondetur, in primis non deeſſe omnino præceptum cōſeruandi iuſtitiam originalem; nam ex charitate tenetur homo, & tenebatur primus parens, non inferre ſibi, & poſteris nocumentum hoc, fatemur tamen, non fuiſſe ſpeciale præceptum, ſed pertinere ad circunſtantias generales peccati. Sed, quod ad rem attinet negādum eſt peccatum originale eſſe contra præceptum, aut in legis tranſgreſsione conſiſtere, hoc enim proprium eſt peccati actualis, eſt tamen in hoc peccato ali-

quid simile transgressioni legis, quatenus est priuatio formæ debitæ ex diuina ordinatione.

Quartum. Quartum argumentum, si Adam ideò induxit originale peccatum, quia donũ quod pro se, & pro posteris acceperat, sibi & posteris amisit: ergo potest in humanis contrahi peccatum originale, propter alios parentes: nam si rex conferat donum alicui pro se, & pro posteris, & ille propter crimẽ læsæ maiestatis illud amittat, priuatio illius doni erit peccatum originale in posteris. Respondetur, probat argumentum posse transferri culpa patris, aliquem defectum in filios; non tamen probat illum esse originale peccatum; quia cum non spectet ad rectitudinem naturæ rationalis, non erit culpa moralis, sed defectus longè distans à peccato; quia donum ad rectitudinem naturæ rationalis, qua talis est, conducens, nõ aliqua humana, sed diuina solum institutione potest per alterum communicari, & amitti.

Soluti.

Quintum. Quintum argumentum, priuatio originalis iustitiæ, est pœna peccati originalis, ergo non est culpa, consequentia videtur euidens; nam conditiones pœnę repugnant culpæ, pœna enim est à Deo, culpa autem non potest à Deo esse, pœna est bona simpliciter, licet sit mala ei, cui infertur, culpa autem est simpliciter mala, quod magis vrget hîc, nam culpa non potest esse pœna sui ipsius, prior enim est culpa, quàm pœna: antecedens autẽ probatur. primò ex S. Tho. qui in fra quæst. 85. art. 5. & quæst. 87. art. 7. & & 2. 2. quæst. 164 art. 1. apertè dicit priuationem iustitiæ originalis fuisse pœnam peccati originalis, & videtur certum; nam omnes concedunt iustitiam originalem sublatam fuisse hominibus, quia Adam peccauit.

Hoc argumentum valde torsit sectatores doctrinæ S. Thom. quo permoti Corduba, Sotus, & Medina existimant peccatum originale, non posse consistere in priuatione iustitiæ originalis, quæ sit donum habituale, & Medina & Sotus diuerterunt ad illam sententiam, quam supra impugnauimus, Corduba autem dicit, peccatum originale esse priuationem effectus iustitiæ originalis, non ipsius iustitiæ, effectus autem est subijci homini Deo. Sed hæc explicatio insufficiens est: primò est contra S. Thom. qui quæstione sequenti artic. 3. dicit, peccatum originale esse priuationem iustitiæ originalis, quæ subijciebat voluntatem Deo, non inquit est priuatio subiectionis, sed priuatio iustitiæ, quæ subijciebat, iustitia autem quæ subijeciebat donum habituale est. Præterea donum habituale iustitię, & subiectio illa habent se sicut forma, & effectus formalis, non potest autem distingui inter formam, & effectum formalẽ, vt vnius priuatio sit pœna, alterius culpa, si enim priuatio formę est pœna, & non potest esse culpa, nec etiam priuatio effectus formalis: præsertim, quia priuatio formę prior est, & eam sequitur priuatio effectus formalis.

Sot. Med. & Cordu. assertio.

Refellitur

Hac ergo, & alijs solutionibus omissis respondetur, distinguendum esse inter subtractionem iustitiæ originalis, & priuationem iustitię originalis, subtractio enim sit actio Dei, non qua aliquid agat, & vera actio sit, sed substractione actionis, qua conferat, & conseruet hoc donum: priuatio autem est absentia ipsius formę: concedimus ergo subtractionem iustitię originalis fuisse pœnam, & à Deo; priuatio autem non fuit pœna, sed culpa, & non habet rationem pœnę nisi indirectè, eo modo, quo vnum peccatum potest esse pœna alterius, quia Deus illud permittit, vt alterum puniat. Et quidem S. Thom. satis cautè locutus est in hac parte, non enim dixit priuationem iustitię originalis esse pœnam, sed quæst. 85. & 2. 2. art. 2. ad 4. dixit subtractionem eius esse pœnam & quæst. 87. dixit pœnam hanc esse destitutionem naturę, vt sibi ipsi relinqueretur, & quâmuis. 2. 2. articulo illo in corpore vtatur nomine priuationis, ad hunc sensum reducendus est.

Vera solutio.

Verba S. Thom. Considerandæ.

Si autem obijcias, si subtractio iustitię originalis est pœna, & à Deo, ergo priuatio est à Deo, atque adeò, vel non est culpa, vel Deus est author culpæ, illatio patet, quia illa priuatio consequitur necessariò subtractionem. Respondetur, negando consequentiam: quamuis enim subtractio sit à Deo, priuatio non tribuitur illi, primò quia Deus non agit positiua actione, sed vel non confert, vel non conseruat formam: deinde, quia Deus non tenetur conseruare illam, & quantum est ex se conseruaret, nisi natura humana apposuisset obicem: quia ergo natura ipsa impedit transfusionem, & conseruationem

Obiectio.

Diluitur.

nē huius doni, sibi & non Deo imputatur, simile omnino contingit, in causalitate peccati actualis, licet enim Deus operetur actum cui annexa est malitia, non tamen est causa malitiæ, quia non â se, sed determinatus â causa secunda cōcurrit: eodem modo licet Deus subtrahat donum iustitię, priuatio eius soli homini imputatur, quia Deus non â se, sed inductus ab homine subtractionem disponit. Aduertendum est tamen, subtractionem iustitiæ originalis non esse pœnam peccati originalis, quod singuli cōtrahunt, cum enim hæc subtractio prior sit peccato, sicut prior est priuatione, nō potest esse pœna eius; sed est pœna peccati primi parentis, quod fuit peccatum capitis, & causa peccati originalis, ita se explicuit Sanctus Thomas quæst. 85. art. 5. & 2. 2. vbi supra.

DISPVTATIO XLIIII.

Virum peccatum originale sit sufficienter voluntarium.

Oppositiones contra libertatē peccati originalis.

ALtera difficultas vrgēs in disputatione de peccato originali est, quomodo huic peccato insit ratio voluntarij, & liberi, quæ ad peccatum est necessariò requisita; peccatum enim intantùm est peccatum, in quantum voluntarium est, non est autem voluntarium, seu liberum quod vitari non potest, teste Augustin. 3. de lib. arb. cap. 8. cum ergo pueri denuo concepti nullam habeant libertatem, nec possint vitare hunc defectum, quod peccatū in ipsis est? Deinde Aristotel. 3. Ethicor. capit. 3. testatur neminem esse reprehēsibilem propter defectus, quos â natura contraxit, vel actione alterius patitur: *nullus enim*, inquit. *Improperat illi qui cæcus natus est, vel ab alio factus, sed potius miseretur.* Nec sufficit si recurramus ad voluntatem primi parētis, quia vt aliquid sit voluntarium aliena voluntate, oportet, vt vel commisserit alteri voluntatem, & vices suas, aut post factum, ratum habeat quod fecit, aut denique non impediat, cum possit, & teneatur, nullo autem ex his modis consenserunt posteri in actum primi parētis. Ad de, quia nos dicimus peccatum originale esse priuationem originalis iustitiæ, sed priuatio iustitiæ originalis, non fuit voluntaria Adamo, ergo nec voluntate eius est voluntaria nobis, quia nūquam Adamus voluit priuationem iustitiæ, sed inuitus passus est hoc detrimentum.

Prima. *Secunda.* *Aristot.* *Solutio.* *Impugnatur.* *Primo.* *Secundo.*

Communis solutio huius difficultatis est, peccatum originale esse voluntarium non voluntate propria contrahentium, sed voluntate primi parentis, & hanc sufficere, vt simpliciter sit voluntarium, & peccatum. Solutio est Augustin. 2. de nupt. & concupisc. cap. 28. & 6. contra Iulian. capitu. 3. & primo retractat. capit. 15. & alijs locis, & Anselmi lib. de concept. virgina. cap. 10. Magistri in 2. dist. 30. Sanct. Thom. hoc loco & alijs, vbi rem attigit, & omniū in vniuersum Theologorum. Et manifestum est, non posse aliam rationem voluntarij reperiri, sed neq; alia est necessaria; cum enim hoc peccatum quàmuis sit in singulis personis, non sit personale, sed naturæ, non est quærenda voluntas personalis, sed sufficit naturæ voluntas, qualis fuit voluntas Adami. In explicationem autem huius voluntarij variè loquuntur authores, & diuersis vtuntur exemplis: ne autem res fiat obscurior omissa varietate breuiter exponendum est, qua ratione voluntas Adami fuit imputabilis toti naturæ, & fuit voluntas omnium.

Communis solutio. *Augustin.* *Anselm.* *Magist.* *S. Thom.* *Explicatur.*

Fuit ergo voluntas Adæ totius naturæ, ea solum ratione, quia primus parēs erat naturæ caput, & actiones capitis qua caput est, sunt actiones totius corporis. Dupliciter ergo intelligi potest voluntatem Adæ fuisse omnium, vel quia voluntates singulorum in eo erant, vel quia voluntas eius erat voluntas communis, primo modo non fuit voluntas omnium, quia oporteret interuenire aliquem consensum singulorum, vno ex illis modis, quos argumentum factum pro ratione dubitandi impugnat, secundo modo optimè verificatur, quia regulare est, vt voluntas capitis censeatur totius corporis, hoc enim contingit in naturalibus, vbi actiones capitis toti corpori tribuuntur, & in moralibus, quod enim facit rex, vel princeps reipublicæ in quantum caput est, tota respub. censetur facere. Restat tamen expendere qua ratione Adam fuerit caput totius naturæ.

Voluntas Adæ fuit totius naturæ.

Est igitur asserendum Adam fuisse caput totius naturæ, non iure ipso naturæ, sed diuina institutione, nec ad quoscunque effectus, sed ad hunc, vt pro se, & pro

Adam caput naturæ institutione Dei.

& pro posteris acciperet, conseruaret, & perderet iustitiam originalem, & cætera priuilegia quæ illam consequuntur. Hoc assertum plura continet, quæ sigillatim probanda sunt. In primis Adam non fuisse caput generis humani natura ipsa instituente, probatur, quia si aliquo iure sibi competeret, maximè titulo generationis, & paternitatis; sed quâmuis hoc titulo proximus pater habeat potestatem, & ius capitis in filios, à qua tamen discursu temporis filij eximuntur, non tamen habet idem ius auus, nec extenditur in perpetuas generationes. Præterea ratione naturalis generationis pater non est caput filij, quantùm ad dona supernaturalia, in quibus vnusquisq; sui iuris est. Sequitur ergo primum hominẽ fuisse caput totius generis humani sola diuina institutione, & ad eos tantùm effectus, ad quos Deus instituit; non tamen constat instituisse fuisse caput ad alios effectus, quàm ad traductionem iustitiæ, & ideò nec asserendum est.

Probatur institutio. Sed restat, vt probemus, hanc institutionem. Eam vt probent multi affirmãt interuenisse quoddam pactum Dei cum Adamo, vt iustitiam, quam acceperat, sibi & posteris conseruaret in perpetuũ, nisi ab obedientia Dei recederet. Hoc *Solus.* pactum Sotus primo de natura & gratia cap. 10. dicit esse fabulosum, nec putat necessarium, vt primus parens sibi, & posteris iustitiam peccando amitteret: quia peccatum natura sua id inferebat, & non poterat non subsequi. Sed bona venia Sotus decipitur, quia nec per se necessarium erat, vt si proparens in obediẽtia permaneret, iustitiam in posteros hæreditario iure transfunderet, nec peccando non solum sibi, sed posteris noceret, & iustitia eos spoliaret; nec in natura vllum fundamentum id habere potest, aut certè parentibus proximis id ipsum concedendum esset, quod nullus affirmare audebit. Necessariò ergo interuenit lex & ordinatio Dei, quam pactum vocamus. Verum est tamen, hoc pactum non esse putandum simile contractibus humanis, in quibus requiritur consensus vtriusque partis, non enim exigebatur consensus, & acceptatio Adami, & sola diuina voluntate potuit fieri. Pactum autem & institutio conueniens fuit, tum quia omnes homines habent connexionem inter se ratione naturæ communis & cum Adamo propter continuatam seriem generationum, qua ab ipso, vt à primo principio procedunt; tum etiam, quia donum iustitiæ originalis gratuitum est, & liberaliter concessum, nec debitum naturæ: quare absque iniuria dependenter à voluntate alterius conferri potuit. Cui institutioni simile contingere posset in humanis, si rex concederet priuilegium nobilitatis, vel possessionem arcis alicui hæreditario iure à nepotibus perpetuò obtinendam, dummodo ipse perseueraret in obedientia, & fide erga regẽ.

Colligitur ex traditione Ecclesiæ. Interuenisse autem pactum hoc, & institutionem probari potest Ecclesiæ traditione, quam expressit Concilium Trident. quando dixit, primum hominem sibi, & nobis amisisse iustitiam, & sanctitatem. Cum enim id verificari nõ possit nisi hoc pactum & institutio præcesserit, vt contra Sotum probauimus, infertur interuenisse. Controuertitur tamen, vtrum sit aliquis sacræ Scripturæ locus ex quo deduci possit. Augustin. 16. lib. de ciuitate Dei capit. 27. deducit illud ex verbis Genes. 17. *Masculus cuius præputij caro circuncisa non fuerit, peribit anima eius de populo suo, quia pactum meum irritum fecit.* Vult enim circuncisionem fuisse remedium originalis peccati, & ideò absque circuncisione paruulum periturum, quia reus est transgressionis pacti, quod Adamus præuaricatus est; eodem testimonio vtitur frequenter in libris contra Pelagianos. Sũt etiam, qui hoc pactum significatum esse velint Oseæ. 6. cum dicitur. *Ipsi autem sicut Adam, trangressi sunt pactum, ibi præuaricati sunt in me.* Hieronymus apertè refert hæc verba ad peccatum originale, & ad pactum, quod cum Adamo initum est. Neoterici autem abijciunt hæc testimonia, vt ab instituto aliena, & inefficatia. Sed de primo, non contendo, in uoluit enim quæstionem illam, vtrum circuncisio instituta fuerit in remedium peccati originalis, quæ non est huius instituti, egrè tamen fero, sententiam Augustini. & S. Tho. ita contemni, vt nec probabilis censeatur. Secũdum verò, (licet fortè possit aliter exponi) expositionẽ Hieronymi non tantùm arbitror esse probabilem, sed germanam, & literæ vim exprimẽtem. Nam primò planè refert, Adam transgressum fuisse pactum Dei, & illud *ibi* relatiuũ, est quod refert rem proximè antecedentem, non est autem quod proximè referat, nisi Adamum, vel locum vbi Adamus pec-

Ex scriptura. Augustin. Genes. 17.

Oseæ. 6.

Hieron.

Vazq. disp. 130. ca. 2.

cau-

cauit, in quo loco, vel in qua persona, dicit, fuisse præuaricatos.

Sed, præter hæc testimonia, negari non potest, pactum hoc expressum fuisse Genes. 2. illis verbis. *De ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas, in quacunque enim die comederis, morte morieris.* Nã hæc verba legem, & institutionem continent, qua mors statuitur pœna peccati illius, & ad totam posteritatem referri, docet Athanas. lib. de incarnatione verbi, & August. 16. de ciuitate Dei capitulo. 27. & indicauit Paulus ad Roman 5. quando dixit. *Per vnum hominem peccatum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt*; nec enim alia ratione per vnum hominem mors in omnes pertransijt, quàm quia impletum est in omnibus illud decretum. *In quacunque die comederis morte morieris.* Quod vno verbo expressit Ecclesiasticus cap. 14. dicens. *Testamentum mundi, morte morietur, vel morieris.* Quasi dicat, testamentum cum mundo illud fuit quando statutum est, si comederis morte morieris: testamentum autem & pactum in sacra Scriptura idem sunt, sic exponit August. vbi supra, quàmuis legat testimonium hoc verbis parum differentibus, sed in eodem sensu. Porro, licet Genes. 2 tãtum exprimatur pactum de conseruatione, & amissione iustitiæ quantum ad effectum immortalitatis, idem intelligendum est de omni effectu, quem præstabat, tum quia phrasis est sacræ Scripturæ in parte totum significare, tum etiam, quia non est quare nomine mortis intelligamus solam corporalem, sed corporalem simul & spiritalem, vt intelligit August. 13. de ciuitate Dei capit. 12. Gregor. Eucherius, & alij quos allegat Lyppomanus in catena & glossa ordinaria. Habemus ergo Adamum fuisse caput generis humani, & ideô voluntate ipsius fuisse volũtariam vniuersæ naturæ amissionem iustitiæ, atque adeô peccatum originale.

Ex dictis explicari potest, quare Adam peccando potuit inficere naturam: resipiscens tamen, & agens pœnitentiam, non potuit illam reparare. Ratio enim est, quia quando peccauit egit vt caput, pœnituit tamẽ non vt caput, sed vt persona priuata, quia non est institutus caput ad effectum pœnitendi. Nec conueniens fuit, vt institueretur, quia necessaria erat satisfactio pro culpa, quam ipse non solum pro tota natura, sed nec pro se ipso potuit condignè exhibere & indiguit virtute alterius capitis, quod eam præstaret.

Ad rationem dubitandi respondetur, hoc peccatum esse voluntarium, nõ voluntate propria contrahentium, sed voluntate communi capitis. Ad authoritatem Aristot. respondetur, Aristotelem non cognouisse hoc genus peccati, & loquutum fuisse de peccatis actualibus: sed potest quodãmodo Arist. sententia accomodari huic peccato: nam est duplex increpatio, & improperium, vnũ consistit in sola indignitate, & incapacitate alicuius boni, & hoc potest pati homo propter peccatum alterius, & ob defectum omnino naturalem, sic enim legibus humanis excluduntur multi à dignitatibus propter defectum natalium: aliud improperium consistit in reprehensione, & obiurgatione personæ, quod nullus iustè patitur, nisi peccatum propria voluntate committat: primum ergo improperij genus competit infantibus propter peccatum originale, & non secundum, quod amplius explicabimus infra, agentes de pœna huius peccati. Id verò quod probat, voluntatem Adæ non fuisse nostram, in ipsa resolutione quæstionis soluimus. Ad confirmationem autem respõdetur priuationem iustitiæ originalis voluntariam fuisse Adamo simpliciter, licet fuerit inuoluntaria secundùm quid, quâmuis enim cõsiderata eius vtilitate nollet eam amittere, ex quo tamen voluit peccare, præuidens hoc detrimentum, voluntariè amisit.

Genes. 2.

Athan. August. Rom. 5.

Eccles. 14.

Corolla.

Ad obiectiones in principio oppositas. Arist. exponitur.

DISPVTATIO XLV.

Quomodo peccatum originale traducatur per originem.

RAtio dubitandi est, quia generatio fit virtute seminis, semen autem materiale instrumentum est, quod nõ potest agere in animam producendo in ipsa peccatum. Adde, peccatum originale esse priuationem iustitiæ originalis, iustitia verò non poterat traduci per originem, quia erat donum naturæ sua infundendum à Deo, & à nulla causa naturali producibile. Hoc dubiũ torsit

Nodus difficultatis.

torsit authores; quia pendet ex vera sententia de ratione formali, in qua peccatum originale consistit, quæ non est vna omnibus opinantibus. In primis vitanda est assertio, quam S. Thom. reijcit in litera, animas rationales esse extraducē & produci virtute seminis, licet enim ea admissa, faciliùs esset intelligere per generationem contrahi peccatum; sed assertio est hæresis damnata in Concil. Lateran. sub Leone. 10. sessio. 18. Vitandus est 2. error hæreticorum nostri temporis, qui hoc peccatum sicut alia concedunt fieri directè à Deo, qua enim ratione hæreticum est cætera peccata Deo tribuere, eadem hoc, cum sit verè peccatum. Tertiò, reijcienda est sententia Magistri, & aliorum quos supra retulimus, dicentium, peccatum originale esse qualitatem morbidam. Qui quoad traductionem eius ita philosophantur, vt ex feruore libidinis, cum qua parentes generant, corrumpatur semen, & ex hac corruptione producatur in carne geniti qualitas quædam vitiosa, ex qua fit in anima qualitas morbida, quæ est concupiscentia, in qua peccatū originale constituunt. Sed supra ostendimus, illam qualitatem non esse peccatum originale, inferius autem quæstio. 82. probabimus, qualitatem ipsam, & modum traductionis eius esse impossibilem.

Errores vitandi.

Vera sententia.

His ergo, & alijs omissis, doctrina Sanct. Tho. est, peccatum originale traduci per originem, non aliqua efficaci causalitate, qua producatur virtute seminis, & generationis; sed indirectè resultantia quadam, quatenus naturali generatione producitur homo, qui sit filius Adæ, & membrum eius, ex quo habet, vt nascatur priuatus iustitia originali. Nam quia primus parens pro se, & pro posteris iusticiam amisit, eo ipso quo quis generatur filius Adæ, contrahit hanc priuationem, ad hoc autem vt sit filius Adæ, & membrum eius, nil amplius requiritur, quàm vt naturali modo generetur de stirpe ipsius.

Primum Corollar.

Ex hac doctrina sequuntur quædam corollaria aduerti digna. Primò sequitur, peccatum originale contrahi ab hominibus in primo instanti suæ conceptionis, & in primo esse hominis producti, patet, quia in quocunque instanti intelligitur homo productus, est filius Adæ, & membrum eius, & ideò priuatus originali iustitia. Secundò sequitur,

Secūdum.

non facere vt homines contrahant peccatum originale, si concipiantur cum delectatione, & generentur cum ardore libidinis: nam si nulla delectatio interueniret permanente eadem generatione nihilominus contraherent peccatum originale, & è conuerso si cum delectatione ex alia stirpe generarentur, non contraherent illud. Et licet hac ratione vtatur Beda in libro quæstionum quæst. 14. & Augustin. eam indicet primo de nuptijs & concupiscentia capite. 23. & de peccatorum meritis & remissione capit. 2. & 3. interpretandi sunt, non vt assignent rationem à priori, sed à posteriori: quia enim homines cum hac libidine generantur, signum est, eos esse filios Adæ & peccatum contrahere.

Beda. *Augus.*

Tertium.

Tertiò sequitur decisio illius dubij, vtrum peccatum originale habeat causam naturalem, vel moralem? & alterius, vtrum à solo primo homine, an à proximis parentibus, & semine emanet? Dicendum est enim, peccatum originale potius moralem, quàm naturalem causam habere, quàmuis naturales causæ interueniant in eius traductione: & proximos parentes, ac semen, quod generationis est instrumentum, non inducere directa actione peccatum originale, quàmuis concurrant, & præstent aliquid conducens, vt contrahatur. Nam propria causa peccati fuit Adam, qui non fuit causa naturalis, & physica, sed moralis: atque adeò peccatum originale simpliciter loquendo, non habet causam naturalem, sed moralem: quàmuis causæ naturales generationis indirectè faciant ad eius propagationem. Vltimò sequitur,

Quartum.

in quo sensu accipiendum, & verificandum sit, quod ab aliquibus asseritur, semen generationis humanæ post peccatum Adami infectum esse, & immundū; iuxta illud Iob. 14. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine.* Et etiam quod dicitur animam infici, & contrahere peccatum originale ex consortio carnis, vt in vase corrupto corrumpi solet liquor; quod dixit August. 5. lib. contra Iulian. cap. 3. hæc enim non ita accipienda sunt, quasi in semine, vel in carne sit aliquid naturæ superadditum, vel aliqua qualitas, aut corruptio, intrinseca; sed semen dicitur immundum, & infectum, quatenus est principium generandi hominem cum peccato; & ca ro dicitur inficere animam, quia anima,

Iob. 14. *Augus.*

non

non contrahit peccatum originale, nisi quatenus in carne recipitur, cũ qua hominem constituit. Solutio rationis dubitandi patet ex dictis. Ad confirmationem autem respondetur eandem esse rationem de iustitia originali, & de originali peccato; nam etiam iustitia originalis transfundenda erat per originem, nõ efficacia naturalis generationis, sed à Deo, ratione tamen debiti moralis, cô quod genitus de stirpe Adæ propter Dei pactum, & obedientia patris ad eam ius acquisierat. Hoc interest inter peccatũ originale, & iustitiam, quod quia illa esset entitas positiua, indigebat positiua Dei actione, peccatum autem originale, cum sit priuatio, tantûm requirit negationem actionis.

Diluũtur obiecta.

Obiectio.

Sed obijcies, si peccatum originale, per generationem traducitur, ergo parentes qui generant semper peccant, quia sunt causa, vt filius contrahat peccatum. Respondetur consequentiam esse infirmam: nam hoc pecactum indirectè, ex generatione resultat: & parentes generando, potius non impediũt, quàm sint causa peccati originalis, quia non sit actione efficaci, & per se in illud ordinata, sed resultat ex generatione: impedire autem non tenentur, maximè cum dispendio totius naturæ, cuius propagatio cessaret, si generatio esset illicita.

Solutio.

DVBIVM APPENDIX.

Vtrum peccatum originale sit propriè, & verè peccatum.

EX his quæ de peccato originali disputata sunt, potest expediri dubium circa modum loquendi, vtrum peccatũ originale propriè & simpliciter, an secundũ quid & impropriè peccatum appelletur. Durand. in 2. dist. 30. quæsti. 2. quàmuis concedat catholicè peccatum originale, asserit tamen, non esse veri nominis peccatum: sed impropriè & secundũm quid peccatum vocari. Id affirmat, quia ratio peccati includit volũtarium, & eodem modo est aliquid peccatum, quo est voluntarium; & quia peccatum originale impropriè est voluntarium, impropriè etiam videtur esse peccatũ. Est tamen impropriè voluntarium, quia non est voluntarium voluntate contrahentis, sed voluntate aliena & voluntate aliena indirectè est volitum, quatenus primus parens aliud volens, & intendens, amisit donum iustitiæ, quæ est impropriissima ratio voluntarij. Decanus Iobani. art. 2. contra Luthærum, docuit etiam peccatum originale non esse verè, & propriè peccatum. Quod videtur sibi colligere ex Concil. Arau. capit. 2. & Tridentin. in decreto allegato, quatenus asserunt: per originem contrahi peccatum, quod est mors animæ; putat enim illud *mors animæ*, esse conditionem diminuentem. Horum sententia confirmari potest, quia peccatum est defectus in actione, vt Sanct. Thom. dicit quæst. 21. artic. 1. & Augustinus definit peccatum esse. *Dictum, vel factum, vel concupitum, &c.* & peccatum originale, nec est actio, nec in actione consistit.

Durand.

Ruard.

Sed dicendum est, peccatum originale esse verè, & proriè peccatum nec aliter loqui licet, si catholicè loquendum est. Probatur primò, quia sacra Scriptura tribuit ei nomen peccati absolutè: & tribuit effectus peccati, nempe constituere peccatorem, inimicum Dei, immũdum, maculatum, & qui indigeat iustificari, & lauari. Secundò, quia Concil. Tridentin. sessione. 5. in decreto de peccato originali definit per bapaismum tolli. *Retum id, quod veram, & propriam habet rationem peccati*, supponit ergo esse aliquid, quod veram, & propriam habeat rationem peccati. Tertiò, quia vera ratio peccati inest huic peccato: est enim priuatio rectitudinis, & malum oppositum naturæ rationali, voluntarium.

Refellitur

Peccatum originale veri nominis peccatum.

Sed quæritur, vtrum hoc peccatum sit vniuocè peccatũ cum alijs. Capre. in 2. d. 30. q. vnic. art. 3. ad argum. Durandi contra secundam conclusionem dicit æquiuocè esse peccatum. Ricardus autem distinct. 33. artic. 2. quæst. 2. agnoscit analogiam. Sed distinguendum est, si enim comparetur cum peccatis habitualibus, seu maculis quibus homines post actum peccati, peccatores constituuntur, vniuocam similitudinem, & cõuenientiam habet, quia sicut macula aliorum in priuatione gratiæ consistit, sic originale peccatum priuatio iustitiæ est. Si comparetur verò cum peccato actuali, non vniuocè, sed analogicè conuenit: quia nec peccatum actuale, & macula ab eo relicta conueniunt vniuocè; non

Dubium. Capreol.

Ricard.

Solutio.

non enim est aliquid vniuocum actui defectuoso, & priuationi habituali. Cōuenire tamen analogicè patet, quia esse priuationem rectitudinis, & malum oppositum naturæ rationali competit vtriquè, in quo, vt minimum, habent vnitatem analogam.

Fundamẽtum Dur. enertitur. Fundamentum, quo Durandus negat peccatum hoc esse proprie peccatum infirmum est. Nam primò negamus rationem voluntarij adæquari peccato, vt tale sit peccatum quale est voluntarium; non enim est essentia peccati, sed conditio ex parte subiecti, & potest esse directè peccatum, quod est indirectè voluntarium, vt sæpius probatum est in superioribus: & eodẽ modo impropria ratio voluntarij poterit sufficere ad exactam rationem peccati. Secundò respondetur illam rationem voluntarij, quæ est in peccato originali, licet sit impropria respectu personæ, esse propriam respectu naturæ. *Ruard i.* Fundamentum Ruardi nullius est momenti, quia illa verba, *mors animæ*, non continent conditionem diminuentem, sed potius veram explicationem essentiæ & proprietatis huius peccati, nam verè peccatum est, quod mors animæ est. *Tertium.* Ad tertium verò facilè dicitur, definitiones illas esse peccati actualis, cui fatemur prius impositum fuisse nomen, quod postea per analogiam extensum est ad peccatum habituale, & quia peccatum actuale est primum analogatum aliquando absolutè significatur nomine peccati, licet habituale etiam verè peccatum sit.

ARTICVLVS II.

Vtrum etiam alia peccata primi parentis, vel proximorum parentum traducantur in posteros.

2. dist. 20. q. 2. art. 3. ad 1. Et d. 32. q. 1. artic. 1. Et 4. contra cap. 52. ad 13. Et mal. q. 4. art. 8. AD secundũ sic proceditur. Videtur quòd etiam alia peccata vel ipsius primi parentis, vel proximorum parentum traducantur in posteros. Pœna enim nunquam debetur nisi culpæ: sed aliqui puniuntur iuditio diuino pro peccato proximorum parentum, secundùm illud Exod. 20. Ego sum Deus zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem. Iudicio etiam humano in crimine læsæ maiestatis filij exheredantur pro peccato parentum: ergo etiam culpa proximorum parentum transit ad posteros.

Secundò præterea. Magis potest transferre in alterum id quod habet aliquis à se ipso, quàm id quod habet ex alio, sicut ignis magis potest calefacere, quàm aqua calefacta; sed homo transfert in prolem per originem peccatũ quod habet ab Adam: ergo multò magis peccatum quod ipse commisit.

Tertiò præterea. Ideò contrahimus à primo parente peccatum originale, quia in eo fuimus sicut in principio naturæ, quam ipse corrupit: sed similiter fuimus in proximis parentibus, sicut in quibusdam naturæ principijs, quæ etsi sint corrupta, possunt adhuc magis corrumpi per peccatum, secundùm illud Apocal. vltim. Qui in sordibus est, sordescat adhuc: ergo filij contrahunt peccata proximorum parentum per originem, sicut & primi parentis.

Sed contra. Bonum est magis diffusiuum sui, quàm malum: sed merita proximorum parentum non traducuntur ad posteros: ergo multò minùs peccata.

Respondeo dicendum, quòd Augustin. hanc quæstionem mouet in Enchirid. & insolutam relinquit. *Capit. 46. & 47. tomo 3.* Sed si aliquis diligenter attendat impossibile est, quòd aliqua peccata proximorum parentum, vel etiam primi parentis, præter primum per originem traducantur. Cuius ratio est, quia homo generat sibi idem in specie, non autem secundùm indiuiduum: & ideò ea quæ directè pertinent ad indiuiduum, sicut personales actus, & quæ ad eos pertinent, non traducuntur à parentibus in filios. Non enim Grammaticus tradu-

cit

cit in filium scientiam grammaticæ, quam proprio studio acquisiuit: sed ea quæ pertinent ad naturam speciei traducũtur à parẽtibus in filios nisi sit defectus naturæ, sicut oculatus generat oculatum, nisi natura deficiat: & si natura sit fortis, etiam aliqua accidentia individualia propagantur in filios, pertinentia ad dispositionem naturæ, sicut velocitas corporis, bonitas ingenij, & alia huiusmodi; nullo autem modo ea quæ sunt purè personalia, vt dictum est. Sicut autem ad personam pertinet aliquid secundùm se ipsam, & aliquid ex dono gratiæ: ita etiam ad naturam potest aliquid pertinere secundùm se ipsam, scilicet quod causatur ex principijs eius, & aliquid ex dono gratiæ: & hoc modo iustitia originalis, sicut in primo dictum est, erat quoddam donum gratiæ toti humanæ naturæ diuinitùs collatum in primo parente, quod quidem primus homo amisit per primum peccatum: vnde sicut illa originalis iustitia traducta fuisset in posteros simul cum natura, ita etiam inordinatio opposita. Sed alia peccata actualia, vel primi parentis, vel aliorum non corrumpũt naturam, quantùm ad id quod naturæ est: sed solum quantùm ad id quod personæ est, ideſt, secundùm pronitatem ad actum: vnde alia peccata non traducuntur.

In illo artic.

Quæst. 100 art. 1.

Ad primum ergo dicẽdum, quòd pœna spirituali, sicut Augustinus dicit in epistola ad Auitum, nunquam puniuntur filij pro parentibus, nisi communicent inculpa, vel per originem, vel per imitationem, quia omnes animæ immediatè sunt Dei, vt dicitur Ezech. 18. Sed pœna corporali interdum iudicio diuino, vel humano puniuntur filij pro parentibus, inquantùm filius est aliquid patris, secundùm corpus.

Epist. 75. ad Auitũ tom. 2.

Ad secundum dicendum, quòd illud quod habet aliquis ex se, magis potest traducere, dummodo sit traducibile: sed peccata actualia proximorũ parentum non sunt traducibilia, quia sunt purè personalia, vt dictum est.

In corpor art.

Ad tertium dicendum, quòd primum peccatum corrumpit naturam humanam corruptione ad naturam pertinente: alia verò peccata corrumpunt eam corruptione pertinente ad solam personam.

EXPOSITIO ARTICVLI.

Prima conclusio exponitur.

SAtisfacit S. Doctor quæsito duabus conclusionibus. Prima est, solum primum Adami peccatum fuit radix peccati originalis. Pro explicatione aduertendum est, primum Adami peccatum, quod ad rem attinet, fuisse transgressionem præcepti non comedẽdi de ligno vetito, quàmuis enim Theologi agnoscant peccatum prius, quod fuit superbia, siue inordinatus amor cõiugis, siue aliud, iuxta diuersas sententias; sed hæc non fuerunt peccata distincta ab esu pomi, & habent se ad illum tamquàm actus interior, vel motiuum quo Adam inductus est ad transgressionem præcepti, & cum ipsa transgressione efficiunt vnum actum, vel peccatum completum, vt docet S. Thom. 22. quæst. 163. art. 1. Illud autem peccatum fuisse radicem originalis tradit communis sermo Ecclesiæ. Et constat ex sacra Scriptura: nam Genes. 2. dicitur, *In quacunque die comederis morte morieris*, & Genes. 3. *Dedit que viro suo, & comedit, & aperti sunt oculi amborũ, cumq; cognouissent se esse nudos*: & infra. *Quis indicauit tibi, quod nudus esses, nisi quòd de ligno, de quo præceperam tibi, ne comederes, comedisti.* Præter hoc autem peccatum cætera peccata Adami si quæ fuissent, non inducerent peccatum in naturam, non ea solùm ratione, quia amissa semel iustitia originali, non potuit amplius amitti: sed quia etiam si Adam non ederet de ligno vetito, cõmitteret tamen aliquod peccatum mortale, non transiret peccatum originale in posteros. Hoc probatur simili argumẽto, quo S. Tho. probat, Christũ non venturum, si Adam nõ peccasset: quia quod dependet à diuina voluntate

Obserua.

Genes. 2.
Genes. 3.

non possumus, nisi eius reuelatione, cognoscere, amissio autem iustitiæ originalis pro tota natura non aliunde quàm â diuina institutione, vim habet, ergo nõ potest nobis, nisi Dei reuelatione constare, sed non constat pactum, & institutio de amittenda, & conseruanda iustitia pro posteris, nisi ob illud præceptũ, ergo non licet asserere propter alia peccata amittendam.

Secũda cõclusio. Confirmatur.

Secunda conclusio est. Peccata aliorũ parentum non traducunt peccatum originale. Circa quam aduertẽdum est, Augustinum disputare hâc quæstionem in Enchirid. cap. 46. vbi, ni fallor, non manet dubius, sed resoluit probabile esse, per peccatum proximorum parentum traduci aliquod peccatũ originale, manet tamen dubius in eo, vtrum peccata parentum transeant in filios in perpetuas generationes, an solum in tertiam, vel quartam. Sed quamuis Augustinus eo loco ita censuerit in libris contra Pelagianos, vbi de peccato originali ex instituto disputat, vnum tantùm peccatum originale agnoscit deriuatum ab Adam: & hæc est certa sententia S. Tho. & omniũ Scholasticorum, quam etiam tradit Anselmus libro de conceptu virginali cap. 23. Est de fide; nam ad Roma. 5. dicitur. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt multi* Quod non esset verum nisi solus Adamus, & non cæteri progenitores peccatum tranfunderent. Præterea, in Concil. Trid. diffinitur peccatum originale esse vnum origine, nec Ecclesia aliquando agnouit aliud peccatum originale. Adhæc, Pius ac Gregor. Pontifices in Bulla relata inter alias dãnauerunt hanc propositionem Doctoris Lobanensis quę est. 56. *Omne scælus eius est conditionis, vt suum authorem & omnes eius posteros eo modo inficere possit, quo infecit prima trãsgressio.* Ratione deniq; probatur, quia nec iustitia originalis, neq; aliud donum ad rectitudinem naturæ pertinens, collatum est cuiquam alteri, pro se, & pro posteris, neque alius pater institutus est caput naturæ.

Sententia Augusti.

S. Thom. Anselm.

Rom. 5.

Dubium.

Sed inquiri solet, si Adam non peccasset, peccasset tamen vnus de posteris eius, successores illius contraherent peccatum originale? Scot. in 2. dist. 52. §. *ad argumenta 3. quæstionis* Conrra. in hoc art. & Dried. lib. de captiuit. & redemp. tract. 2. c. 1. p. 4. affirmant; & videtur esse sententia S. Tho. q. 5. de malo art. 4. ad 8.

Sententia Scoti. Conrad. Driedonis.

Probatur â simili in humanis, nã priuilegium â Rege concessum, non tantũ amittit sibi, & posteris, ille cui primò cõcessum est, sed quicunq; in eius familia cõmittit crimen læsæ maiestatis. Res tamẽ est incerta, quia non constat diuina institutio, sed probabilius est cæteros Adami successores sibi tantum, & non posteris potuisse amittere iustitiam, & ab ipsis non fore communicandum peccatũ. Primò, quia solùm constat cum Adamo fuisse institutum pactum. Secũdò, quia iustitia originalis trãsfundenda nõ erat, propter proximos parẽtes, sed propter primum. Neq; est simile exemplũ ab humanis petitum: nã propter cuiuscunque parentis crimen amitti priuilegia humana expressè statutũ est legib⁹ humanis, non tamen idẽ quoad iustitiam decretũ est lege diuina, aut certè non constat institutio. Hanc assertionem supponit S. Tho. 3. p. q. 1. art. 4. definiens, si Adã non peccaret non fuisse venturũ Christum, quia, scilicet, Adamo nõ peccante, non esset peccatũ originale; & idem colligitur ex hoc articulo, nã S. Tho. idcò probat, per solum Adam traduci peccatum originale, quia ea, quæ sunt naturæ, non possunt communicari nisi â primo capite; quæ probatio inefficax est, nisi communicatio iustitiæ originalis â solo Adamo penderet.

Refellitur Solus Adã potuit originale peccatũ transfundere.

S. Thom.

ARTICVLVS III.

Vtrum peccatũ primi parentis transeat per originẽ in omnes homines.

1. q. 100. art. 1. cor. Et 3. q. 31. art. 8. & q. 52. art. 7. ad 2. & q. 68. art. 9. cor. Et 2. d. 31. q. 1. ar. 2. Et 3. d. 3. q. 4. art. 2. Et 4. cõtra ca. 50. & 51. Et mal. q. 4. artic. 6. & quol. 6. artic. 7. & Rom. 5. le. 3. fin.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod peccatũ primi parentis nõ trãseat per originem in omnes homines. Mors enim est pœna cõsequẽs originale peccatũ, sed nõ omnes qui procedũt seminaliter ex Adam, morientur, illi enim qui viui reperiẽtur in aduentu Domini nunquã morientur, vt videtur, per hoc quod dicitur 1. Thesal. 4. Nos qui viuimus, nõ præueniemus in aduentu Domini eos qui dormierunt: ergo illi non contrahunt originale peccatum.

Secũdò prætereà. Nullus dat alteri, quòd ipse nõ habet, sed homo baptizatus nõ habet peccatũ originale: ergo nõ traducit ipsum in prolem.

Tertiò prætereà. Donum Christi

ti est maius, quàm peccatum Adæ, vt Apostol. dicit Roman. 5. Sed donum Christi, non transit in omnes homines: ergo nec peccatum Adæ.

Sed contra est, quòd Apostol. dicit Roman. 5. Mors in omnes pertransijt in quo omnes peccauerunt.

Respondeo dicendum, quòd secũdum fidem catholicam firmiter est tenendum, quòd omnes homines, præter solum Christum ex Adam deriuati, peccatum originale ex Adam contrahunt: alioquin nó omnes indigerent redẽptione, quæ est per Christum, quod est erroneum. Ratio autẽ sumi potest ex hoc, quòd supra dictũ est, scilicet quòd sic ex peccato primi parentis traducitur culpa originalis in posteros, sicut â voluntate animæ per motionẽ membrorũ traducitur peccatum actuale ad mẽbra corporis. Manifestum est autẽ ꝙ peccatũ actuale traduci potest ad omnia mẽbra quæ nata sunt moueri â voluntate. Vnde & culpa originalis traducitur ad omnes illos, qui mouentur ab Adam motione generationis.

Artic. 1. huius q.

Ad primũ ergo dicẽdũ, ꝙ probabilius, & conueniẽtius, tenetur ꝙ omnes illi, qui in aduentu Domini reperientur, moriẽtur, & post modicum refurgẽt, vt in. 3. plenius dicitur. Si tamen hoc verum sit, quòd alij dicunt, quod illi nunquã morientur, sicut Hieronymus narrat diuersorũ opiniones in quadam epistola ad Minerium de resurrectione carnis, dicendum est ad argumentum, quòd illi etsi non moriantur, est tamen in eis reatus mortis: sed pœna aufertur à Deo, qui etiam peccatorum actualium pœnas condonare potest.

Incipit hac Epist. in ipso profectionis &c. to. 3.

Ad secundũ dicẽdũ, ꝙ peccatũ originale per baptismũ aufertur reatu, inquãtũ anima recuperat gratiã quãtũ ad mẽtẽ; remanet tamen peccatũ originale actu quãtũ ad fomitẽ, qui est inordinario partiũ inferiorũ animæ, & ipsius corporis, secũdũ quòd homo generat, & non secundũ mentẽ, & ideò baptizati traducũt peccatũ originale. Nõ enim parẽtes generãt in quãtũ sunt renouati, per baptismũ, sed inquantũ retinent adhuc aliquid de vetustate primi peccati.

Ad tertiũ dicẽdũ, ꝙ sicut peccatũ Adæ traducitur in omnes, qui ab Adã corporaliter generãtur: ita gratia Christi traducitur in omnes qui ab eo spiritualiter generantur per fidẽ, & baptismum: & nõ solum ad remouendam culpam primi parentis: sed etiã ad remouẽdũ peccata actualia, & ad introducẽdum in gloriam.

RESpondet S. Tho. peccatum illud trãsisse per originẽ in omnes posteros Adami, qui per naturalẽ generationem ab ipso procedũt. Quod de fide est, nam testimonia quibus probatur, transfundi peccatum in posteros Adæ, probant vniuersim de omnibus, ad Rom. 5. *In quo omnes peccauerunt*, & *Iudiciũ ex vno in omnes in condẽnationem*. Quare cum dicitur. *Per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt multi*, idẽ valet, ac omnes, quia omnes multi sunt, sic Mat. 25. *Qui pro vobis, & pro multis effundetur*, ideſt, pro omnib⁹.

Conclusio de fide.

Roman. 5.

Mat. 25.

Sed dubium est, vtrum sit de fide omnes homines re ipsa contrahere peccatũ originale, an solũ necessitatem & debitum contrahendi. Caiet. in hoc articulo existimat, tantũ esse de fide debitum cõtrahendi vniuersale. Probat, quia eodẽ contextu, & eisdem verbis Paulus dicit, nos contrahere peccatũ, & mortem. *Per vnũ hominem*, inquit, *peccatum intrauit in mundũ, & per peccatum mors*, sed nõ est de fide omnes homines esse morituros, adhuc enim in quæstione est vtrũ illi, qui tẽpore iudicij viuent, morientur an viui rapientur ad Iudiciũ, vt S. Tho. attigit in solutione ad 1. & latius in 4. d. 44. & tantùm est de fide cõtrahi necessitatem, & debitum mortis, ergo neque est de fide omnes contrahere peccatum ipsum originale. Præterea, quia secus de fide esset Beatam Virginem contraxisse peccatum originale.

Dubium.

Caietan.

Sed sentẽtia Caiet. singularis est, nec admittenda, non enim est tuta in fide: quia scriptura absolutè docet nos contrahere peccatũ, nõ peccati debitũ: & nisi de fide esset omnes homines actu cõtrahere peccatũ originale, nõ esset, Petrum,

Refellitur Nõ solum debitum peccati, sed peccatum contrahitur.

trum, & Ioannem, & alios singulares homines, illud contrahere, quod tamen est. Neque obstat argumentum Caiet. nam licet Paulus eodem modo locutus sit de peccato & de morte, sed Ecclesia diuersimodè vtrunque intellexit, & meritò. Nam peccatum est culpa, & culpa non dicitur contrahi propter solum debitũ contrahendi, sed quando verè & realiter inest, mors autem est pœna, & pœna communi vsu loquendi incurri dicitur, quando reatus eius incurritur, quâmuis non statim conferatur, & quàmuis aliquando benignitate iudicis relaxetur: qui enim furatur absolutè dicitur contraxisse pœnam suspendij, quâmuis nõ semper fur suspendatur. Ad confirmationem verò de Beata Virgine, respondetur, exceptionem illam esse singularem, quæ sola authoritate Ecclesiæ fieri potuit: Ecclesia enim à Spiritu sancto edocta Beatam Virginem excepit, permittens eius immunitatem doceri, & affirmari, vt patet ex Concil. Tridenti. & constitutione Sixti Quarti, quam Concil. renouat. De qua virginis præseruatione fusiùs tractandum est. 3. part. ad quæst. 27.

Soluitur. Caiet. argumentũ.

Confirmatio. Beata virgo excipitur.

Dubium.

Catheri.

Durand.

Solutio.

August.

Aliud dubium solet esse: vtrum filij Adami, si quos ante peccatum genuisset, contraherent peccatum originale, ipso postea peccante. Catherinus in opusculo de lapsu hominis, & peccato originali, defendit sentẽtiam afirmantem. Durandus verò in. 4. distinct. 27. quæst. 2. nume. 3. negantem. Res tamen est incerta, quia pendet ex diuina institutione, & potuit vtrunque institui. Sed vtendo cõiecturis probabilior videtur Durandi sententia, tum propter authoritatem Augustì super Psal. 84. in illa verba, *nunquid in æternum irasceris nobis*, vbi loquẽs de peccato originali dicit. *Non ea peccata parentum pertinent ad filios, quæ faciunt parentes iam natis filijs.* Tum etiam, quia natura non dependit ab Adamo in donis gratuitis, nisi quatenus dependebat in esse, filius autem iam productus non dependebat in esse. Hoc est conformius diuinæ liberalitati, vt non auferat donum semel collatum, nisi propria culpa possidentis. Vt minimum autem de adultis hoc certum videtur, quia peccãte patre, non amitteret augmentum gratiæ, & iustitiæ, quod proprijs actibus acquisierant, ergo neque illud, quod in generatione acceperant: nec enim auferretur prima gratia manẽte augmẽto.

In solutione ad primum sunt illa verba *peccatum originale post baptismum manet actu, & transit reatu*, quæ verba etiam notauimus q. 74. art. 3. & sunt desumpta ex Aug. 1. de nup. & concupisc. cap. 25. quæ exponens Caiet. dicit, ideò vera esse, quia post baptismum manet priuatio iustitiæ originalis, quâmuis non habeat rationem culpæ. Sed id fuit à Caietan. inaduertenter prolatum, nã ex supra dictis constat, defectũ iustitiæ in renatis non esse priuationem, & si esset verè culpa maneret. Sensus ergo horum verborum est, peccatum originale manere actu, id est, substãtia, vel quoad materiale, quia manet concupiscentia, transire verò reatu, quia aufertur malitia. Sed non oportet vti hac locutione, quia ea abutuntur hæretici, significantes peccatum originale manere, sed non imputari.

Solutio primi expenditur.

Caiet.

Refellitur

Verus sensus.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum si aliquis ex humana carne formaretur miraculosè, contraheret originale peccatum.

2. d. 31. q. 1. art. 2. ad 3. Et d. 33. q. 1. art. 1. ad 4. Et 3. d. 2. q. 1. artic. 2. q. 2. ad 2. Et mal. q. 4. art. 7.

AD quartum sic proceditur. Videtur quòd si aliquis formaretur ex carne humana miraculosè, contraheret originale peccatum. Dicit enim quædam glos. Genes. 3. quod in lumbis Adæ fuit tota posteritas corrupta, quia nõ est separata priùs in loco vitæ: sed posteà in loco exilij: sed si aliquis homo sic formaretur, sicut dictum est, caro eius separaretur in loco exilij: ergo contraheret originale peccatum.

Secundo prætereà. Peccatum originale causatur in nobis in quãtùm anima inficitur ex carne: sed caro tota hominis est infecta: ergo ex quacunque parte carnis homo formaretur, anima eius inficeretur infectione originalis peccati.

Tertiò prætereà. Peccatum originale à primo parẽte peruenit in omnes in quantũ omnes in eo peccante fuerũt: sed illi qui ex carne humana forma-

formarentur, in Adam fuissent: ergo peccatũ originale contraherẽt.

Cap. 19. & 20. to. 3. Sed cõtra est, quia non fuissent in Adam secundùm seminalem rationem, quòd solum causat traductionem peccati originalis, vt Augustin. dicit 10. super Genes. ad literam.

Art. 1. & 3 huius q. Respondeo dicendum, quòd sicut iam dictum est, peccatum originale â primo parente traducitur in posteros, inquantum mouentur ab ipso per generationem, sicut membra mouentur ab anima ad peccatũ actuale. Non autem est motio ad generationem nisi per virtutem actiuam in generatione; vnde illi soli peccatum originale contrahunt, qui *D. 37°.* ab Adam descendunt per virtutem actiuam in generatione originaliter ab Adam deriuatam, quod est secundùm seminalem rationem ab eo descendere: nam ratio seminalis nihil aliud est, quàm vis actiua in generatione. Si autem aliquis formaretur virtute diuina ex carne humana, manifestum est, quòd vis actiua non deriuaretur ab Adam; vnde non contraheret peccatum originale: sicut nec actus manus pertineret ad peccatum humanum, si manus non moueretur â voluntate hominis, sed ab aliquo extrinseco mouente.

Ad primum ergo dicẽdum, quòd Adam non fuit in loco exilij nisi post peccatum: vnde nõ propter locũ exilij, sed propter peccatũ traducitur originalis culpa ad omnes, ad quos actiua eius generatio peruenit.

Ad secũdũ dicendũ, q̃ caro nõ incipit animã, nisi in quãtũ est principiũ *In corp. & 1. art.* actiuũ in generatione, vt dictũ est.

Ad tertium dicendum, quòd ille qui formaretur ex carne humana, fuisset in Adam secundùm corpulẽtam substantiã, sed non secundùm seminalẽ rationẽ, vt dictũ est: & ideò *In corpor. art.* non contraheret originale peccatũ.

Concluſio est, si aliquis ita miraculosè formaretur ex carne Adà vt non descenderet ab ipso, per naturalẽ propagationẽ, vel seminationẽ, nõ contraheret peccatũ originale. Hunc articulũ apposuit S. Tho. vt eximeret Christum Dominũ à peccato originali, qui etsi descendat ab Adam secundùm carnem, vel secundùm corpulentam substantiam, vt Theologi dicũt; quia non descendit naturali modo, & per seminalem generationem, non est membrum eius, nec potuit conttahere peccatum originale, Christus ergo, non solùm, quia erat persona diuina, cui repugnat peccatum, sed propter modum conceptionis, immunis fuit â peccato originali, & ab eius debito. Conclusio ergo S. Tho. certa est, & sine exceptione vera de omni homine, qui miraculosè formaretur, suppleta seminis virilis actione, si autem aliud miraculum, vel opus præternaturale interueniret seruata seminis causalitate, homo ille contraheret peccatum originis. V. g. si semen naturaliter â viro decisum, ab Angelo, aut dæmone, qui hoc facere possunt, vt Augustino placet. 15. de ciuitate Dei cap. 23. aut saltem diuina virtute infunderetur matrici, absque commixtione maris, & fœminæ, homo sic genitus contraheret peccatum originale.

Christ⁹ Dominus omnino immunis à peccato originis.

ARTICVLVS V.

Vtrum si Adam non peccasset, Heua peccante, filij originale peccatum contraherent.

2. d. 31. q. 1. art. 2. ad 2. Et 4 d. 1. q. 2. art. 2. q. 2. ad 1. Et mal. q. 4. art 7. ad 4. & 5. & Roman. 5. lect. 3. & 1. Cor. 15. lect. 3. med.

AD quintum sic proceditur. Videtur quòd si Adam non peccasset, Heua peccante, filij originale peccatum cõtraherent. Peccatum enim originale â parentibus contrahimus, inquãtum in eis fuimus, secundùm illud Apost. Rom. 5. In quo omnes peccauerunt: sed sicut homo præexistit in patre suo, ita in matre: ergo ex peccato matris homo peccatũ originale cõtraheret, sicut ex peccato patris.

Secundò prætereà. Si Heua peccasset, Adam non peccãte, filij passibiles & mortales nascerẽtur. Mater enim dat materiã in generatione, vt dicit Philosop. in. 2. de generatione animaliũ: mors autẽ, & omnis passibilitas prouenit ex necessitate materiæ: sed passibilitas, & necessitas moriẽdi sunt pœna peccãti originalis: ergo

Lib 2. cap. 1. tom. 4.

ergo si Heua peccasset, Adam non peccante, filij contraherent originale peccatum.

Cap. 2. & 12. Tertiò præterea Damasce. dicit in lib. 3. quòd Spiritus sanctus præuenit in virginem de qua Christus erat absque peccato originali nasciturus, purgans eam; sed illa purgatio non fuisset necessaria, si infectio originalis peccati non contraheretur ex matre: ergo infectio originalis peccati ex matre trahitur, & sic Heua peccante, eius filij peccatum originale contraherent etiam si Adam non peccasset.

Sed contra est, quòd Apostol. dicit Roman. 5. per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit. Magis autem fuisset dicendum, quòd per duos intrasset cum ambo peccauerint; vel potius per mulierem, quæ primò peccauit, si fœmina peccatum originale in prolem transmitteret: non ergo peccatum originale deriuatur in filios à matre, sed à patre.

Respondeo dicendum, quòd huius dubitationis solutio ex præmissis patet. Dictum est, enim supra, quòd peccatum originale à primo parente traducitur, in quantùm ipse mouet ad generationem natorum, vnde dictum est, quòd si materialiter tantùm aliquis ex carne humana generaretur, originale peccatũ nõ contraheret. Manifestum est autem secundùm doctrinam Philosophorum, quòd principium actiuum in generatione est à patre, materiam autem mater ministrat. Vnde peccatum originale non contrahitur à matre, sed à patre: & secundùm hoc si Adam non peccãte, Heua peccasset filij originale peccatum non contraherent, e conuerso autem esset, si Adam peccasset, & Heua non.

Art. 1. & 3. huius q. Art. 1. & 4. huius q. Arist. lib. 2. de gen. animaliũ ca. 1. to. 4.

Ad primum ergo dicẽdum, quòd in patre præexistit filius sicut in principio actiuo, sed in matre sicut in principio materiali, & passiuo: vnde non est similis ratio.

Ad secundum dicendum, quòd quibusdam videtur, quòd Heua peccante, si Adam non peccasset, filij essent immunes à culpa; paterentur tamen necessitatem moriendi; & alias passibilitates prouenientes ex necessitate materiæ, quam mater ministrat, non sub ratione pœnæ, sed sicut quosdam naturales defectus. Sed hoc non videtur conueniens. Immortalitas enim, & impassibilitas primi status, non erat ex conditione materiæ, vt in primo dictum est: sed ex originali iustitia, per quã corpus subdebatur animæ, quandiu anima esset subiecta Deo: defectus autem originalis iustitiæ est peccatum originale. Si igitur Adam non peccante, peccatum originale non transfunderetur in posteros propter peccatum Heuæ, manifestũ est, quòd in filijs non esset defectus originalis iustitiæ: vnde non esset in eis passibilitas, vel necessitas moriẽdi.

1. p. q. 97. ar. 1. & 2.

D. 78.

Ad tertium dicendum, quòd illa purgatio præueniens in beata virgine, non requirebatur ad auferẽdum transfusionem originalis peccati, sed quia oportebat vt Mater Dei maxima puritate niteret. Non enim est aliquid dignè receptaculum Dei nisi sit mundum, secundùm illud Psalm. 92. Domum tuam, Domine, decet sanctitudo.

CONclusio est, solius Heuæ peccatũ, non inferret peccatũ originis. Hanc conclusionem Theologi omnes recipiũt ex Anselmo lib. de concep. virg. ca. 9. siue enim Heua concurrerit, vt peccatum originale cueniret, siue non certum est tamen actionem Adami & peccatum eius fuisse necessarium.

Est tamen dub. vtrũ Heua fuerit partialis causa peccati originalis, vt simul cũ viro illud intulerit. Anselmus apertè docet fuisse. Quod probari potest, quia sicut sacra Scriptura tribuit peccatũ originale viro, ita etiã videtur tribuere mulieri;

Dubium. An Sel.m.

licri; nam sicut ad Roman. 5. dicitur. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors,* sic Eccles. 25. *A muliere initium peccati, & per eam omnes moriuntur,* & quod dicitur. 1. ad Corinth. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur,* bene potest intelligi de vtroque simul, nomen enim Adam, in lingua Hæbrea commune est masculo & fœminæ, sicut nomen, homo, in lingua Latina, iuxta illud Genes. 5. *Masculum, & fœminam creauit eos, & vocauit nomen eorum Adã, &c.*

Rom. 5. Eccles. 25. 1. Cor. 15. Genes. 5.

Sententia. S. Thom. Vera.

Sed contrariam sententiã S. Tho. apertè docet in hoc articulo, quæ cõmunis & recepta est, solum Adamum institutũ fuisse caput generis humani, & â solo ipso deriuatum, & deriuandum esse peccatum originale, est autem hæc sententia cõformior sacræ Scripturæ, quæ vni tã tũ homini peccatum tribuit ad Rom. 5. *Per vnum hominem peccatum intrauit, & per vnius inobedientiam, &c.* Quæ verba nõ possunt referri nisi ad virum, quia in textu Græco & Latino, sunt generis masculini, & ab omnibus Patribus de Adam intelliguntur, & nõ de Heua. Excipio cõmentarios in illum locum, qui tribuuntur Hieronymo, & qui tribuuntur Ambrosio, qui verba hæc aliter explicant, eorum tamen authoritas, nõ est solida, & vtraque Pelagianis erroribus respersa sunt. Quod autem dicitur, per vnum hominem intrasse peccatum, non est verum si per duos intrauit, idem probat contrapositio asserta â Paulo ad Roma. 5, & 1. ad Cor. 15. causarũ peccati, & iustitiæ, Adami, & Christi, quę est cõtrapositio vnius ad vnum. Deniq; idẽ ratio suadet, nã non fuit conueniens, vt essent duo capita, sed vt mulier subordinata esset viro, vir enim caput est mulieris.

Probatur. Rom. 5.

Rom. 5. 1. Cor. 15.

Ecclesiast. verbis significatur peccatũ, & mortem incepisse âmuliere occasione accepta, quatenus ipsa tentauit virũ, & induxit ad peccandum, non tamen efficaci propagatione. Et si verba ipsa perpẽdãtur, lõge diuersa sunt â verbis Pauli aliud est enim. *A muliere initium peccati.* aliud vero. *In quo omnes peccauerunt, & per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt,* quæ de muliere nusquã legũtur. Nomen Adam, fatemur esse nomen cõmune amborum, sed in illo testimonio supponi pro solo viro, duo ostendunt: primum contrapositio, quæ ibi fit Adami ad Christum, secundum, quia sic intellexit Ecclesia: nam in Concilio Arausi. & Tridentino eadem voce solus vir intelligitur in doctrina de peccato originali, quam ex illo & alijs locis Cõcilia deducunt.

QVÆSTIO LXXXII.

De originali peccato quantùm ad suam essentiam, in quatuor articulos diuisa.

Deinde considerandum est de peccato originali, quantùm ad suam essentiam.

ET CIRCA HOC QVÆruntur quatuor.

Primò, Vtrum originale peccatum sit habitus. Secũdò, Vtrum sit vnum tantùm in vno homine. Tertiò, Vtrum sit concupiscentia. Quartò: Vtrum æqualiter sit in omnibus.

ARTICVLVS I.

Vtrum originale peccatũ sit habitus.

AD primum sic proceditur. Videtur quòd originale peccatum non sit habitus. Originale enim peccatum est carentia originalis iustitiæ, vt Anselm. dicit in libro de concep. virgi. & sic originale peccatum est quædam priuatio: sed priuatio opponitur habitui: ergo originale peccatum non est habitus.

1. d. 5. q. 1. art. 1. cor. & d. 7. q. 1. art. 1. ad 3. Et 2. d. 30. q. 1. ar. 3. ad 2. Et veri. q. 28. ar. 1. ad 2. Et mal. q. 4. art. 2. Capi. 2. & 3. & 24.

Secundò prætereà. Actuale peccatum habet plus de ratione culpæ, quàm originale, inquantùm habet plus de ratione voluntarij: sed habitus actualis peccati non habet rationem culpæ, alioquin sequeretur, quòd homo dormiens, culpabiliter peccaret: ergo nullus habitus originalis habet rationem culpæ.

Tertiò prætereà. In malis, actus semper præcedit habitum. Nullus enim habitus malus est infusus, sed acquisitus: sed originale peccatum non præcedit aliquis actus: ergo originale peccatum non est habitus.

Sed contra est, quòd Augustin. dicit in lib. de baptismo puerorum, quòd secundùm peccatum originale parnuli sunt concupiscibiles, etsi non sint actu concupiscentes: sed habili-

Habetur ex sermone. 45. de tẽpore to. 10. Et ex

lib. 6. cõt. Iulian. ca. 7. tom. 7.

tas dicitur ſecundùm aliquem habitum: ergo peccatum originale eſt habitus.

Reſpondeo dicendum, quòd ſicut

Quæſt. 50. art. 1.

ſupra dictũ eſt, duplex eſt habitus. Vnus quidẽ quo inclinatur potẽtia ad agendũ: ſicut ſcientiæ & virtutes dicuntur habitus, & hoc modo peccatũ originale non eſt habitus. Alio modo dicitur habitus diſpoſitio alicuius naturæ ex multis compoſitæ, ſecundùm quam bene ſe habet, vel malè ad aliquid, & præcipuè cum talis diſpoſitio fuerit quaſi in naturã verſa, ut patet de ægritudine & ſanitate: & hoc modo peccatum originale eſt habitus. Eſt enim quædam inordinata diſpoſitio proueniens ex diſſolutione illius harmoniæ, in qua conſiſtebat ratio originalis iuſtitiæ: ſicut etiam ægritudo corporalis eſt quædam inordinata diſpoſitio corporis, ſecundùm quam ſoluitur æqualitas, in qua conſiſtit ratio ſanitatis, vnde peccatum originale languor naturæ dicitur.

Ad primum ergo dicẽdum, quòd ſicut ægritudo corporalis habet aliquid de priuatione, in quantùm tollitur æqualitas ſanitatis, & aliquid habet poſitiuè, ſcilicet ipſos humores inordinatè diſpoſitos: ita etiam peccatum originale habet priuationem originalis iuſtitiæ, & cum hoc inordinatam diſpoſitionem partium animæ. Vnde non eſt priuatio pura, ſed eſt quidam habitus corruptus.

Ad ſecundum dicendum, quòd actuale peccatum eſt inordinatio quædam actus: originale verò cum ſit peccatum naturæ eſt quædam inordinata diſpoſitio ipſius naturæ,

Quæſt. præced. art. 1.

quæ habet rationem culpæ, inquantùm deriuatur â primo parente, vt dictum eſt. Huiuſmodi autem diſpoſitio naturæ inordinata habet rationem habitus; ſed inordinata diſpoſitio actus non habet rationem habitus: & propter hoc peccatum originale poteſt eſſe habitus, non autem peccatum actuale.

Ad tertium dicendum, quòd obiectio illa procedit de habitu quo potentia inclinatur in actum: talis autem habitus non eſt peccatum originale. Quãmuis etiam ex peccato originali ſequatur aliqua inclinatio in actum inordinatum non directè, ſed indirectè, ſcilicet, per remotionem prohibentis, ideſt, originalis iuſtitiæ, quæ prohibebat inordinatos motus: ſicut etiam ex ægritudine corporali indirectè ſequitur inclinatio ad motus corporales inordinatos. Nec debet dici, quòd peccatum originale ſit habitus infuſus, aut acquiſitus per actum niſi primi parentis: non autem huius perſonæ, ſed per vitiatam originem innatus.

DIffinit Sanctus Thomas peccatum originale non eſſe habitum operatiuum, ſicut virtutes & vitia, eſſe tamen habitum, ideſt, habitualem diſpoſitionem inordinatam, vt eſt ægritudo, vel morbus. Hanc concluſionem ſtatuit, vt explicaret doctrinam Auguſtini qui libro de nupt. & concupiſcent. capit. 25. & 6. contra Iulian. capit. 6. vocat peccatum originale ægritudinem animæ, & affectionem malæ qualitatis, imò & Dionyſ. appellauit habitum diſſimilitudinis, vt diſputatione. 43. notauimus, explicabimus autem concluſionem hanc artic. 3.

ARTICVLVS II.

Vtrum in vno homine ſint multa originalia peccata.

2. d. 33. q. 1. artic. 1. Et mal. q. 4. artic. 1. cor. fin. & art 2. princip. & alij.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur quòd in vno homine ſint multa originalia peccata. Dicitur enim in Pſal. 50. Ecce enim in iniquitatibus cõceptus ſum, & in peccatis cõcepit

8 ad 1. Et Psa. 31. Et ad Rom. 4. lect. 1. & ca. 5. lect. 3. fin.

cepit me mater mea: sed peccatum in quo homo concipitur, est originale. ergo plura peccata originalia sunt in vno homine.

Secūdò prętereà. Vnus, & idē habitus non inclinat ad contraria, habitus enim inclinat per modum naturæ, qnæ tendit in vnum. sed peccatū originale, etiam in vno homine inclinat ad diuersa peccata, & contraria: ergo peccatum originale non est vnus habitus, sed plures.

Tertiò prætereà. Peccatum originale inficit omnes animæ partes: sed diuersæ partes animæ sunt diuersa subiecta peccati, vt ex præmissis patet: cum igitur vnum peccatum non possit esse in diuersis subiectis, videtur quòd peccatum originale non sit vnum, sed multa.

Quæst. 74.

Sed contra est, quod dicitur Ioannis primo. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi, quod singulariter dicitur, quia peccatum mundi, quod est peccatum originale, est vnum, vt glo. ibidem exponit.

Gloss. ordi. ibidem.

Respondeo dicendum, quòd in vno homine est vnum peccatum originale, cuius ratio dupliciter accipi potest. Vno modo ex parte causæ peccati originalis, dictum est enim supra, quòd solùm primum peccatum primi parentis in posteros traducitur; vnde peccatum originale in vno homine est vnum numero, & in omnibus hominibus est vnum proportione, in respectu, scilicet, ad primum principium. Alio modo potest accipi ratio eius, ex ipsa essentia originalis peccati. In omni enim inordinata dispositione, vnitas speciei consideratur ex parte causę: vnitas autem secundùm numerum ex parte subiecti, sicut patet in ægritudine corporali; sunt enim diuersæ ægritudines specie, quæ ex diuersis causis procedunt, puta, ex superabundantia calidi, vel frigidi, vel ex læsione pulmonis, vel hepatis: vna autem ægritudo secundùm speciem in vno homine, non est nisi vna numero. Causa autem huius corruptæ dispositionis, quæ dicitur originale peccatum, est vna tantùm, scilicet, priuatio originalis iustitiæ, per quam sublata est subiectio humanæ mentis ad Deum: & ideò peccatum originale est vnum specie, & in vno homine non potest esse, nisi vnum numero, in diuersis autem hominibus est vnū specie, & proportione, diuersum autem numero.

Quæst. 81. artic. 2.

Ad primum ergo dicendum, quòd pluraliter dicitur in peccatis, secundum illum morē diuinæ Scripturæ, quo frequenter ponitur pluralis numerus, pro singulari, sicut Matth. 2. Defuncti sunt, qui quærebant animam pueri, vel quia in peccato originali virtualiter præexistunt omnia peccata actualia, sicut in quodam principio, vnde est multiplex virtute: vel quia in peccato primi parentis, quod per originem traducitur, fuerūt plures deformitates, scilicet superbiæ, inobedientię, gulæ, & alia huiusmodi: vel quia multæ partes animæ inficiuntur per peccatum originale.

D. 1007.

Ad secundum dicendum, quòd vnus habitus non potest inclinare per se, & directè, id est, per propriam formam ad contraria, sed indirectè, & per accidēs, per remotionem prohibentis: sicut soluta harmonia corporis mixti, elementa tendunt in loca contraria: & similiter soluta harmonia originalis iustitiæ, diuersę animę potētię in diuersa feruntur.

Ad tertium dicendum, quòd peccatum originale inficit diuersas partes animæ, secundùm quod sunt partes vnius totius: sicut & iustitia originalis continebat omnes animæ partes in vnum, & ideò est vnum tantū peccatum originale, sicut etiam est vna febris in vno homine, quāmuis diuersæ partes corporis grauentur.

Circa

Circa hunc articulum potissima difficultas erat, quomodo peccatum originale in vno quoque sit vnum tantum, cum sit priuatio plurium habituum, & donorum specie differentium. Sed difficultatem hanc soluit S. Thom. in corpore, & ad tertium dicens, peccatum originale, esse vnum non vnitate simplicitatis, sed connexionis: quomodo etiam iustitia erat vna: omnia enim illa dona efficiebãt vnam iustitiam, quatenus ad integritatẽ vnius naturæ inter se connexa erant; & eadem ratione priuatio eorum est vnum peccatum, quatenus priuat illa iustitia, quę omnibus constabat.

ARTICVLVS III.

Vtrùm originale peccatum sit concupiscentia.

3. q. 23. ar. 3. cor. Et 2. d. 30. q. 1. a. 3. cor. & ad 4. & in expl. & d. 31. q. 2. a. 1. ad 3. & d. 32. q. 1. a. 1. ad 2. 3 4. Et mal. q. 3. a. 7. co. fi. & q. 4. a. 2. per to & ar. 4. ad 2. & ar. 6. ad 16. Lib. 2. cap. 4. & 30. Quæst. 23. art. 4.

AD Tertiũ sic proceditur. Videtur quòd peccatum originale non sit concupiscentia. Omne enim peccatum est contra naturam, vt dicit Damasc. in secundo libro; sed concupiscentia est secundùm naturam: est enim proprius actus virtutis concupiscibilis, quæ est potentia naturalis: ergo concupiscentia non est peccatum originale.

Secundò præterea. Per peccatum originale sunt in nobis passiones peccatorum, vt patet per Apost. Rom. 7. sed multæ aliæ sunt passiones præter concupiscentiam, vt supra habitum est: ergo peccatum originale nõ magis est concupiscentia, quàm aliqua alia passio.

Tertiò præterea. Per peccatum originale deordinantur omnes animę partes, vt dictum est: sed intellectus est supremus inter animæ partes, vt patet per Philosophum in. 10. Ethico: ergo peccatum originale magis est ignorantia, quàm concupiscentia.

Ar. præce. ad primũ. Lib. 10. cap. 7. tom. 5.

Lib. 1. cap. 15. nõ multum procul à prin. tomo. 1.

Sed contra est, quòd Aug. dicit in lib. retractio. Concupiscentia est reatus originalis peccati.

Respondeo dicẽdum, quòd vnum quodq; habet speciem à sua forma. dictum est autem supra, quòd species peccati originalis sumitur â sua causa; vnde oportet, quòd id quod est formale in originali peccato, accipiatur ex parte causæ peccati originalis, oppositorum autem oppositæ sunt causę. Est igitur attendenda causa originalis peccati, ex causa originalis iustitiæ, quæ ei opponitur. Tota autem ordinatio originalis iustitiæ ex hoc est, quòd voluntas hominis erat Deo subiecta, quæ quidem subiectio primo, & principaliter erat per voluntatem, cuius est mouere omnes alias partes in finem, vt supra dictum est, vnde ex auersione voluntatis à Deo consecuta est inordinatio in omnibus alijs animæ viribus. Sic ergo priuatio originalis iustitiæ, per quam voluntas subdebatur Deo, est formale in peccato originali; omnis autem alia inordinatio virium animæ se habet in peccato originali, sicut quiddam materiale. In ordinatio autem aliarum virium animæ præcipuè in hoc attẽditur, quòd inordinatè conuertuntur ad bonum commutabile, quæ quidem inordinatio communi nomine potest dici cõcupiscentia: & ita peccatum originale materialiter quidem est concupiscentia, formaliter verò est defectus originalis iustitiæ.

Art. prac.

Quæst. 9. artic. 3.

Ad primum ergo dicendum, quòd quia in homine concupiscibilis naturaliter regitur ratione, in tantùm concupiscere est homini naturale, in quantùm est secundùm rationis ordinem. Concupiscentia autem quæ transcendit limites rationis, ineſt homini contra naturam, & talis est concupiscentia originalis peccati.

Ad secũdum dicendum, quòd sicut supra dictum est, passiones irascibilis ad passiones cõcupiscibilis reducuntur sicut ad principaliores, inter quas

Quæst. 25. artic. 1.

quas concupiscentia vehementiùs mouet, & magis sentitur, vt supra habitum est: & ideò concupiscentiæ attribuitur tanquàm principaliori, & in qua quodammodo omnes aliæ passiones includuntur.

Quæst. 65. artic. 2. ad primum.

Ad tertium dicendum, quòd sicut in bonis, intellectus & ratio principalitatem habent, ita è conuerso, in malis inferior pars animæ principaliter inuenitur, quæ obnubilat, & trahit rationem, vt supra dictum est: propter hoc peccatum originale magis dicitur esse concupiscentia, quàm ignorantia, licet etiam ignorantia inter defectus materiales peccati originalis contineatur.

Quæst. 80. artic. 2.

IN hoc articulo explicatur essentia peccati originalis, tam quoad formale, quod dicit author, esse priuationem iustitiæ, quàm quoad materiale, quod dicit esse concupiscentiam. Priorem partem discussimus disputatione 42. nunc pauca dicenda sunt de posteriori.

DISPVTATIO XLVI.

Quid sit concupiscentia?

LIcet nomen, *Concupiscentia*, plura significet, nobis significat indispositionẽ nostrarũ facultatũ qua sumus proni admalũ, & tardi, ac auersi à bono: qua ratione accepit Iaco. 2. c. cũ dixit: *Vnusquisq; tentatur à concupiscentia sua, abstractus & illectus.* Hæc eadem concupiscentia appellatur fomes peccati, quia illud foruet, & ad ipsum incitat, & à Paul. ad Roman. 6. & 7. appellatur lex membrorum, & lex peccati, cuius appellationis rationem reddemus in tractatu de legibus. Augustinus & alij, vt Magister allegat in 2. dist. 30. appellãt eam languorem, & vitium naturæ, & tyrannum. De qua tria controuerti solent.

Iacob. 1.

August.

Prima dubitatio. Magist. Senten. Henrri. Gregor. Gabr.

Primum, an concupiscentia sit ipsæ potentiæ animæ, an aliqua qualitas superaddita illis? Mag. Henr. Greg. quibus consentit Gabr. vt ostendimus disputatione 43. asseruerunt, concupiscentiam esse qualitatem superadditam potẽtijs, quam appellabant qualitatem morbidam. Eius productionem sic describunt. Fuit, inquiũt, in carne primi hominis genita propter peccatum qualitas quædam vitiosa: hæc ardorem libidinis in generatione prolis faciens, semen vitiauit, ex quo in filij carne alia vitiosa qualitas similis qualitati patris processit: ex hac autem corporis qualitate redundat in animã qualitas morbida, quæ concupiscentia est: & in hunc modum in cæteros propagatur. Hanc sententiam videntur sibi authores isti deducere ex Augustin. qui primo de nupt. & concupisc. cap. 25. appellat concupiscentiam affectionem malæ qualitatis, & libr. 1. contra Iul. capit. 5. dicit, animam infici ex carne corrupta, sicut liquor ex vase immundo, in quod infunditur. Sed hæc posteriora Augustini verba supra explicata sunt; appellatio autẽ malæ qualitatis nõ est propriè accipienda, sed largiùs; quæcunq; enim dispositio rei qualitas vocari solet. Ipsa autem sententia communi Theologorũ calculo reprobatur, & eorum concors doctrina affirmat, concupiscentiam non esse qualitatem superadditam potentijs animæ, sed potentias ipsas quatenus inordinatæ sunt, & pronæ ad concupiscendum contra rationis modum. Id docuit Sanct. Thom. quæst. præced. art. 1. & rota hac quæst. Scot. in 2. dist. 32. & reliqui Theologi.

Non probatur Aug. verbis.

Refellitur

Concupiscentia non est qualitas.

Probatur primò, duabus sententijs Augu. (quem immeritò aduersarij patronum aduocant) prima, concupiscentiam eandem esse in nobis, & in brutis, licet in brutis non sit vitium, quia non pugnat cum ratione: quæ sententia habetur lib. 2. contra Pelagium, & Cœlestium capit. 40. & lib. 4. contra Iulian. cap. 5. & contione 4. in Psalm. 103. secunda, concupiscentiam inesse nobis propter subtractionem iustitiæ originalis, quæ continebat potentias: quam sententiam habes in primo lib. de peccatorum meritis, & remissione cap. 26. His refellitur qualitas illa, quia si concupiscentia re ipsa est nobis, & brutis communis, si in brutis non est qualitas superaddita potentijs, ergo nec in nobis: esti concupiscentia re sola hac sola subtractione iustitiæ: nihil est superadditum potentijs.

Probatur primo. Augustin.

Secundò probatur, quia hæc qualitas superaddita est impossibilis, & superfluat impossibilem esse patet, quia quod asseritur de productione huius qualitatis

Secundò.

tis chimericum est, & à naturis rerum abhorrens: nihil enim potuit Adam suo actu peccati in se producere, quod similibus actibus in nobis non producatur, actus autem nostri nullam qualitatem generant, nisi habitus, vel dispositiones in eadem potētia. Deinde, esto esset illa qualitas in Adamo non potuit esse vniforme, vt virtute seminis deriuaretur in posteros; nam nō ita filius similis patri semper procedit, vt omnes morbos, & defectus, quos pater habet contrahat. Denique, caro quantumuis corrupta non potest aliquid reale in anima efficere: aut enim qualitas imprimenda animæ materialis est, & eam non feret substantia spiritalis, aut spiritalis est, & nō poterit produci à qualitate materiali carnis. Superfluā verò esse probatur, quia effectus concupiscentiæ potest prouenire à solis potentijs destitutis iustitia originali: est enim hic effectus vehemens propensio ad obiecta rationi contraria, naturale est autem potentijs non liberis, ferri efficacissimè in sua obiecta, nisi aliquo impedimento detineantur, vel à voluntate reprimantur, sed sublata iustitia originali, sublatum est frænum, quod continebat potētias, & vires voluntatis extenuatæ sunt, nihil ergo amplius requiritur.

Secūda dubitatio. Secundò inquiri solet, si concupiscentia non est qualitas superaddita potentijs, sed potentiæ ipsę, vtrùm sit potentiæ in naturali dispositione, quam haberent in puris naturalibus, an verò in aliqua dispositione præter naturam? *Opinio Corduba.* Corduba lib. 1. quæst. 45. contendit aliquam præternaturalem dispositionem esse in potentijs ratione cuius feruentiùs, & efficaciùs tendunt in obiecta, quàm expedit homini. *Probatur primò.* Probat primò, quia Theologorum axioma est, ex Beda in decim. cap. Lucæ, hominem mansisse per peccatum spoliatum gratuitis, & vulneratum in naturalibus, vulnus autem læsio est, & dispositio præter naturam. *Secundò.* Præterea, Cōcil. Trid. in decreto sæpius allegato dicit, totum hominem secundùm animam, & secundùm corpus mutatum fuisse in deteriùs. *Tertiò.* Deinde concupiscentia est morbus, & ægritudo hominis. vt S. Tho. dicit artic. 1. huius quæstionis, ægritudo autem est dispositio contra naturam, febris enim intensior calor est, & fames canina intensior appetitus cibi, quàm natura exigat. *Quartò.* Tandem, quia concupiscentia non est potentiæ hominis, quatenus respiciunt obiectum sensibile, vel delectabile absolutè, nam hæc etiam obiecta respiciunt in iustitia originali, in qua non esset concupiscentia, neq; quatenus respiciūt obiectum sensibile illicitum, quia apprehensio sensus, & inclinatio appetitus, non possunt ferri formaliter in illicitum, quod ratio sola potest atingere, nec quatenus destitutę iustitia originali, quia concupiscentia esset negatio, vel priuatio: ergo aliquid in natura potentiarum immutatum est.

Vera sententia. Sed dicendum est, cōcupiscentiam esse potentias hominis quatenus sibi ipsis relictæ sunt, & destitutæ iustitia originali, & redactæ ad eam dispositionem, quā haberent in puris naturalibus, quæ ipsis potentijs naturalis est, homini tamē, quatenus rationalis, quodammodo est præter naturam, & dispositio morbida. Hęc est mens authorum, qui contra primam sententiam allegati sunt, & Sanct. Tho. quæst. 85. art. 1. 3. & 5. Caiet. infra. quęs. 109 artic. 1. Soti primo de natura & gratia capit. 13. *S. Thom. Caietan. Sot.* Probatur facilè, quia intelligi non potest dispositio aliqua præter naturam in his potentijs, nisi aut subtractum sit aliquid naturale, aut additum aliquid cōtra naturam: si additio asseratur inciditur in precedentem opinionem, subtractio verò non est possibilis, nam potentiæ hominis non sunt eius cōditionis, vt diminui, aut precidi possint. *Probatur.* Sed asserit Cord. potētias hominis post peccatū mansisse in hac dispositione præter naturā, propter corporis immutationem, à qua prouenit, vt appetitus intensiùs, vel remissiùs feratur in obiecta: & vt aliquis sit propensior ad vnum genus vitij, quàm ad aliud. *Responsio.* Sed alienum à ratione est ex peccato Adami aliquā impressionem corpori factam asserere; solum enim illi subtracta sunt dona gratuita, & hęc inclinationum diuersitas à cōplexione prouenię esset in puris naturalibus, vt nūc est: neq; peccatum Adæ potuit sine speciali miraculo immutare corpus. Neque enim audiendum est, quod ipse Cord. non improbat, & aliqui ex authoribus primæ sententię dixerunt, ex flatu serpētis, vel expomo quod Adā comedit prouenisse hanc immutationem: hęc enim ridicula sūt, & Theologis indigna. *Retūditur.* *Ob ferna.*

Sed vt soluamus argumenta Cordubæ, aduertendum est, in homine, secundùm suam naturam esse contrarietatem appetituum: & appetitus sensus,

quià potentia naturalis est, & quantum potest fertur in obiectum, non potest nō excitare pugnam contra rationem, ex qua prouenit difficultas in bene operando, & peccandi promptitudo. Hæc autem contrarietas appetituum, licet sit naturalis ipsis potentijs, non est conueniens homini, quatenus rationalis est, vt verò eam auferret, data est iustitia originalis, quando autem iustitiam originalē homo amisit, reddijt inordinatio potentiarum. Eadem ergo dispositio esset in puris naturalibus, quæ modo est; sed quia tunc non erat debita iustitia, dissonantia virium nō habebat rationem vulneris, nec morbi; quia vulnus, & morbus priuationem inuoluunt, sed erat mera imperfectio naturalis: postquàm verò homo amisit iustitiam, quæ sibi debita erat diuina institutione, sicut absentia iustitiæ induit rationē priuationis, sic dispositio potentiarum habet rationem morbi, & ægritudinis, & talis appellatur à Patribus. Ex quo constat, qua ratione, licèt concupiscentia sit morbus, non addat aliquid naturæ. Inde etiamfit vt post baptismum, quia defectus iustitiæ originalis non est priuatio, concupiscentia non appelletur morbus, & ægritudo, sed languor, & debilitas, qualis remanet in ægrotis, postquàm sani facti sunt, antequàm conualescant. Quæ subtiliter indicauit Augustin. tractat. 41. in Ioan. & 14. de ciuit. Dei. cap. 17. & lib. de continentia. cap. 7.

Diluuntur argumenta oppositа.

Ex his soluta sunt primum, & secundum argumentum contraria. Patet etiā sensus Concil. Trident. cum dixit, totum hominem, tam secūdum animam, quàm secundùm corpus mutatum fuisse in deterius; est enim hoc verum, considerando statum, quem haberet in iustitia originali, non tamen in puris naturalibus. Ad tertium verò respondetur, concupiscentiam esse potentias hominis, quatenus subtracto fræno originalis iustitiæ, & sibi relictæ, habent propensionem ad malum, & difficultatem in bono; & quatenus respiciunt obiectum sensibile in ea mensura, & eo feruore affectus, vt rationi obsistat, nec aliud est concupiscentia.

Tertia dubitatio.

Tertium dubium in hac disputatione est, in quibus potentijs sit concupiscentia. Omnes ferè authores nomine cō cupiscentiæ, & fomitis intelligunt appetitum sensus, quod & Paulus indicat ad Roman. 6. & 7 cum vocat eam legem membrorum, & reducit ad carnē, quod soli appetitui sensus aptatur; intellectus enim, & voluntas, cum non sint potentiæ organicæ, sed spirituales omnino, nō sunt in carne: verbis autem Pauli Augustinus sæpe vtitur, vt concupiscentiam explicet. *Ro. 6. & 7.* *August.*

Sed si res attentè consideretur, concupiscentia prout nūc de ipsa loquimur, non solùm appetitū sensitiuum, sed omnes potentias comprehendit quæ possunt esse subiectum peccati. Id aduerterunt Belarmin. lib. 5. de statu peccati ca. 15. & Iacobus Naclantus. super epist. ad Roman. in digressione de peccato originali. Est sententia Sanct. Tho. in hoc articulo; docet enim, omnem inordinationem virium; præter eam quæ consistit in subiectione voluntatis ad Deum, esse concupiscentiam, & pertinere ad materiale peccati originalis: & in solutione ad tertium dicit, ignorantiam ad concupiscentiam reduci, & quæstione 85. articul. 3. applicat illa quatuor vulnera, quæ per peccatum inflicta sunt intellectui, voluntati, & vtrique appetitui irascibili, & concupiscibili. Idem sentiunt Caietan. & Conradus, vt potest colligi ex eorum commentarijs. Probatur facilè, nam nomine concupiscentiæ intelligimus potentias hominis, quatenus in eis est deordinatio à peccato derelicta, & quatenus amissa iustitia originali sunt propensæ ad malum, & debiles circa bonum; sed hoc inest omnibus potentijs, quæ sunt subiectum peccati: ergo omnes nomine concupiscentiæ intelligendæ sunt; minorem probant quatuor illa vulnera, quibus homo læsus asseritur, ignorātia in intellectu, malitia in volūtate, infirmitas in irascibili, & concupiscentia præsertim sumpta in concupiscibili. *Concupiscentia in omnibus potentijs est.* *Belarmin.* *Naclan.* *S. Thom.* *Caietan.* *Conrad.*

Sed vt communis locutio Theologorum, ex Paul. & Augū. explicetur, aduertendum est, nomen concupiscentiæ, & fomitis re vera desumptum esse ab appetitu sensus, quia in ista deordinatione primas partes sortitur; vt enim dicit S. Thomas ad tertium, quemadmodum in bonis ratio principalem locum obtinet, ita etiam appetitus in malis: est etiam diuersa & maior corruptio in appetitu, quia in eo est naturalis inclinatio ad materiale peccati, in ratione verò, & voluntate solùm est debilitas quædam, & insufficientia ad prosecutionem boni, & resi- *Quare cō cupiscētia carni tri buatur.* *S. Thom.*

resistendum sensualitati: concupiscentia ergo appetitui sensus tribuitur, nō quia solum ipse sit, sed quia præcipuum locum obtinet inter potentias deordinatas. Quod verò à Paulo concupiscentia appellatur lex membrorum: vlterius exponi potest, vt eo nomine non intelligamus potentias quæ habent organum corporeum, sed affectus, & inclinationes hominis, quę sunt contra legem Dei, & veram iustitiam, nam ad Galat. 5. inter opera carnis numerantur hæreses, & inuidiæ, & 1. ad Corint. 3. zelus, & contentio, quæ non sunt peccata carnis propriè, sic exponit Augustin. 14. de ciuitate Dei capit. 2. 3. & 4. vbi dicit, eum viuere secundùm carnem, qui secundum se ipsum, & non secundum Deum viuit.

Galat. 5.

1. Cor. 3.

Augustin.

DISPVTATIO XLVII.

Vtrùm concupiscentia sit materiale in peccato originali?

Communis assertio.

CONcupiscentiam esse materiale in peccato originali, docent Diuus Thom. hic, & quæstione 4. de malo, artic. 2. & in 2. dist. 30. quæst. 1. art. 3. Scot. ibi quæst. 2. art. 2. & cæteri Theologi disputatione 43. allegati. Et quidem potest hæc doctrina facilè explicari, si philosophemur de peccato originali proportione ad peccatum actuale; vt quemadmodum in peccato actuali, qui est actus malus, est aliquid formale, quod est malitia & priuatio rectitudinis, & aliquid materiale, nempè ipsa substantia actus; sic in peccato originali, quod est peccatū naturæ, formale sit priuatio iustitiæ, & rectitudinis debitæ naturæ, & materiale sint potentiæ hominis deordinatæ, & quatenus subsunt huic priuationi, quas appellamus concupiscentiam, sic exponunt Scotus, & Bonauent. & Gabr. locis citatis disputatione 43. & declarat exēplū de ægritudine & morbo, in quo est aliquid formale, priuatio debiti temperamenti, & aliquid materiale humores extra debitam mensuram.

Scot. Bonauent. Gabr.

S. Thom. doctrina.

Est tamen difficilis litera Sancti Thomæ in hoc articulo, & alijs locis allegatis; obscurè enim loquitur, & tria dicit, quæ non facilè explicantur. Primò ait, formale peccati originalis esse priuationem iustitiæ, non absolutè, sed quę subijciebat voluntatē Deo, omnem autem aliam inordinationem potentiarum pertinere ad materiale. Secundò, nomine concupiscentiæ appellat potentias, simul cum priuatione, hoc enim significat verbum illud, deordinatio, deordinatio enim priuationem includit. Tertiò, in probatione huius doctrinæ asserit, illud esse formale in aliquo, quod est causa eius, & quia ex priuatione subiectionis voluntatis ad Deum subsequuta est priuatio, & deordinatio in alijs potentijs, ideò priuatio subiectionis est formale, & cęterę inordinationes sunt materiale.

Oppositiones contra eam.

Hæc doctrina Sanct. Thom. in primis aduersari videtur his, quæ supra asseruimus, reduximus enim ad formale peccati originalis omnem priuationem iustitiæ in omnibus potentijs. Deinde aduersari videtur ipsi Sancto Thomæ; nam quæstione sequenti peccatum originale constituit in omnibus potentijs, quod non est verum, si tantum est priuatio rectitudinis existentis in voluntate; neque enim potest dici in voluntate esse formale, in alijs verò potentijs materiale, quia ineptum videtur in vna potentia formale, & in alia materiale eiusdem peccati collocare. Præterea à Sanct. Tho. articulo præcedenti ad tertium, dixit, peccatum originale esse vnum vnitate ordinis, & connexionis, quod non est verum, si solùm est priuatio doni subijcientis voluntatem Deo, sic enim esset vnum vnitate simplici. Quartò denique, quæ philosophādi ratio est, vt causa efficiens appelletur formale, & effectus materiale? Neque enim audiendi sunt, qui, quando Sanct. Thom. dicit, priuationem iustitiæ subdentis voluntatem Deo esse causam, interpretantur de causa formali, nam Sanct. Thom. loquitur de causa efficienti, vel quæ efficienti similis sit, quia dicit, priuationem iustitiæ, quę subdebat voluntatem Deo consequi deordinationem aliarum virium, propter subtractionem causę, & principij, à quo pendebat iustitia in alijs viribus.

Explicatur.

Huic difficultati aliqui succumbunt, & deserūt Sanct. Thom. doctrinam; alij prauè eum interpretantur. Sed si attentè consideremus literam, & conferamus cum alijs locis, habet optimum sensum, & nihil dissentiētem â suis assertis, & veritate. Pro cuius explicatione aduertendum est, dupliciter posse assignari formale,

male, & materiale in peccato originali, & in aliquibus entibus, quæ consistunt in plurium aggregatione; primò, vt formale sit id in quo ratio essentialis illius consistit, materiale verò subiectum proximum, quod eã recipit, & ea afficitur. Secundò, comparando plures partes illius inter se, quæ licet sint formales, id est, participantes formalem, & essentialem rationem, vna tamen respectu cæterarum, habet quodãmodo rationem formæ, & cæteræ ad ipsam comparantur, vt materia. In peccato ergo originali omnis priuatio iustitiæ originalis formale est in primo sensu, & materiale potentiæ ipsæ prout in principio diximus: at verò comparando ipsas priuationes inter se, quæ sunt veluti partes vnius priuationis completæ, priuatio iustitiæ quæ subdebat voluntatem Deo, id est, gratiæ, vel charitatis, habet rationem formæ. Quia illud habet quodammodo rationem formæ, quod dat specificationem, & vnitatem, quam hæc priuatio præstat: quæ vnitatem dat, quia in ipsa connectuntur, quemadmodum dona, quæ perficiebant alias potentias connectabantur in gratia, tanquam in primo principio & radice; dat etiam specificationem, quia quæ sunt vnum connexione, & ordine ab eo potissimum speciem sumunt, in quo cõnectuntur, id verò est ad quod ordinantur; omnis autem perfectio inferiorum virium institura est, vt homo esset volũtate Deo subiectus. Declarari potest hęc doctrina duplici exemplo, quo vtitur S. Thom. primo de morbis; in quibus manifestum est omnem priuationem temperamenti, cuiuscunque partis pertinere ad formale morbi rationem, comparando tamen plures deordinationes in eodem morbo concurrentes, illa priuatio, quæ est in radice, vt in iecore, vel in stomacho, habet se vt formalis respectu cæterarum, quia morbi distinguuntur penes diuersas radices, secundum quod vnus à iecore, alter à stomacho, vnus à cholera, alter à phlegmate procedit. Secundum exemplum est in actibus humanis, quo vtitur Sanct. Thom. in 2. sententia loco allegato. In actibus enim humanis coniungũtur actus exterior, & interior in vno peccato, & quãuis in vtroque actu sit formale, & materiale peccati, si tamen comparẽtur inter se, actus interior respectu exterioris habet rationem formalis, quia est principiũ, & dat specificationem. Tota ergo difficultas orta est, quia Sanct. Thom diuersimode accipit formale, & materiale peccati originalis, quàm alij authores, & quàm maior vocis proprietas exigebat, aduertendo tamen sensum facilè possunt conciliari diuersæ eius sententiæ, & contradictiones quæ obiectæ sunt.

Declaratur exemplis.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum peccatum originale sit æqualiter in omnibus.

AD quartũ sic proceditur. Videtur quòd peccatum originale non sit æqualiter in omnibus. Est enim peccatum originale concupiscentia inordinata, vt dictum est: sed nõ omnes æqualiter sunt proni ad concupiscendum: ergo peccatum originale non est æqualiter in omnibus. *2. dist. 32. quæst. 1. artic. 3.* *Art. præcedent.*

Secundò præterea. Peccatum originale est quædam inordinata dispositio animę, sicut ęgritudo est quędam inordinata dispositio corporis: sed ægritudo recipit magis & minùs: ergo peccatum originale recipit magis & minùs.

Tertiò præterea Augusti. dicit in libr. de nupt. & concupisc. quòd libido transmittit originale peccatum in prolem: sed contingit esse maiorem libidinem vnius in actu generationi, quàm alteriùs: ergo peccatum originale potest esse maius in vno quàm in alio. *Capit. 23. circa princip & cap. 24. tom. 7.*

Sed contra est, quia peccatum originale est peccatum naturæ, vt dictum est, sed natura æqualiter est in omnibus: ergo & peccatum originale. *Quæst. præced. art. 2.*

Respondeo dicendum, quòd in originali peccato sunt duo, quorum vnũ est defectus originalis iustitię, aliud autem est relatio huius defectus ad peccatum primi parentis, à quo per vitiatam originem deducitur. Quantũ autem ad primum, peccatum

catum originale non recipit magis, & minùs, quia totum donum originalis iustitiæ est sublatum; priuationes autem totaliter aliquid priuantes, vt mors, & tenebræ non recipiunt magis, & minùs, sicut supra dictum est. Similiter etiam nec quantùm ad secundum: æqualiter enim omnes relationem habent ad primũ principium vitiatæ originis, ex quo peccatum originale recipit rationẽ culpæ: relationes enim non recipiũt magis, & minùs. Vnde manifestum est, quòd peccatum originale non potest esse magis in vno quàm in alio.

Quæst. 73. artic. 1.

Ad primum ergo dicẽdum, quòd soluto vinculo originalis iustitiæ, sub quo quodam ordine omnes vires animæ continebantur, vñaquæque vis animæ tendit in suum proprium modum, & tantò vehementiùs, quantò fuerit fortior. Contingit autem vires aliquas animæ esse fortiores in vno, quàm in alio, propter diuersas corporis complexiones. Quod ergo vnus homo sit promptior ad concupiscendum, quàm alter, nó est ratione peccati originalis, cum in omnibus æqualiter soluatur vinculum originalis iustitiæ, & æqualiter in omnibus partes inferiores animæ sibi relinquãtur: sed accidit hoc ex diuersa dispositione potentiarũ, sicut dictum est.

Inista met solutione.

Ad secundum dicendum, quòd ægritudo corporalis non habet in omnibus æqualem causam, etiam si sit eiusdẽ speciei, puta, si sit febris ex cholera putrefacta potest esse maior, vel minor putrefactio, & propinquior à principio vitę: sed causa originalis peccati, in omnibus est æqualis, vnde non est simile.

Ad tertiũm dicendum, quod libido quæ transmittit peccatum originale in prolem, non est libido actualis, quia dato, quòd virtute diuina cõcederetur, quòd nullam inordinatã libidinem in actu generationis sentiret, adhuc transmitteret in prolem originale peccatum: sed libido illa est intelligenda habitualiter, secundùm quod appetitus sensitiuus non continetur subratione soluto vinculo originalis iustitiæ: & talis libido in omnibus est ęqualis.

FAcilè intelligitur, omnes homines æqualiter contrahere labem originalis peccati, tum quia æqualiter dicunt habitudinem ad primam causam eius, tum etiam quia in omnibus est æqualis priuatio iustitiæ originalis, sicut & ipsa iustitia, quæ transfundenda erat, æqualis foret ex vi originis.

QVESTIO LXXXIII.

De subiecto originalis peccati, in quatuor articulos diuisa.

DEinde considerandũm est de subiecto originalis peccati.

ET CIRCA HOC quæruntur quatuor.

PRimò, Vtrùm subiectum originalis peccati per prius sit caro, vel anima. Secũdò, Vtrũ sit anima, per essentiam, aut per potẽtias suas. Tertiò Vtrùm voluntas per priùs sit subiectum peccati originalis, quã aliæ potẽtiæ animę. Quartò, Vtrùm aliquæ potentiæ animæ, sint specialiter infectæ, scilicet generatiua, vis concupiscibilis, & sensus tactus.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm originale peccatum sit magis in carne, quàm in anima.

AD Primum sic proceditur. Videtur quòd peccatum originale magis sit in carne, quàm in anima. Repugnantia

2.d. 18.q. 2.ar. 1.ad 3.& d.30. q.1.art. 2. ad 4.& d. 31 q.1.ar. 1.ad 2.& 4.& q.2. ar.1.per to tũ. Et ver. q.25.arti. 6.cor. & q.27.ar.6. ad 2. Et Mal. q.4. ar.3.& 4. Et Roman. 5.lect.3.

nãtia enim carnis ad mẽtẽ ex corruptione originalis peccati procedit; ſed radix huius repugnantiæ in carne cõſiſtit, dicit enim Apoſ. ad Rom. 7. Video aliã legem in mẽbris meis repugnantem legi mentis meæ: ergo originale peccatũ in carne principaliter conſiſtit.

Secundò prætereà. Vnumquodq; potius eſt in cauſa, quàm in effectu, ſicut calor magis eſt in igne calefaciẽte, quã in aqua calefacta: ſed anima inficitur infectione originalis pecati per ſemẽ carnale: ergo pecatũ originale magis eſt in carne, quã in anima.

Tertiò prætereà. Peccatũ originale ex primo parente contrahimus, prout in eo fuimus ſecundũ rationẽ ſeminalem: ſic autẽ nõ fuit ibi anima ſed ſola caro: ergo originale peccatum non eſt in anima, ſed in carne.

Quartò prætereà. Anima rationalis creata â Deo, cõrpori infunditur: ſi igitur anima per peccatũ originale inficeretur, cõſequens eſſet, quòd ex ſua creatione, vel infuſione inquinaretur, & ſic Deus eſſet cauſa peccati, qui eſt Author creationis, & infuſionis.

Quintò prætereà. Nullus ſapiẽs liquorẽ precioſum vaſi infecto infunderet, ex quo ſciret ipſũ liquorẽ inficí: ſed anima rationalis eſt precioſior omni liquore: ſi ergo anima ex corporis vnione inficí poſſet infectione originalis culpę, Deus qui ipſa ſapiẽtia eſt, nũquã animã tali corpori infũderet, infundit autẽ, nõ ergo inquinatur ex carne: ſic igitur peccatum originale non eſt in anima, ſed in carne.

Sed cõtra eſt, quòd idẽ eſt ſubiectũ virtutis & vitij, ſiue peccati, quod cõtrariatur virtuti: ſed caro non poteſt eſſe ſubiectum virtutis; dicit enim Apoſt. ad Rom. 7. Scio, quòd non habitat in me, hoc eſt, in carne mea, bonũ: ergo caro nõ poteſt eſſe ſubiectũ originalis peccati, ſed ſolùm anima.

Reſpõdeo dicẽdum, quòd aliquid poteſt eſſe in aliquo dupliciter. Vno modo ſicut in cauſa, vel principali, vel inſtrumẽtali: alio modo ſicut in ſubiecto. Peccatum ergo originale omnium hominũ fuit quidem in ipſo Adam, ſicut in prima cauſa principali, ſecundùm illud Apoſ. Roma. 5. In quo omnes peccauerunt. In ſemine autẽ corporali eſt peccatũ originale ſicut in cauſa inſtrumẽtali, eò quòd per virtutẽ actiuã ſeminis traducitur peccatum originale in prolẽ, ſimul cũ natura humana: ſed ſicut in ſubiecto peccatum originale nullo modo poteſt eſſe in carne, ſed ſolùm in anima. Cuius ratio eſt, quia ſicut ſupra dictum eſt, hoc modo ex voluntate primi parẽtis peccatũ originale traducitur in poſteros per quandã generatiuã motionem, ſicut â voluntate alicuius hominis deriuatur peccatũ actuale ad alias partes eius. In qua quidem deriuatione poteſt attendi, quòd quicquid prouenit ex motione volũtatis peccati ad quãcunq; partẽ hominis, quęquocunq; modo poteſt eſſe particeps peccati, vel per modum ſubiecti, vel per modum inſtrumẽti, habet rationem culpæ: ſicut ex volũtate gulæ peruenit cõcupiſcentia cibi ad concupiſcibilem, & ſumptio cibi ad manus & os, quę in quantũm mouẽtur a voluntate ad peccandũ, ſunt inſtrumenta peccati. Quod verò vlterius deriuatur in vim nutritiuã, & interiora membra, quæ non ſunt nata moueri â voluntate nõ habet rationem culpæ. Sic igitur cum anima poſsit eſſe ſubiectum culpæ. caro autem de ſe nõ habeat quod ſit ſubiectum culpæ, quidquid peruenit de corruptione primi peccati ad animam, habet rationem culpæ: quod autem peruenit ad carnem, non habet rationẽ culpæ, ſed pœnæ; ſic igitur anima eſt ſubiectum peccati originalis, non autem caro.

Q.81.art 2.

Ad primum ergo dicendũ, quòd ſicut Aug. dicit in libr. retract. Apoſt. loqui-

li.1 c.16. declinãdo ad fin. to.

loquitur ibi de homine iã redẽpto, qui liberatus est à culpa, sed subiacet pœnæ, ratione cuius peccatũ dicitur habitare in carne: vnde ex hoc non sequitur quòd caro sit subiectum culpæ, sed solùm pœnæ.

Ad secundũ dicendũ, quòd peccatum originale causatur ex semine, sicut ex causa instrumentali: non autẽ oportet, quòd aliquid sit principalius in causa instrumẽtali, quàm in effectu, sed solũ in causa principali; & hoc modo peccatũ originale potiori modo fuit in Adã, in quo fuit secũdum rationem actualis peccati.

Ad tertiũ dicẽdũ, quòd anima huius hominis, nõ fuit secũdũ seminalem rationẽ in Adã peccante, sicut in principio effectiuo, sed sicut in principio dispositiuo, eò quòd semẽ corporale, quod ex Adã traducitur, sua virtute non efficit animam rationalem, sed ad eam disponit.

Ad quartũ dicendũ, quòd infectio originalis peccati, nullo modo causatur â Deo, sed ex solo peccato primi parẽtis per carnalẽ generationẽ: & ideò cũ creatio importet respectũ animæ ad solũ Deum, nõ potest dici quòd anima ex sua creatione inquinetur. Sed infusio importat respectũ & ad Deũ infundẽtẽ, & ad carnẽ cui infunditur anima, & ideò habito respectu ad Deũ infundentẽ, nõ potest dici, q anima p infusionẽ maculetur, sed solũ habito respectu ad corpus.

Ad quintũ dicẽdũ, quòd bonũ cõmune præfertur bono singulari, vnde Deus secundùm suã sapiẽtiã non prætermittit vniuersalẽ ordinem rerum, qui est vt tali corpori talis anima infũdatur, vt videtur singularis infectio huius animę, præsertim cũ natura animę hoc habeat, vt esse nõ incipiat nisi in corpore, vt in primo habitũ est. Melius est autẽ ei sic esse secundum naturam, quàm nullo modo esse; præsertim cum posit per gratiam damnationem euadere.

1.p.q.118 artic.3.

ARTICVLVS II.

Vtrùm peccatum originale sit per prius in essentia animæ, quàm in potentijs.

AD secũdùm sic proceditur. Videtur quòd peccatũ originale nõ sit per prius in essẽtia animæ, quàm in potẽtijs. Anima enim nata est esse subiectũ peccati, quantùm ad id q̃ potest à voluntate moueri: sed anima nõ mouetur à voluntatẽ secundùm suam essentiã, sed solum secundùm potentias: ergo peccatum originale non est in anima secundùm suam essentiam, sed solum secundùm potentias.

Inf. art. 3. cor. Et 2. d. 31. q. 2. artic. 1 Et ver. q. 25. art. 6 cor. & q. 27 ar. 6. ad 2. Et Mal. q. 4. artic. 4.

Secũdò præterea: Peccatũ originale opponitur originali iustitiæ: sed originalis iustitia erat in aliqua potẽtia animę, quę est subiectum virtutis: ergo & peccatũ originale est magis in potẽtia animę, quàm in eius essentia.

Tertiò præterea: Sicut à carne peccatum originale deriuatur ad animã, ita ab essentia animę deriuatur ad potẽtias: sed peccatum originale magis est in anima quàm in carne: ergo etiam magis est in potentijs animæ, quàm in eius essentia.

Quartò præterea. Peccatum originale dicitur esse cõcupiscẽtia, vt dictũ est: sed cõcupiscẽtia est in potẽtijs animæ: ergo & peccatum originale.

Quæst. 82. art. 3.

Sed contra est, quòd peccatum originale, dicitur esse peccatum naturale, vt supra dictum est: anima autem est forma & natura corporis secundùm essentiam suam, & non secundùm potentias, vt in primo habitum est: ergo anima est subiectum originalis peccati principaliter, secundùm suam essentiam.

Quæst. 81. art. 1.

1.p.q.96. artic.1.

Respondeo dicendum, quòd illud animæ est principaliter subiectum alicuius peccati, ad quod primò pertinet causa motiua illius peccati: sicut si causa motiua ad peccandum sit delectatio sensus, quæ pertinet ad

vim

vim concupiscibilem, sicut obiectũ proprium eius, sequitur quòd vis cõ cupiscibilis sit proprium subiectũ illius pecati. Manifestũ est autẽ, quòd peccatum originale causatur per originem: vnde illud animæ, quod primo attingitur ab origine hominis, est primum subiectum originalis peccati. Attingit autem origo animam, vt terminum generationis, secundùm quod est forma corporis, quod quidem conuenit ei, secũdum essentiam propriam vt in primo habitũ est; vnde anima secundùm essentiam est primum subiectum originalis peccati.

1.p.q.76. art.1.

Ad primum ergo dicendum, quòd sicut motio voluntatis alicuius propriè peruenit ad potentias animæ, non autem ad animæ essentiam; ita motio voluntatis primi generantis per viam generationis, peruenit primò ad animæ essentiam, vt dictũ est.

In corpor. art.

Ad secundum dicendum, quòd etiam originalis iustitia pertinebat primordialiter ad essentiam animæ. Erat enim donum diuinitus datum humanæ naturæ, quam per prius respicit essentia animæ, quam potentię. Potentiæ enim magis videntur pertinere ad personam, inquantum sunt principia personalium actuum, vnde sunt propria subiecta peccatorũ actualiũ, quę sunt peccata personalia.

Ad tertium dicendum, quòd corpus comparatur ad animã, sicut materia ad formam quæ etsi sit posterior ordine generationis, est tamen prior ordine perfectionis & naturę: essentia autem animæ comparatur ad potentias, sicut substantia ad accidentia propria, quæ sunt posteriora substantia, & ordine generationis, & etiam perfectionis: vnde non est similis ratio.

D.101.

Ad quartum dicendum, quòd concupiscentia se habet materialiter, & ex consequenti in peccato originali, vt supra dictum est.

Quæst. 82. artic. 3.

ARTICVLVS III.

Vtrum peccatum originale per prius inficiat voluntatem, quàm alias potentias.

Infr artic. 4. ad 1. Et 2.d. 30. q. 1 artic 3. cor. & ad 4. Et veri. q. 25 art. 6. co. & q. 27. a. 6. ad 2. Et Mal. q. 4 art. 5.

AD tertium sic proceditur. Videtur quòd peccatum originale non per prius inficiat voluntatem, quàm alias potentias. Omne enim peccatum principaliter pertinet ad potentiam, per cuius actum causatur: sed peccatum originale causatur per actum generatiuæ potentiæ: ergo inter cæteras potentias animæ, videtur magis pertinere ad generatiuam potentiam.

Secundò præterea, peccatum originale per semẽ carnale traducitur: sed aliæ vires animæ propinquiores sunt carni, quàm voluntas, sicut patet de omnibus sensitiuis, quæ vtuntur organo corporali: ergo in eis magis est peccatum originale, quàm in voluntate.

Tertiò præterea. Intellectus est prior voluntate, non enim est voluntas, nisi de bono intellecto: si ergo peccatũ originale inficit omnes potentias animæ, videtur quòd per prius inficiat intellectum tanquam priorem.

Sed contra est, quòd iustitia originalis per priùs respicit voluntatem: est enim rectitudo voluntatis, vt Anselm dicit in libro de concep. virgi. ergo peccatũ originale, quod ei opponitur, per prius respicit volũtatẽ.

Capit. 3. à med. illius

Respondeo dicendũ, quòd in infectione peccati originalis duo est cõsiderare. Primò quidẽ inhęrẽtiã eius ad subiectũ, & secũdùm hoc primò respicit essentiam animæ, vt dictum est. Deinde oportet considerare inclinationem eius ad actũ. & hoc modo respicit potentias animæ. Oportet ergo, quòd illam per prius respiciat, quę primã inclinationẽ habet ad peccãdũ: hæc autẽ est volũtas, vt ex

Art. prac.